B 17
4
27
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

LIBRI

DONATI DAL

DOTTOR ANNIBALE GIULIONI

GIURISTA

Nato a Firenze il 7 Febbraio 1807
e morto il 1° Dicembre 1895 in Firenze.

16 Maggio 1896

Digitized by Google

Digitized by Google


BVRCARDI GOTTHELFFII STRUVII
ANTIQVITATVM ROMANARVM SYNTAGMA

SIVE

DE SACRORVM CAEREMONIIS SYSTEMA ABSOLVTIVS

ADIECTA BIBLIOTHECA, FIGVRIS AENEIS, ET INDICIBVS NECESSARIIS.

EDITIO TERTIA.



IENAE
Apud IOANNEM FELIC. BIELCKIVM
M D C C XXVIII.

Digitized by Google

B. 17. 4. 27

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DN. FRIDERICO GVILIELMO

REGNI BORVSSIAE HEREDI

MARCHIONI BRANDENBVRGICO, MAGDEBVRGI, CLIVIAE, IVLIACI, MONTIVM STETTINI, POMERANORVM, CASSVBIORVM ET VANDALORVM, VT ET IN SILESIA, CROSNAE DVCI, BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE ET CAMINI COMITI HOHENZOLLERAE, MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE IN RAVENSTEIN, LAVENBVRG ET BVTAV

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

FELICITATEM PERPETVAM!

Digitized by Google

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME

ANtiquitatum Romanarum Syntagma, ex ipſa priſcorum monumentorum ſcriptorumque collectione erutum, TIBI, SERENISSIME

Digitized by Google

SIME PRINCEPS, tanquam maiorum lucubrationum primitias ſupplex offero. Ingentes enim excelſi animi TVI virtutes cum mente deuenerer deuota, idque quod inter Principes tenes, faſtigium, tacita admirer animi reuerentia; ad eminens illud SPLENDORIS TVI ſolium accedere, & exiguum hoc, quidquid eſt laboris, cultu perquam obſequioſo ad pedes tuos deponere auſus fui. TV quidem es, SERENISSIME PRINCEPS, qui tanto amore complecteris litterarum ſtudia; tanta clementia vteris erga harum cultores, vt firmum & commune præſidium abs TE ſibi omnes polliceantur. TE iamdudum, quæ inter reliquas coruſcat, REGIA iſta FRIDERICIANA colit MVSAGETEM: ſub TVA tutela agunt artes: ipſæ TE venerantur Muſæ : TVIS auſpiciis prodeunt in publicum litterati, qui maxi-

pro Principis ſalute fundet Boruſſia: vota facient prouinciæ: ipſa ſupplicabit Germania. Qui amat patriam ita agit. DEVS TE ſeruet, addatque votis omnium perpetuitatem. IENAE III Kl. MAII, MDCC VI.

SERENITATI TVAE

deuotiſſimus ſubiectiſſimusque
Burcard Gotthelff Struue.

Digitized by Google

L. B.

DImidium ſeculi fere elapſum eſt, cum beatus parens, quem poſt fata veneror, primam ſyntagmati ſuo iurisprudentiæ manum admoueret, & publico dein examini in cathedra idem exponeret. Creuit inde hic labor in iuſti voluminis formam, atque adplauſum inter eruditos reperit non minimum. Ipſe inter noui ſeculi primordia, ſyntagma prodo antiquitatum Romanarum, ex ipſa antiquitate congeſtum. Abundat enim orbis hodiernus tot elaboratis iuris materiis, quæ ad nauſeam vsque circumferuntur. Tot extant iuris ſyſtemata & prudentiæ; tot iuris commentarii: legum obſtantium reſolutiones: Conſiliorum & deciſionum quæ habemus, numerus iniri vix poteſt. Immo tot extant elaborata de ſingularibus iuris materiis diſſertationes, vt in omni iure nihil noui, quod pertractari poſſit, reliquum ſit. Et ſi forſan ex ſcriptis recentioribus titulus ſingulare quid præferat, nouitas in titulo latet, qui mutatur ſæpe, non res. In hac ita librorum abundanti mole, cum pro ingenii ratione aliqua eſſent elaboranda, materiam mihi propoſui, quæ ad ipſos iuris textus plenius enodandos plurimum conducit.

Ipſas ſcilicet antiquitatum Romanarum carimonias publico tradere conſtitui. Particulatim quidem a multis iam pertractata ſunt ea, in iuſtum ordinem tamen & ſyſtema abſolutius nondum congeſta. Sæpius enim de hoc defectu conqueſti fuere viri vndiquaque celeberrimi, qui non ſolum vt ſuppleretur iſte, habuere in votis, ſed & ipſi operi manum admouerunt. Teſtantur id cœpti labores Pauli Manutii, Iuſti Lipſii & e ſuperiori ſeculo, Georgii Hieronymi Velſchii; ſed in ipſis conatibus res perſtitit. Quæ autem prodiere ſyſtemata Ioannis Roſini, Henrici Kippingii, & Petri Ioſephi Cantelii, vt minora taceam, neceſſitas magis commendat quam vtilitas: cum nulla alia eſſent, quibus inhærere poſſint antiquitatum cupidi. Ingenium ergo, quod ad indagandas antiquorum res fere natum, ſecutus, tanti laboris opus adgreſſus fui, non tam proprio viſus ingenio, quam diuina gratia auxiliatrice. Inſtituto ad id vſus tali, vt dum quatuor partibus Romanorum abſoluantur antiquitates, ipſum laborem in totidem partes diuiderem, cum vna ſerie omnia proponere nimium eſſet. Primum ergo ſyntagma, quod RITVS *exponit* SACROS, *ſeu* de diis & ſacris Romanorum *agit, nunc exhibeo, quod ſequentur ſuo ordine reliqua. Alterum quidem exhibebit ſtatum Romanorum ciuilem, tertium militarem, & quartum œconomicum. Primum*

mum hoc præter deorum hiſtoriam & attributa, ſacrorum quoque cærimonias, preces, vota, iuramenta, auguria & quæ his adſinia; dierum diuerſitatem, feſta, templa, ſacrificia, ſacerdotia & quæcunque ad res ſacras faciunt, explicata continet. In ſingulis de ordine debito non ſollicitus ſolum fui, ſed & quod mihi quam maxime curæ fuit, vt nullum ritum ſine probata ſcriptoris priſci auctoritate relinquerem, adlaboraui: quod quanti laboris fuerit, omnes diiudicent. Vbi vero ſcriptores deficiunt, in ſupplementum artis monumenta, nummos, lapides priſcos aliaque vocaui. Hinc & cum aliqua ex figuris magis pateant quam verbis, addidi aliquot nummorum ectypos, aliosque ex ſtatuis deſumtos ad illuſtrandum maxime deorum habitum, notasque & inſignia eorum. Debitum quidem nitorem non præferunt iſta, condonandum tamen aliquid eſt pro ratione loci, qui & pingendi & ſcalpendi peritis deſtituitur. Ne autem & recentiores ſcriptores, qui rem aliquam ſingulari tractatu plenius expoſuerunt, eſſent ignoti, addidi quoque antiquitatum bibliothecam: generalem quidem omni operi præmiſſam, ſpecialem autem de ſingulis materiis vnicuique capiti præfixam. Ita vt ſcriptorum edita cum breui vbique iudicio exhiberem. Ritus Græcorum ſacros, qui alias cum Romanorum cærimoniis ſæpius confunduntur; in quo & aberrarunt nonnun-

quam recentiores quidam, & ex antiquioribus Seruius, Donatus, aliique Grammatici veteres, plane ſeparaui, cum ad ſolos Romanos ſpectet tractatio mea. Et licet Romani in ritibus ſuis multa hauſerint a Græcis, bene tamen ab inuicem ſunt ſeparandi, manſere enim ſui cuique genti proprii. In hiſtoria deorum quidem, quantum ad explicandos nummos, gemmasue ſola Romana non ſufficiunt, haut diffiteor, nihilominus & in hoc Romana tantum ſecutus, cum, ſi Deus conceſſerit, eodem ordine eademque methodo, Græcorum etiam antiquitates pertractare animus ſit. Immo eodem diuino fauore antiquitates æque priſcæ eccleſiæ Chriſtianæ, Ægyptiacas, Langobardicas, Germanicas & gentium barbararum in publicum prodere conſtitui. Tu interim B. L. fruere labore noſtro, & conatibus faue.

PARS

Digitized by Google



PARS GENERALIS
DE
SCRIPTORIBVS, QVI DE ANTIQVITATIBVS ROMANORVM IN VNIVERSVM EGERE.

§. I.

ANtiquitates Romanas qui noſſe cupiunt, illud in primis agunt, vt ſibi de fontibus, e quibus hauriendæ illæ ſint, proſpiciant, quo per riuos ex fontibus iſtis deductos feliciores hac in parte progreſſus poſſint fieri. Hi autem conſiſtunt vel in monumentis arte factis, vel in monumentis ingenii. Iſta cum nec in vnum locum coacta, ſed per integrum fere terrarum orbem diſperſa, immo noſtris in terris inuentu ſint rariſſima, extra tractationis noſtræ metas conſtitutæ ſunt; ideoque de his tantum iam ſermo erit.

Digitized by Google

§. II.

Monumenta autem ingenii ea dicimus, quæ antiquitatum Romanarum ſcriptores nobis tradiderunt; horum vero inſtitutum cum diuerſum ſit, aliis vel ipſas in genere illuſtrantibus, aliis autem ſpeciales quosdam ritus, vel alias ad antiquitates pertinentes partes ſibi proponentibus, certum vt in iisdem recenſendis ſeruemus ordinem, neceſſe erit; hoc inſtituto, vt primo loco dicamus de iis, qui antiquitates Romanas vel in compendiis, vel maiori ſyſtemate illuſtrarunt, deinde de iis, qui in operibus ſuis & aduerſariis ad illuſtrandas antiquitates hasce faciunt, ſubſequentur iſti, qui maiorum, vti vocantur, diſciplinarum partes ex hisce illuſtrarunt, quibus dein ſubnectemus eos, qui lapides, monumenta & inſcriptiones veterum vel in genere, vel particularium regionum collegerunt, ad eaque fuere commentati. Qui certas tantum ex antiquitate Romana partes ſcriptis explicarunt, ſuis quosque capitibus in ſequenti præfigemus.

§. III.

Bibliothecam antiquitatum Romanarum olim iam nobis dedit PHILIPPVS LABBEVS, S. I. in *mantiſſa antiquaria ſupellectilis*, quæ eius Bibliothecæ Bibliothecarum adnexa eſt, primum *Pariſiis 1651. 8.* edita, poſt curis ſecundis auctior *Rotbomagi 1672. 8.* tandem *Lipſiæ 1692. 4* cura Adami Rechenbergi, quæ vero ſolam recenſionem ſcriptorum continet, nec tamen & hanc completam, nec ſatis elimatam. Plurium & clariorum ſcriptorum, qui ad res & antiquitates Romanas commentati ſunt vitas, ſcripta & de iis aliorum iudicia, induſtria non contemnenda congeſſit MARTINVS HANKIVS libris duobus *de*

iudicio. Auctoris tamen conſilium laudat Morhofius (†). Apud Gallos extat CAESARIS EGOSSE DV BOVLAT elegantiorum litterarum Profeſſoris *Theſaurus antiquitatum Romanarum*, *le Treſor des antiquités Romaines*, patrio ſermone conſcriptus & editus *Pariſiis 1651. f.* quod opus vaſtum eſt, eruditum tamen, quodque defectum iuſti ſyſtematis antiquarii hactenus ſupplere potuiſſet, licet & non raro aliorum hac in parte errorem erret. Haut ita pridem apud eosdem prodiit *dictionarium antiquitatum Romanarum & Graecarum*, quod in vſum Delphini & Principum Burgundiæ, Andium, Biturigum collegit, digeſſit & ſermone Gallico reddidit PETRVS DANETIVS, *Lutetiæ 1698. 4.* Continet illud deſcriptionem deorum, heroum & variarum rerum ad antiquitates Romanas Græcasque pertinentium ex hiſtoria & mythologia veterum, ſecundum alphabethi ſeriem. Locorum communium inſtar eſt, qui multas quidem res explicant, omnem tamen antiquitatum complexum non exhauriunt, immo ad ſcriptores, e quibus plenior cognitio haurienda, parum remittunt. E Germanis eandem rem egit VVOLFFGANGVS LATZIVS *in duodecim de rep. Romana libris Efurti 1598 f.* editis, quibus non ſolum magnitudinem & in exteras prouincias iura reipublicæ Romanæ prolixe effert, ſed quidquid fere rei Romanæ eſt, tum ciuilia, tum militaria, arma, naualia, magiſtratus, ſacerdotes, ſacra, veſtimenta, ritusque alios explicat. Opus tamen eſt maioris molis quam iudicii; deeſt enim & ordo & iudicium, atque in explicandis antiquitatibus illuſtrandisque inſcriptionibus, quam ſæpiſſime labitur auctor. Propoſuerat ſibi olim PAVLVS MANVTIVS A. F ſic-

(†) *Polyhiſt. lib. I c. XXI.*

mas iſtas TVAS prædicant virtutes, gratiſſima canunt laudum TVARVM præconia. Commendet antiquitas Romana Cæſares ſuos, Druſum atque Germanicum: laudibus exornet iuuentutis principes, Caium & Lucium. TE certe optimum IVVENTVTIS PRINCIPEM admiratur orbis: ſpem patriæ & communis imperii ſuſpicit Germania: PROPAGINEM REGNI colit Boruſſia, veneranturque omnes prouinciæ. Felicem TE, SERENISSIME PRINCEPS, iudicio Principum, felicem TE virtutibus TVIS. Per TE igitur illuſtrior erit Boruſſia: per TE ornabuntur prouinciæ REGII PATERNAE MAIESTATIS SOLII: ipſa communis patria Germania cuncta, per TE ſalua erit & inconcuſſa. Tripudiant TE DVCTORE Muſæ: promouentur TVIS auſpiciis artes, & ſcientiarum liberaliſſimæ diſciplinæ:

næ: ſtudia efflореſcunt, & mirum quantum conſummantur. Nunquam ergo deerunt inſignes heroicarum virtutum TVARVM præcones, qui adprecabuntur quæ Principe digna, qui perpetuæ mandent memoriæ, quæ in TE præcelſa. Quod ſi & me in magno hoc TE ſubmiſſe ſuſpicientium & venerantium populo, pro TVA illa clementia, quam mirifice celebrant omnes, non quidem meo merito, ſed ſolo gratiæ Tuæ amplexu admiſeris, me quod mihi votorum eſt antiquiſſimum, adſecutum eſſe exiſtimabo. TV autem, SERENISSIME PRINCEPS, cum Tibi omnium ſalus vnice cordi ſit, ſic pro TVA ſalute optimus quisque nuncupabit VOTA, DECENNALIA, TRICENNALIA, PERPETVA. Preces

pro

Digitized by Google

pro Principis ſalute fundet Boruſſia: vota facient prouinciæ: ipſa ſupplicabit Germania. Qui amat patriam ita agit. DEVS TE ſeruet, addatque votis omnium perpetuitatem. IENAE III Kl. MAII, MDCC VI.

SERENITATI TVAE

deuotiſſimus ſubiectiſſimusque
Burcard Gotthelff Struue.

L. B.

DImidium ſeculi fere elapſum eſt, cum beatus parens, quem poſt fata veneror, primam ſyntagmati ſuo iuriſprudentiæ manum admoueret, & publico dein examini in cathedra idem exponeret. Creuit inde hic labor in iuſti voluminis formam, atque adplauſum inter eruditos reperit non minimum. Ipſe inter noui ſeculi primordia, ſyntagma prodo antiquitatum Romanarum, ex ipſa antiquitate congeſtum. Abundat enim orbis hodiernus tot elaboratis iuris materiis, quæ ad nauſeam vsque circumferuntur. Tot extant iuris ſyſtemata & prudentiæ; tot iuris commentarii: legum obſtantium reſolutiones: Conſiliorum & deciſionum quæ habemus, numerus iniri vix poteſt. Immo tot extant elaborata de ſingularibus iuris materiis diſſertationes, vt in omni iure nihil noui, quod pertractari posſit, reliquum ſit. Et ſi forſan ex ſcriptis recentioribus titulus ſingulare quid præferat, nouitas in titulo latet, qui mutatur ſæpe, non res. In hac ita librorum abundanti mole, cum pro ingenii ratione aliqua eſſent elaboranda, materiam mihi propoſui, quæ ad ipſos iuris textus plenius enodandos plurimum conducit.

Ipſas ſcilicet antiquitatum Romanarum carimonias publico tradere conſtitui. Particulatim quidem a multis iam pertractata ſunt ea, in iuſtum ordinem tamen & ſyſtema abſolutius nondum congeſta. Sæpius enim de hoc defectu conqueſti fuere viri vndiquaque celeberrimi, qui non ſolum vt ſuppleretur iſte, habuere in votis, ſed & ipſi operi manum admouerunt. Teſtantur id cœpti labores Pauli Manutii, Iuſti Lipſii & e ſuperiori ſeculo, Georgii Hieronymi Velſchii; ſed in ipſis conatibus res perſtitit. Quæ autem prodiere ſyſtemata Ioannis Roſini, Henrici Kippingii, & Petri Ioſephi Cantelii, vt minora taceam, neceſſitas magis commendat quam vtilitas: cum nulla alia eſſent, quibus inhærere poſſint antiquitatum cupidi. Ingenium ergo, quod ad indagandas antiquorum res fere natum, ſecutus, tanti laboris opus adgreſſus fui, non tam proprio viſus ingenio, quam diuina gratia auxiliatrice. Inſtituto ad id vſus tali, vt dum quatuor partibus Romanorum abſoluantur antiquitates, ipſum laborem in totidem partes diuiderem, cum vna ſerie omnia proponere nimium eſſet. Primum ergo ſyntagma, quod RITVS *exponit* SACROS, *ſeu* de diis & ſacris Romanorum *agit, nunc exhibeo, quod ſequentur ſuo ordine reliqua. Alterum quidem exhibebit ſtatum Romanorum ciuilem, tertium militarem, & quartum œconomicum. Primum*

mum hoc præter deorum hiſtoriam & attributa, ſacrorum quoque carimonias, preces, vota, iuramenta, auguria & quæ his adfinia; dierum diuerſitatem, feſta, templa, ſacrificia, ſacerdotia & quæcunque ad res ſacras faciunt, explicata continet. In ſingulis de ordine debito non ſollicitus ſolum fui, ſed & quod mihi quam maxime curæ fuit, vt nullum ritum ſine probata ſcriptoris priſci auctoritate relinquerem, adlaboraui: quod quanti laboris fuerit, omnes diiudicent. Vbi vero ſcriptores deficiunt, in ſupplementum artis monumenta, nummos, lapides priſcos aliaque vocaui. Hinc & cum aliqua ex figuris magis pateant quam verbis, addidi aliquot nummorum ectypos, aliosque ex ſtatuis deſumtos ad illuſtrandum maxime deorum habitum, notasque & inſignia eorum. Debitum quidem nitorem non præferunt iſta, condonandum tamen aliquid eſt pro ratione loci, qui & pingendi & ſcalpendi peritis deſtituitur. Ne autem & recentiores ſcriptores, qui rem aliquam ſingulari tractatu plenius expoſuerunt, eſſent ignoti, addidi quoque antiquitatum bibliothecam: generalem quidem omni operi præmiſſam, ſpecialem autem de ſingulis materiis vnicuique capiti præfixam. Ita vt ſcriptorum edita cum breui vbique iudicio exhiberem. Ritus Græcorum ſacros, qui alias cum Romanorum carimoniis ſæpius confunduntur; in quo & aberrarunt nonnun-

quam recentiores quidam, & ex antiquioribus Seruius, Donatus, aliique Grammatici veteres, plane ſeparaui, cum ad ſolos Romanos ſpectet tractatio mea. Et licet Romani in ritibus ſuis multa hauſerint a Græcis, bene tamen ab inuicem ſunt ſeparandi, manſere enim ſui cuique genti proprii. In hiſtoria deorum quidem, quantum ad explicandos nummos, gemmasue ſola Romana non ſufficiunt, haut diffiteor, nihilominus & in hoc Romana tantum ſecutus, cum, ſi Deus conceſſerit, eodem ordine eademque methodo, Græcorum etiam antiquitates pertractare animus ſit. Immo eodem diuino fauore antiquitates æque priſcæ eccleſiæ Chriſtianæ, Ægyptiacas, Langobardicas, Germanicas & gentium barbararum in publicum prodere conſtitui. Tu interim B. L. fruere labore noſtro, & conatibus faue.

PARS



PARS GENERALIS

DE

SCRIPTORIBVS, QVI DE ANTIQVITATIBVS ROMANORVM IN VNIVERSVM EGERE.

§. I.

Antiquitates Romanas qui noſſe cupiunt, illud in primis agunt, vt ſibi de fontibus, e quibus hauriendæ illæ ſint, proſpiciant, quo per riuos ex fontibus iſtis deductos feliciores hac in parte progreſſus poſſint fieri. Hi autem conſiſtunt vel in monumentis arte factis, vel in monumentis ingenii. Iſta cum nec in vnum locum coacta, ſed per integrum fere terrarum orbem diſperſa, immo noſtris in terris inuentu ſint rariſſima, extra tractationis noſtræ metas conſtitutæ ſunt; ideoque de his tantum iam ſermo erit.

§. 2. Mo-

§. II.

Monumenta autem ingenii ea dicimus, quæ antiquitatum Romanarum ſcriptores nobis tradiderunt; horum vero inſtitutum cum diuerſum ſit, aliis vel ipſas in genere illuſtrantibus, aliis autem ſpeciales quosdam ritus, vel alias ad antiquitates pertinentes partes ſibi proponentibus, certum vt in iisdem recenſendis ſeruemus ordinem, neceſſe erit; hoc inſtituto, vt primo loco dicamus de iis, qui antiquitates Romanas vel in compendiis, vel maiori ſyſtemate illuſtrarunt, deinde de iis, qui in operibus ſuis & aduerſariis ad illuſtrandas antiquitates haſce faciunt, ſubſequentur iſti, qui maiorum, vti vocantur, diſciplinarum partes ex hisce illuſtrarunt, quibus dein ſubnectemus eos, qui lapides, monumenta & inſcriptiones veterum vel in genere, vel particularium regionum collegerunt, ad eaque fuere commentati. Qui certas tantum ex antiquitate Romana partes ſcriptis explicarunt, ſuis quosque capitibus in ſequenti præfigemus.

§. III.

Bibliothecam antiquitatum Romanarum olim iam nobis dedit PHILIPPVS LABBEVS, S. I. in *mantiſſa antiquariæ ſupellectilis*, quæ eius Bibliothecæ Bibliothecarum adnexa eſt, primum *Pariſiis 1651. 8.* edita, poſt curis ſecundis auctior *Rotbomagi 1672. 8.* tandem *Lipſiæ 1692. 4.* cura Adami Rechenbergi, quæ vero ſolam recenſionem ſcriptorum continet, nec tamen & hanc completam, nec ſatis elimatam. Plurium & clariorum ſcriptorum, qui ad res & antiquitates Romanas commentati ſunt vitas, ſcripta & de iis aliorum iudicia, induſtria non contemnenda congeſſit MARTINVS HANKIVS libris duobus

de

iudicio. Auctoris tamen conſilium laudat Morhofius (†). Apud Gallos extat CAESARIS EGOSSE DU BOULAT elegantiorum litterarum Profeſſoris *Theſaurus antiquitatum Romanarum, le Treſor des antiquités Romaines*, patrio ſermone conſcriptus & editus *Pariſiis 1651. f.* quod opus vaſtum eſt, eruditum tamen, quodque defectum iuſti ſyſtematis antiquarii hactenus ſupplere potuiſſet, licet & non raro aliorum hac in parte errorem erret. Haut ita pridem apud eosdem prodiit *dictionarium antiquitatum Romanarum & Graecarum*, quod in vſum Delphini & Principum Burgundiæ, Andium, Biturigum collegit, digeſſit & ſermone Gallico reddidit PETRVS DANETIVS, *Lutetiæ 1698. 4.* Continet illud deſcriptionem deorum, heroum & variarum rerum ad antiquitates Romanas Græcasque pertinentium ex hiſtoria & mythologia veterum, ſecundum alphabethi ſeriem. Locorum communium inſtar eſt, qui multas quidem res explicant, omnem tamen antiquitatum complexum non exhauriunt, immo ad ſcriptores, e quibus plenior cognitio haurienda, parum remittunt. E Germanis eandem rem egit VVOLFFGANGVS LATZIVS *in duodecim de rep. Romana libris Ffurti 1598 f.* editis, quibus non ſolum magnitudinem & in exteras prouincias iura reipublicæ Romanæ prolixe effert, ſed quidquid fere rei Romanæ eſt, tum ciuilia, tum militaria, arma, naualia, magiſtratus, ſacerdotes, ſacra, veſtimenta, ritusque alios explicat. Opus tamen eſt maioris molis quam iudicii; deeſt enim & ordo & iudicium, atque in explicandis antiquitatibus illuſtrandisque inſcriptionibus, quam ſæpiſſime labitur auctor. Propoſuerat ſibi olim PAVLVS MANVTIVS A. F ſic-

(†) *Polyhiſt. lib. I c. XXI.*

Digitized by Google

ſicuti e Geſneri bibliotheca diſcimus, antiquitates hasce libris decem comprehendere, quorum ſextum conſtituerat librum de Legibus, Romæ ab ipſo, dein ſæpius impreſſum, ſed quatuor tantum eius, de ciuitate ſcilicet, Senatu, legibus & comitiis vidimus, quæ ſatis de auctoris peritia in hoc ſtudiorum genere teſtantur. Eadem in animo habuit IVSTVS LIPSIVS, qui *Facem hiſtoricam* atque Ritualium libros in Lexici formam componere conſtituerat, vti illud teſtatur Aubertus Miræus (†), qui & materiam hancce ab annis triginta paratam & Locorum communium libris collectam fuiſſe teſtatur, ob valetudinem autem & fatum præueniens non diſpoſitam & ordinatam, quæ omnino magnam antiquitatibus hisce lucem adferre potuiſſent, ſed cum eo interiere. Similiter & GVILIELMVS CHOVLIVS, Gallus, in duodecim libris omnem rem antiquitatum Romanarum abſoluere promiſit, quo ſe etiam tractatu ſuo de religione ſæpius refert, modo hunc, modo illum citans librum. Pleniorem autem de iis mentionem facit, (††) vbi de nummis Iani agit, atque ait: *illorum deſcriptio latius videbitur paſſim in duodecim libris, quos de antiquitatibus Romanorum conſcripſi. Et illud me hic liberabit a longiori huius iam facienda mentione, ſperans lectorem breui tempore ſatisfactum iri primorum librorum meorum inſpectione.* Geſnerus etiam eius in bibliotheca ſua mentionem facit, opus tamen nondum vidimus. Simili modo & celebris iſte medicus Auguſtanus, GEORGIVS HIERONYMVS VELSCHIVS inter ſcripta ſua edenda recenſet *antiquitatis ideam*, quam omnibus numeris ſe perfecturum dicit, ipſisque veterum monumentis quam optime illuſtraturum: aſt mul-

(†) *in vita deſcriptione p. m. 19.* (††) *p. m. 13.*

multa promiſit vir alias doctiſſimus, pleraque tamen adhuc vel ἀνέκδοτα, vel nondum elaborata. Operis iſtius etiam mentionem facit Lucas Schröckius in memoria Velſchiana (†).

§. V.

Eos ita qui vel compendia vel maiora ſyſtemata dederunt, vidimus, nunc etiam fontes, e quibus iſti ſua hauſerint, conſiderabimus. Illi vero ſcriptores vel antiqui ſunt vel noui. Inter antiquos eminet TITVS LIVIVS Patauinus, cuius ex CXL libros XXXV tantum habemus ſuperſtites, integrum tamen manuſcriptum extare dicitur Conſtantinopoli. Hic autem non hiſtoriam ſolum refert, in qua Polybium ſtrenue ſecutus, ſed & res ſacras atque profanas, magiſtratus etiam ſingulorum annorum, ita vt ad intelligendos Romanorum ritus quam plurimum conducat. Scriptor alias terſus atque in concionibus diſertus, in quo ſtylum hiſtoricum magis quam Patauinitatem reperies: illud tamen in eo deſideratur, quod non vbique iuſta annorum ſupputatione vſus fuerit, quod iam olim notauit Carolus Sigonius, cum Faſtos ſuos ederet. Liuii quidem cauſſam ſuſcepit Franciſcus Robortellus, in tractatu de conuenientia ſupputationis Liuianæ cum Marmoribus, cui tamen reſpondet Sigonius ſatis conſtanter: vtrorumque ſcripta contraria habentur in Tomo ſecundo Theſauri Critici Gruteriani. Editiones Liuii optimæ ſunt, quæ ex emendatione Franciſci Modii prodiit *Francofurti 1628* cura Iani Gruteri. f. cum notis variorum, cura Ioannis Friderici Gronouii *Amſtelodami 1664. 8* III Vol. & cum notis Ioannis Douiatii in vſum Delphini *Pariſiis 1679. 1680. 1681. 4* V to-

Scriptores antiqui.

B mis.

(†) *p. 71 & 72.*

mis. Alter eſt antiquitatum pater DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, qui Photio teſte, antiquitatum Romanarum conſcripſit libros XX, e quibus tamen vndecim priores tantum ſuperſunt, editio optima eſt Friderici Sylburgii, olim *Francofurti 1586* edita, nunc recuſa *Lipſiæ* 1691 f. licet prior ſit emendatior, quibus originem & potentiæ progreſſum Romanorum, variosque eorum ritus ſumma fide ac iuſto temporis ordine complectitur, quæ a Liuio omiſſa ſupplet, reliqua vberius deducit, atque fontes præcipuarum antiquitatum docet. Bini hi ſcriptores præ cæteris hic commendandi, in rebus ſacris præcipue & politicis, in quibus etiam nobis vtramque paginam faciunt. Elegans tamen quoque eſt & antiquitatibus hisce refertiſſima PLINII *hiſtoria naturalis*, in qua & ſedem & ortum plurium rituum & antiquitatum inuenies: optima editio eſt, quæ in vſum Delphini prodiit cura Ioannis Harduini, *Pariſiis 1685. 4* vel in eiusdem defectu, quæ cum notis variorum, *Lugduni Batauorum ex Hackiana* edita *1669. 8* III Vol. A. GELLII *noctes Atticæ* huc aliqua ex parte pertinent, dum præter grammattica, varias etiam antiquitates illuſtrant: optima editio eſt cum commentariis Antonii Thyſii & Iacobi Oiſelii *Lugduni Batauorum 1666. 8.* Sicut & veteres Grammattici, VARRO *de lingua latina*, SEXTVS POMPEIVS FESTVS *de verborum ſignificatione* & ISIDORVS in *Originum libris*, quos cum aliis coniunctim edidit Dionyſius Gothofredus *Geneuæ 1585. 4.* huc faciunt, quia dum verba enodant, varias quoque res deſcribunt. Antiquiſſimorum quorundam ſcriptorum vt PORTII CATONIS, Q. FABII PICTORIS aliorumque fragmenta collegit olim Ioannes Annius

nius Viterbienſis, Pariſiis 1512 f. quæ dein e Commeliniano prodierunt ſub titulo *hiſtoria antiqua anno 1599. 8* quæ quidem huc referenda, ſed dum fragmenta ſunt, parum illuſtrant, Annium etiam pleraque de ſuo finxiſſe inter eruditos fere conſtat. Immo vel omnes hiſtorici vel plerique poëtæ huc faciunt, quos tamen hic recenſere omnino longum foret. Non tamen obliuioni ſunt mandandi minores *hiſtoria Auguſta ſcriptores*, AELIVS inquam SPARTIANVS, IVLIVS CAPITOLINVS, VVLCATIVS GALLICANVS, AELIVS LAMPRIDIVS, TREBELLIVS POLLIO & FLAVIVS VOPISCVS, qui vitas Impp. ab Adriano vsque ad Diocletianum debita cura & fide deſcripſere. Ex iis enim optima rituum & magiſtratuum, qui ſub Impp. conſtituti, cognitio petitur. Editio præſtat, quæ cum notis Iſaaci Caſauboni, Claudii Salmaſii & Iani Gruteri *Lugduni Batauorum* impreſſa *1671. 8* emendatior & locupletior priori, quam curauit Cornelius Schreuelius *Lugduni Batauorum 1661. 8*, notas enim continet integras, easque egregias. Vnicum adhuc ex antiquis Græcis nominare liceat PLVTARCHVM Chæronenſem, qui præter quæſtiones græcas, edidit quoque *quæſtiones Romanas*, quas ſeorſim edidit græco-latinas MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS, *Lugduni Batauorum 1637. 4* libellus quidem exiguus, ſed qui certorum rituum rationes atque origines non male docet. Nec inter minimas faciendæ Guilielmi Xylandri & eiusdem Boxhornii in easdem animaduerſiones, huius etiam quæſtiones Romanæ, huic editioni adnexæ, in quibus varias inſcriptiones illuſtrare conatur, lapſus tamen eius quosdam, illuſtre Belgii decus, Io Georgius Græuius in prolegominis Tomi V cui iſtæ quæſtiones inſertæ, demonſtrat

B 2 §. VI.

§. VI.

Scriptores electorum & variarum lectionum.

Inter nouiores, qui ex antiquis talia quæ ad illuſtrandas antiquitates in genere faciunt, collegerunt, plures habemus, & inter hos quosdam electorum ſcriptores, vt IVSTVM LIPSIVM & eius diſcipulum PHILIPPVM RVBENIVM, vtrique ediderunt *electorum libros duos*, quibus præter multa ſcriptorum veterum loca reſtituta, varios quoque antiquitatum ritus ſparſim illuſtrant. Illius quidem, inter opera eius, quæ ad Criticam ſpectant, *Antwerpiæ 1600. 4* & alibi edita continentur, huius impreſſa ſunt *Antwerpiæ 1608. 4.* Antea iam IVLIVS BARBARANVS promptuarium rerum electarum præſertim in re Romana *Veronæ 1564* & *Venetiis 1569* ediderat 4, quem tamen Thomas Dempſterus criticum & compilatorem frigidum adpellat. Poſt hosce prodierunt CASPARIS GEVARTII *electorum libri tres, Lutetiæ 1619. 4* docti & commendatione digni, atque haut ita pridem OCTAVII FERRARII *electorum libri duo*, quibus & acceſſere *epiſtolæ & inſcriptiones, Patauii 1679. 4* qui præcipuam inter electorum ſcriptores laudem merentur. IOANNES MICHAEL DILHERRVS melior Theologus quam Philologus, *electorum* quoque libros tres edidit *Noribergæ 1644. 12*, quibus, vti titulus præfert, rituum tum ſacrorum, tum ſecularium farrago continetur, ſed parum illuſtrant. Idem dicendum erit de *diſputationibus* eiusdem *academicis*, quibus etiam aliquas antiquitatum Romanarum partes illuſtrare adgreſſus eſt, coniunctim iſtæ editæ proſtant *Noribergæ 1652. 4.* ALDVS MANVTIVS iunior ad variorum quæſita de antiquitatibus quibusdam breuiter quidem, aſt doctiſſime reſpondet libris III *de quæſitis per epiſtolam*, quæ continen-

nentur in tomo IV theſauri Critici per Ianum Gruterum collecti *Francofurti 1604. 8* qui & idem HADRIANI IVNII *animaduerſionum libros VI* continet, varias antiquitatum partes egregie illuſtrantes, & tomus ſecundus PETRI PITHOEI *aduerſariorum ſubſeciuorum libros duos*, qui ſatis de celeberrimi huius viri in hac ſtudiorum parte peritia teſtari poterunt. PETRI SERVII, medici Romani *iuueniles feriæ Romæ 1640. 8* editæ, præter alia, quæ huc faciunt egregia, ſingularia de Romanorum nominibus habent. Laudandus etiam GISBERTVS CVPERVS, qui in tribus *obſeruationum libris Vltraiecti 1670. 8* editis & multa ſcriptorum veterum loca emendat & varios ritus eruit. Cui iungendus & ANTONII BORREMANSII *variarum lectionum liber*, qui *Amſtelodami 1676. 8* prodiit, & veteres quosdam ritus non incomte eruit. Eiusdem ſunt *veſperæ Gorinchemenſes Amſtelodami* editæ *1687. 8.* quibus præter alia ex ſacris, de nominibus, die luſtrico, ominibus & prodigiis iisdemque procurandis, euocationibus deorum tutelarium & aliis egregie diſſerit. IOANNIS NICOLAI VVERNERI *corpusculum philologicum Arnſtadti 1662. 12* editum, quasdam quidem attingit antiquitates, pauci tamen eſt æſtimandum.

§. VII.

In eruendis autem atque illuſtrandis hisce antiquitatibus, nullo certo ſeruato ordine, prolixiores ſunt alii, inter quos primum locum merito damus ALEXANDRO AB ALEXANDRO, qui ſex conſcripſit *genialium dierum libros*, quos promptuarium antiquitatis veterisque hiſtoriæ eſſe ait Voſſius (†). Non negandum quidem, *Scriptores aduerſariorum maiores.*

(†) *de hiſtoricis latinis lib. III. c. VIII. p. m. 609.*

multum eundem præſtitiſſe in Romanorum antiquitatibus, nec tamen in omnibus eidem fides habenda, dum vel ex ſuo ingenio quædam eum finxiſſe, in aliis coniecturis nimium dediſſe, in quibusdam etiam ſcriptores non ſatis probatæ auctoritatis ſecutum fuiſſe, ex opere eiusdem accuratius penſitato conſtabit. Ita vt cum commune refugium hucusque hic Alexander fuerit, quo in Romanorum antiquitatibus recurrerent, multos vbique in harum illuſtratione defectus licet deprehendere. Multoties autem variis & locis & annis editum illud Alexandri opus fuit, optima tamen eſt editio, quæ cum notis Andreæ Tiraquelli, Dionyſii Gothofredi, Chriſtophori Coleri & Nicolai Mercati prodiit ex Hackiana *Lugduni Batauorum 1673. 8.* Inter quas maxime commendandæ Tiraquelli notæ, quæ etiam ipſos ſcriptores, ex quibus ſua hauſit Alexander, ſæpe adnotant. Etiam quodammodo huc pertinent COELII RHODIGINI *lectionum antiquarum libri XXX Francofurti 1599. f.* ADRIANI TVRNEBI *aduerſaria, Pariſiis 1580* & vaſtiſſimum *aduerſariorum opus* CASPARIS BARTHII *Francofurti 1624 & 1648 f* editum LX conſtans libris. Opera ſane virorum magnorum, quæ in illuſtrandis ſcriptorum veterum locis ſæpe ritus quosdam, breuiſſimis tantum verbis illuſtrant. Ita autem cum aduerſariis his atque ſimilibus comparatum, vt multa quidem illuſtrent egregie, ſed confuſim tradunt omnia, ſine vllo ordine, immo breuius ſæpiſſime, quam ſubiecta requirit materia. Hisce ſi adiungamus commentatores Grammaticos, forſan non aberrabimus. Inter quos eminet SERVIVS in *commentario ad Virgilium* primum *Venetiis 1492. f.* edito, poſt nitidiore charactere ex officina Abrahami Commelini

lini *Lugduni Bat. 1646. 4* & quæ cum eadem editione ſimul extant Aelii Donati notæ non inelegantes. Seruio ætate propior eſt Lutatius, vel vti Barthio & aliis LACTANTIVS PLACIDVS in *commentariis ad Statium*, quos ex Hygino, Seruio, paucisque aliis congeſſiſſe eum ait Barthius LAEVINI TORRENTII *commentarii in Horatium* multifaria eruditione ſunt referti, & ad illuſtrandos quosdam ritus mirum quantum conducunt, prodiere *Antvverpiæ 1608. 4.* Alia ex ratione bibliothecam Antiquitatum inſtruit *Theſaurus antiquitatum Romanarum*, qui inſigni IOANNIS GEORGII GRAEVII, celeberrimi viri, induſtria prodiit, & collectionem continet ſcriptorum variorum & meliorum, qui ad ſpeciales quasdam antiquitatum partes commentati ſunt: opus ſumtuoſum quidem, aſt egregium, prodire cœpit *Traiecti ad Rhenum 1694. f.* Duodecim autem tomis hoc opus abſoluitur, ſingulis ſecundum certas ſuas materias diſpoſitis. Primus quippe tomus illos ſcriptores continet, qui de Romanorum origine, ciuitatis iure, comitiis & ſenatu agunt, vtpote Octauium Ferrarium de origine Romanorum, Paullum Manutium de antiquo iure ciuium, comitiis & ſenatu Romanorum, Carolum Sigonium de antiquo iure ciuium Romanorum, imperio Romano, & lege curiata, Nicolaum Gruechium de comitiis Romanorum, cum ſcriptis inter eum & Sigonium contrariis, Ioannem Sarium Zamoſcium denique de Senatu Romano. Alter qui de legibus, SCtis, iudiciis, Latii & prouinciarum iure, coloniis etiam & præfecturis, nominibus item Romanorum ſcripſere. Sic Paullum Manutium & Antonium Auguſtinum de legibus Romanis, Carolum Sigonium de antiquo iure Italiæ, prouincia-

Theſaurus Græuianus.

cia-

ciarum, iudiciis & nominibus Romanorum, Sibrandum Tetardum Siccamam de iudicio centumuirali, Franciſcum Hottomannum de magiſtratibus, ſenatu, ſenatusconſultis & formulis antiquis apud Romanos, Nicolai Rigaltii, Iſmaelis Bullialdi & Henrici Valeſii obſeruationes de populis fundis, Onuphrium Panuinium de antiquis Romanorum nominibus, Ioſephum Caſtalionem de antiquis fœminarum & puerorum prænominibus. Tertius & quartus topographias vrbis Romæ a variis deſcriptas continet, Guidonem Pancirollum, Sextum Ruffum, Publium Victorem, Bartholomæum Marlianum, Onuphrium Panuinium, Georgium Fabricium, Alexandrum Donatum, Famianum Nardinum, & alios quoſdam, qui ſpecialia quædam vrbis Romæ monumenta illuſtrant, præmiſſis Franciſci Robortelli variis & Iunio Rabirio de haſta. Quintus comprehendit ſcriptores eos, qui ad Ius pontificium, ſimulacra deorum & ſacrorum ritus faciunt. Continet quidem Iacobi Gutherii de veteri iure pontificio vrbis Romæ libros quatuor, Io. Andreæ Boſii de pontifice & pontificatu maximo exercitationes duas, Michaelis Angeli Cauſſei varia deorum ſimulacra & figuras ſacrorum, Auguſtini Niphi de auguriis libros, Iulium Cæſarem Bulengerum de ſortibus, auguriis & auſpiciis, ominibus, prodigiis, terræ motu & fulminibus, Ioannis Baptiſtæ Belli de partibus templi auguralis diatribam, Ioannem Pierium Valerianum de fulminum ſignificationibus, Iuſtum Lipſium & Ezechielem Spanhemium de Veſta, Hieronymi Aleandri antiquæ tabulæ marmoreæ ſolis effigie ornatæ explicationem, Ioannem Baptiſtam Hanſenium, Stephanum Trelicrium & Erycium Puteanum de iuroiurando veterum libros, Plutarchi & Marci Zuerii Boxhornii

quæ-

quæſtiones Romanas. Sextus continet ſcriptores rei veſtiariæ, Lazarum Bayfium, Octauium Ferrarium, & Albertum Rubenium. Præter hosce Ioannem Baptiſtam Donium de vtraque pænula, Bartholum Bartholinum de pænula, Aldum Manutium de toga, tunica atque tibiis Romanorum & Theophilum Raynaudum de pileo, quibus præmiſſi Franciſcus Bernardus Ferrarius de veterum adclamationibus & plauſu, Petrus Berthaldus de ara, Benedictus Bacchinus de ſiſtris, Caſpar Sagittarius de ianuis veterum. Septimum occupant ſcriptores de gentibus atque familiis, Richardus Streinius, Antonius Auguſtinus & Fuluius Vrſinus, Pancirolli notitia imperii vtriusque, & Valerii Chimentelli marmor Piſanum de honore biſellii. Octauum autem faſtorum Calendarium ſcriptores implent, quos ſuo loco referemus, & præter hos Iulius Cæſar Bulengerus de tributis ac vectigalibus populi Romani, Vincentii Contareni de frumentaria Romanorum largitione liber, Io. Schefferi Agrippa liberator, ſiue diſſertatio de nouis tabulis, Barnabas Briſſonius de ritu nuptiarum & iure connubiorum, Antonii Hottomanni de veteri ritu nuptiarum obſeruatio, Ioannes Meurſius & Stanislaus Kobierzyckius de luxu Romanorum, Ioachimus Ioannes Maderus de coronis nuptiarum præſertim, ſacris & profanis. Nonus continet Onuphrii Panuinii de ludis Circenſibus, triumpho & ludis ſecularibus libros, Iulium Cæſarem Bulengerum de Circo Romano, ludis Circenſibus, venatione Circi, amphitheatris ac theatris, Ageſilaum Mariſcottum de perſonis & Laruis, Marquardi Freheri cecropiſtromachiam ex ſardonyche exhibitam, Iuſti Lipſii ſermones Saturnales. Decimus tomus ad rem militarem Romanorum facit, in quo primus eſt

C Nico-

Nicolaus Bergerius de publicis & militaribus imperii Romani viis, poſt quem Franciſcus Patritius de re militari veterum Romanorum, Ratbodus Hermannus Schelius in Hygini Gromaticum, Fragmentum Salmaſii de re militari Romanorum, Io. Henrici Bœcleri de legione Romana diatribe, Franciſcus Robortellus de legionibus Romanorum, commodis, præmiis, donis ac pœnis militum. Erycius Puteanus & Vincentius Contarenus de ſtipendio militari Romanorum, Michael Angelus Cauſſeus de ſignis militaribus, Petrus Ramus de militia C. Iulii Cæſaris. Vndecimus præfert Ezechielis Spanhemii orbem Romanum, ſeu ad conſtitutionem, de qua Vlpianus l. 17 ff. de ſtatu hominum agit, exercitationes duas, Faſtos Capitolinos, Idatianos & alios anonymi, Proſperi item Chronica, cum aliis ad rem Conſularem pertinentibus, Sertorium Vrſatum de notis Romanorum & ſcriptores præcipuos de monetis, ponderibus & menſuris; Ludouicum Sauotum, Marquardum Freherum, Robertum Cenalem, Lucam Pætum, Alexandrum Sardum, Priſcianum Cæſarienſem, Rhemnium Fannium, Bedam, Voluſium Mætianum & Balbum. Duodecimus varios ſcriptores continet: Vincentium Batium de calido, frigido & temperato, Iulium Cæſarem Bulengerum de conuiuiis, Cœnam liberam in paſſione S S. Perpetuæ & Felicitatis, Erycii Puteani reliquias conuiuii priſci, Andream Baccium de thermis veterum, Franciſcum Robortellum de ſudationis explicatione, Franciſci Mariæ Turrigii notas ad vetuſtiſſimam Vrſi Togati inſcriptionem, Martini Lipenii ſtrenarum hiſtoriam, Marcum Meibomium & Conſtantinum Opelium de fabrica triremium, Iſaacum Voſſium de triremium & Liburnicarum conſtructione, Iacobum

bum Philippum Thomaſinum de donariis ac tabellis votiuis, Io. Schefferum de antiquorum torquibus, Vincentium Alſarium de inuidia & faſcino veterum, Mich. Angeli Cauſſei figuras vaſorum variorum & inſtrumentorum, Oct. Ferrarium de lucernis. Simile quid antea iamdum egerat de ſcriptoribus Italicis GAVDENTIVS ROBERTVS, qui *miſcellanea Italica erudita* tomis IV collegit & edidit *Parmæ 1690. 1691, & 1692. 4* quibus Robortelli, Conſtantini Landi, Ioſephi Caſtalionis omnia & Pauli Manutii, Onuphrii Panuinii, Andreæ Alciati quædam comprehenſa ſunt. Alter tomus Seruii iuueniles ferias, Mariſcottum de laruis, Liceti miſcellanea erudita, Alexandri Sardi de moribus & ritibus gentium libros tres, Bonauenturæ Caſtilionæi, Mediolanenſis, Gallorum Inſubrium antiquas ſedes, & Aeneæ Vici de numiſmatibus antiquorum libros II continet. Tertius tomus præter Manutium de legibus & Gyraldum de vario ſepeliendi ritu, Venerium de oraculis & alia continet, quæ ad ſcriptores hiſtoriæ Romanæ & ordinem eandem legendi faciunt. Quartus denique Manutii tractatum de Comitiis præter alia, quæ huc non faciunt, exhibet.

§. VIII

Harum quoque antiquitatum vſum ad melius explicanda ea, quæ in maioribus, quas vocant, diſciplinis occurrunt, oſtendunt Scriptores aliquot inſignes. Quantum ad Theologiam quidem, MARTINVS DE ROA, Cordubenſis ſcripſit *ſingularia locorum ac rerum ſcripturæ ſacræ*, in partes duas diſtincta, quarum prior libros VI, adiecto libro VII de die natali ſacro & profano, altera libros IV continet, emendatior editio prodiit

Scriptores, qui Theologiam ex antiquitatibus illuſtrant.

Lugduni 1667. 8 quibus varia S. ſcripturæ loca ex aliarum gentium ritibus & profanis ſcriptoribus explicantur. Electa autem ſunt ſacra, quæ diſperſas continent materias, non quidem ſecundum ordinem librorum ſacri codicis diſpoſitas, quem defectum tamen index ſupplet, egregia alias. Idem ex Britannis egit IOANNES DOVGHTEIVS Anglus, qui edidit *analecta ſacra, ſiue excurſus philologicos in varia S. Scripturæ loca* primum *1658* edita, poſt adiectis NORTONI KNACHBVL *animaduerſionibus in N. T. Amſtelodami 1693. 8.* Non minora præſtitit IOANNES PRICAEVS in *adnotationibus in varios noui teſtamenti libros*, acceſſere adnotationes in pſalmos, *Londini 1660. f.* quibus non ſolum textus græcus explicatur, ſed & eiusdem phraſeologia cum profanorum ſcriptorum locutionibus amœne comparatur. Non quidem ad ſacra fidei myſteria hæc faciunt, ad melius tamen intelligendum ſenſum litteralem conducunt. Pricæo autem qui ex latere tantum huc pertinet, ZACHARIAM BOGAN addimus, cuius *Homerus hebraizans* continet comparationem Homeri cum ſcriptoribus ſacris quoad normam loquendi, prodiit *Oxonii 1658.* Prodierunt poſt hæc *epiſtolæ Theologicæ 1680. 12* ſub tecto nomine LIBERII DE SANCTO AMORE, quibus auctor hiſtoriam, opinionem & ritus ſacros cum profanis conferre inſtituit, ſed non abſoluit, ſola tantum ſtyli collatione inſtituta. Nemo melius autem hanc rem perfecit quam IOANNES BOMPARTIVS, Genabenſis Gallus, cuius ſunt *parallela ſacra & profana, ſiue notæ in Geneſin, Amſtelodami 1689. 4* editæ, quibus non ſolas locutiones vti iam dicti, ſed & exempla, ſacra, hiſtorias, mores, ritusque ex ſcriptis tum ſacris

ſacris tum profanis quam doctiſſime confert. Originem huius conuenientiæ exinde ducit auctor in præfatione, quod plurima ethnici hauſerint e ſcriptis Moſis, quæ in ſuum dein vſum tranſtulerint, idemque olim adgnouiſſe patres ait: Reliquos IV Moſis libros ſe eodem modo illuſtraſſe adſerit, quos tamen adhuc expectamus. SAMVELIS BOCHARTI ſcripta quam inſignia, omnibus conſtat. *Geographia* inprimis *ſacra, Cadomi 1651. f.* primum, eiusdemque *Hierozoicon Londini 1663. f.* impreſſum, poſt opera eius omnia, Phaleg, Canaan & Hierozoicon cum variis diſſertationibus antea ineditis coniunctim prodiere cura Ioannis Leusdenii & Petri de Villamandy, *Lugduni Batauorum 1692. f.* quæ non veterum ſolum cacozeliam, ſed & quantum e profanis ſcriptoribus Scriptura ſacra illuſtrari poſſit, egregie docent. Eodem quoque, quo priores inſtituto, plantas etiam, mineralia atque gemmas, quorum in ſacro codice fit mentio, illuſtrare conſtituerat, ſed morte præuentus collectanea eius in amici, Stephani le Moyne manus incidere, quæ adhuc exſpectat eruditus orbis. Prima ni fallor, alias e ſcriptis gentilium explicandi quasdam ſcripturæ ſacræ pericopas fundamenta iecit HVGO GROTIVS, Delphenſis, & quidem in præfatione ſua ad Stobæi florilegium *Pariſiis 1623. 4* editum, vbi occupatus eſt, aliquot e morali diſciplina & Theologia partes ethnicorum cum Chriſtianis conferre. Quantum vero ad noſtras antiquitates in *adnotationibus* ſuis *ad Euangelia, Amſtelodami 1641. f.* editis, & quæ poſt hasce editæ *in Vetus Teſtamentum*, varios veterum ritus inſpergit. Illud quoque olim feliciſſime egit DANIEL HEINSIVS, in *ſacrarum exercitationum ad N. T. libris*

Digitized by Google

XX. qui cum Ariſtarcho eius ſacro prodierunt Lugduni Batauorum 1639. f. qui & in hoc & in illis varia ſcripturæ loca ex antiquitatibus gentilibus ſumma laude & induſtria illuſtrat. THEODORI IANSENII AB ALMELOVEN breuis quidem ſed eruditus eſt tractatus, quem inſcripſit *Opuſcula, ſiue antiquitatum e ſacris profanarum ſpecimen*, cui adnexit coniectanea, veterum poëtarum fragmenta quædam & plagiariorum ſyllabum, prodiit *Amſtelodami 1686. 8.* Inter Italos habemus ALOYSII NOVARINI *electa ſacra*, quibus ex Perſarum, Græcorum, Romanorum aliorumque populorum ritibus nonnulla ſcripturæ loca illuſtrantur, prodiere *Lugduni 1636. f.* atque inter eruditos non minimi ſunt pretii. E noſtris pariter id egi IOANNES CONRADVS DIETERICVS, in *antiquitatum Biblicarum libris tribus*, ſecundum ordinem librorum atque capitum Sacræ Scripturæ diſpoſitis, quorum ſpecimen primum prodiit *Marpurgi 1642. 4.* Poſt obitum eius dein ipſum opus a Ioanne Iuſto Piſtorio editum *Gieſſæ 1671. f.* Similia & proponit IOANNES HENRICVS VRSINVS in *analectis ſacris, Francofurti 1658. 8.* editis & in ſylua Theologiæ ſymbolicæ.

§. IX

Scriptores de Antiquitatibus iuris. E Iureconſultis non paucos quoque habemus, eosque ſane fere omnes commendatione dignos. Inter Gallos plures ſunt, & quidem primo loco commendandus BARNABAS BRISSONIVS, cuius *ſelectarum ex Iure Ciuili antiquitatum libros* quatuor ex editione quinta *Heidelbergæ 1664. 8* facta habemus. Immo pleraque alia eius opera, quæ *Pariſiis 1607. 4* ſimul edita, ad illuſtrandum Ius ciuile ex antiquitatibus faciunt, quæ ſuo quo-

quoque loco inſeremus. Inprimis vero egregium eius opus eſt *de formulis & ſolennibus populi Romani*, libris octo comprehenſum *Pariſiis 1583. f. Francofurti 1592 & Moguntiæ 1649. 4* impreſſum, quo omnes tum in ſacris tum ciuilibus, tum etiam militaribus occurrentes formulas congeſſit, adductis ipſis veterum teſtimoniis quamplurimis, ita vt manca plane abſque eius ope tam vtilis ad enodandos veterum ritus cognitio fuiſſet. Omni etiam deprædicatione digniſſimus eſt IACOBVS CVIACIVS, cuius elegantiorem litteraturam non ſolum omnia eius Opera, quæ V voluminibus, additis & poſthumis, comprehenſa collegit Carolus Annibal Fabrottus *Pariſiis 1658. f.* tum vel maxime *Obſeruationum libri XXIV* quos ad XL vsque perducere decreuerat, *Coloniæ 1596* & ſæpius editi teſtantur, digni vt omnium manibus terantur. Eius diſcipulus PETRVS FABER veſtigia præceptoris ſui ſtrenue legit, atque edidit nunquam ſatis commendatos *Semeſtrium libros tres*, ſucceſſiue editos, Lutetiæ, Lugduni & Coloniæ impreſſos, optima vero videtur Lugdunenſis *1595. 4* quibus, maxime vero libro tertio, ad ductum quarundam legum, in amœniſſimum hunc antiquitatum campum digreditur, & tum leges, tum ad illas pertinentes antiquitates e ſcriptoribus Romanis Græcisque pro merito illuſtrat. DESIDERIVS HERALDVS hosce ſequitur, qui in *quæſtionibus ſuis quotidianis Pariſiis 1650. f.* editis, aliquas iuris partes de legitimatis maxime, expoſitione infantum, nothis ſpuriiſpue ex antiquitatibus hisce explicat. Idem quoque egit in *animaduerſionibus* ſuis *ad ius Atticum & Romanum* cum iisdem editis. Opus vti alia quoque Heraldi, maxime quæ in patres quosdam com-

commentatus eſt, omni eruditione refertiſſimum. Huc quoque pertinent GVILIELMI FORNERII *ſelectionum libri duo, Hanouiæ 1597. 8* editi & quæ inſignem eruditionem ſapiunt AEGIDII MENAGII *amœnitates iuris, Pariſiis 1664* & auctiores *1677* tandem *Lipſiæ 1680. 8* editæ, quæ tamen ad criticam potius ſpectant. Immo ipſas quoque Iuris Ciuilis leges eiusdemque praxin per antiquitates interpretari adgreſſi ſunt alii. ANTONIVS quidem MORNACIVS edidit *obſeruationes ad XXIV libros π & IV Codicis, Pariſiis 1631. f.* quibus leges ex fontibus ſuis, primæuis ſcriptoribus ſcilicet, tum Romanis tum Græcis deducit, easque ſolidiſſime explicat. Quin & tres poſteriores Codicis libri toti fere, quæ ad antiquitates haſce, politiam imperii Romani & magiſtratus ſub Imperatoribus conſtitutos ſpectant, docent, & absque harum cognitione ſolide intelligi atque explicari non poſſunt. Ipſam quoque Iuris Ciuilis praxin PETRVS AERODIVS, quæſtor Andegauenſis, exemplis ex antiquitate deductis, clariorem reddere nititur in *Pandectis rerum iudicatarum*, quæ primum *Pariſiis 1615*, dein iterata editione cura Philippi Andreæ Oldenburgeri prodierunt, *Geneuæ 1677 f.* & ſola veterum in variis caſibus facta præiudicia continent. Opus elegantiſſimum, cui nil deficit, niſi quod auctor allegationes, e quibus ſua hauſerit, omiſit. Subiungimus Iureconſultum noſtrorum temporum conſummatiſſimum IACOBVM GOTHOFREDVM, qui etiam Corpus antiquitatum iuridicarum meditatus fuit, de quo vero præter ideam operis nihil vidimus, vti Morhofius (†) teſtatur. Sane huncce componendo eiusmodi ope-

(†) *Polybiſtor. p. m. 247.*

operi dignu. udicaſſem aut nullum, quippe raram eiusdem doctrinam & in elegantioribus litteris ſummam peritiam ſatis ſuperque teſtantur aurei eiusdem *Commentarii in Codicem Theodoſianum*, qui prodiere *Lugduni 1665. f.* Inter Belgas tum ob argumenti tum ob famæ paritatem primo loco nominare liceat illuſtrem virum HVGONEM GROTIVM, qui peculiares quasdam leges ex vniuerſo Iure Iuſtinianeo, Inſtitutis, Pandectis, Codice & edictis, iuſto ordine ſecundum libros & titulos diſpoſito, ex antiquitatibus ita illuſtrat, vt verum exemplar eſſe poſſit, leges non niſi cognitis Romanorum antiquitatibus vere poſſe explicari. Titulus autem libri talis eſt: *Florum ſparſio ad Ius Iuſtinianeum*, prodiit prima & optima editio *Pariſiis 1642. 4* dein recuſa *Amſtelodami 1643. 12.* Cui ſubiungimus IACOBI RAEVARDI *variorum, ſiue de iuris ambiguitatibus libros V, Francofurti 1605. 8* editos, qui ad antiquitates iuris ſæpius quoque faciunt. Dantur & inter Italos viri non minus hac in parte clari. Primus inter eos laudari omnino meretur GVIDO PANCIROLLVS, qui *Theſaurum variarum lectionum vtriusque iuris* conſcripſit in IV libros diſtinctum, quo intricatiſſimas leges ex ipſo antiquitatum fonte eruditiſſime explicat, editus eſt *Venetiis 1611. f* & *Lugduni 1617. 4.* Diſcipuli eius LAVRENTII PIGNORII Patauini, *ſymbolarum epiſtolicarum liber*, in quo nonnulla ex antiquitatum Iuris Ciuilis & hiſtoriæ penu depromuntur & illuſtrantur, Pataui prodiit *1628. 8.* Ex Hiſpanis vnicum nouimus FRANCISCVM AB AMATA, qui ſcripſit *obſeruationes Iuris Geneuæ 1633. 4*, quibus ſæpius quidem ad illuſtrandas peculiares iuris materias, quas proponit, in antiquitatum hunc campum deſcendit,

dit, plura tamen ſub titulis promittit, quam præſtat, farraginem prætérea ſcriptorum Hiſpanorum rudi mole conſarcinat. E noſtris, non tamen eodem, quo priores, adparatu habemus CHRISTOPHORI COLERI *parergorum ad varios* π. *& Codicis locos, librum ſingularem, Altdorffi ex editione ſecunda 1664. 8.* Non inutilis quidem liber, arrident tamen magis SCIPIONIS GENTILIS *parergorum ad* π. *libri II & Originum liber ſingularis, Altdorfi 1664. 8.* Vtrosque ſuperat induſtria CASPARIS MANTZII, qui ſcripſit *fundamenta vrbis & orbis, Auguſta Vindelicorum 1673. f.* quibus iuris publici tum Romani tum Germanici fundamenta elegantiſſime docet.

§. X

Scriptores Antiquitatum medicarum.

Nec deſunt etiam, qui medicæ artis antiquitates nobis tradidere, qua de re Halæ ante triennium diſſertatione publica egit CHRISTOPHORVS CELLARIVS, præceptor olim venerandus. Inter veteres quidem ſcriptores aliquos habemus, qui huc faciunt, inter quos PLINIVS eminet, de quo ſupra iam actum, ad quem vaſtiſſimum opus edidit CLAVDIVS SALMASIVS, ſub titulo *Plinianæ exercitationes in C. Iulii Solini Polyhiſtora,* primum *Pariſiis 1629* dein adiectis aliis, *Traiecti 1689. f.* editæ, quibus quidquid fere ad rem medicam ex antiquitate illuſtrandam pertinet, abſoluit, nec tamen in medicis ſolum ſubſiſtit ὁ πάνυ, ſed integrum locorum ſuorum communium theſaurum hoc opere exhauſiſſe videtur. Acceſſerunt vltimæ editioni eiusdem exercitationes de homonymis hyles iatricæ antehac ineditæ, quibus herbarum diverſa nomina ex antiquis deducit ſcriptoribus, atque de manna & ſaccharo

com-

commentarius. Coæui ſunt CORNELIVS CELSVS & SCRIBONIVS LARGVS, illius quidem latinitatem magis æſtimandam quam medicinam ait Heurnius, extat editio Ioannis Antonii van der Linden, *Lugduni Batauorum 1657. 12* ſed quæ magis placet Theodori Ianſenii ab Almelouen, *Amſtelodami 1681. 12. In Scribonium* autem eruditiſſimas edidit *animaduerſiones* IOANNES RHODIVS, quæ vna cum lexico Scriboniano prodierunt *Patauii 1655. 4*, quibus balnea, aliasque medicinæ veterum partes e monumentis antiquis, quam elegantiſſime illuſtrat. Celſi quoque editionem ipſe meditatus eſt, quæ tamen lucem non adſpexit. Simile quid olim quoque ſuſceperat THOMAS BARTHOLINVS, collatis ad manuſcriptorum plurium fidem impreſſis Scribonii exemplaribus, perfectas tamen iamiam in eundem notas, emendationes atque indicem, ferali flamma abſumta eſſe conqueritur (†). Non male quidem, licet non eadem qua Rhodius induſtria, ROBERTVS KEVCHENIVS *Q. Sereni Sammonici de medicina præcepta ſaluberrima illuſtrauit, Amſtelodami 1662, 8*. Inter nouiores elegans eſt IOANNIS BEVEROVICII *idea medicinæ veterum, Lugduni Batauorum 1637. 8*, quæ quid circa ſingulas medicinæ partes apud veteres obtinuerit, e ſcriptoribus antiquis deducit. IOANNES NEANDER Bremenſis edidit *ſyntagma, in quo medicinæ natalitia, ſectæ, placita, propagatores & hiſtoria continentur, Bremæ 1623. 4*, iniquius tamen de hoc auctore iudicium eſt Philippi Labbei, plagii & variorum errorum illum incuſantis. LVDOVICVS NONNIVS in *diætetico, ſiue de re cibaria libris IV, Antwerpiæ 1677. 8* editis, quidquid ex antiqui-

D 2

(†) *de incendio Bibliotheca p. m. 56.*

Digitized by Google

tiquitatibus ad rem cibariam pertinet, collegit. Eodem inſtituto IOANNES BRVTERINVS *de re cibaria* congeſſit *libros XXII*, quibus omnia ciborum genera Romanarum aliarumque gentium moribus vſu olim probata complectitur, proſtant *Lugduni 1560. 8.* HIPPOCRATIS magni *Iusiurandum* recenſuit & doctiſſimo commentario illuſtrauit IOANNES HENRICVS MEIBOMIVS, *Lugduni Batauorum 1643. 4*, quo medicorum dignitatem, eorundemque officii partes, quæ olim fuerint, elegantiſſime comprehendit. Ad collectanea medicinæ antiquariæ pertinet IOANNIS TALENTONII *Variorum & reconditarum rerum theſaurus*, in IV libros diuiſus, *Francofurti 1605. 8* editus, quo multa ad medicinæ dignitatem facientia ſcriptorum loca illuſtrat. Idem egit CASPAR A REIES in *Elyſio iucundarum quaeſtionum campo, Bruxellis 1661. f.* & *Francofurti 1670. 4* impreſſo, qui centum quæſtiones medico-phyſicas continet, quas vel ex antiquitatibus, potiores tamen ex cauſſis naturalibus deducit. Non plane contemnendus eſt liber, licet trita multa contineat. Immo & ad interioris doctrinæ, Chymiæ inquam hiſtoriam, Romanæ antiquitates aliqua ex parte conducunt. Oſtendit illud OLAVS BORRICHIVS, vir & elegantioribus hisce ſtudiis, & Chymiæ ſacris initiatus, in ſcriptis ſuis, quæ contra Conringium edidit. Primum eſt *de ortu & progreſſu Chymiæ, Hafniæ 1668. 4* alterum *de Hermete Aegyptiorum, Hafniæ 1674. 4* editum, quibus chymicæ artis antiquitatem & veritatem non ab Ægyptiorum ſolum ſacris, ſed & ab ipſis Græcis atque Romanis elegantiſſime deducit. IACOBVS TOLLIVS hunc ſecutus, qui in *Fortuitis* ſuis præter alia critica, hiſtoriam Græcorum,

Phœ-

Phœnicum & Ægyptiorum fabularem, quæ & ipſa inter antiquitates Romanas ſæpius locum inuenit, ad Chymica ducit, in multis quidem egregius eſt, quædam vero, quæ comparat, non ſatis conueniunt, prodiere autem hæc fortuita *Amſtelodami 1687. 8.*

§. XI.

Quid quod & philoſophiæ proprie ſic dictæ antiquitates ſunt qui illuſtrant: Egregie id egit DIOGENES LAERTIVS in libris X græce ſcriptis *de vita & moribus Philoſophorum*, editio eſt optima, quæ ex interpretatione Aldobrandini cum notis eiusdem & Caſauboni vtriusque Iſaaci & Merici, ampliſſimis denique Ægidii Menagii commentariis, cura Ioannis Pearſoni prodiit *Londini 1664. f.* poſt iterata editione cura Marci Meibomii, *Amſtelodami 1692 4.* Idem inſtitutum perſecutus eſt EVNAPIVS Sardianus, libro vno *de vitis philoſophorum & Sophiſtarum*, qui græce & latine cura Hieronymi Commelini prodiit *1596. 8.* poſt cum verſione latina Hadriani Iunii, *Coloniæ Allobrogum. 1616. 8.* Quod ſi huc quoque excellentiſſimum SEVERINI BOETHII ſcriptum *de conſolatione philoſophiæ*, libris V conſtans, retulerimus, forſan non aberrabimus, quod cum operibus eius prodiit *Baſileæ 1570. f*, & aliquoties quoque ſeparatim impreſſum, optima tamen eſt editio, quam Ioannes Bernartius recenſuit & commentario illuſtrauit, prodiit *Antwerpiæ* ex Plantiniana *1607. 8.* Notæ enim, quas habet, ſunt egregiæ, licet nec etiam contemnendæ Ioannis Murmelii & Rudolphi Agricolæ notæ aliis editionibus additæ. Alios, quos adducere quidem poſſemus, prætermitti-

Scriptores antiquitatum Philoſophicarum

mittimus, dum ad bibliothecam philoſophicam potius ſpectant.

§. XII.

Collectores Inſcriptionum antiquarum.

Tandem conſideranda venient ea ingenii monumenta, quæ ipſa, quæ arte facta exhibent vel illuſtrant, hæc enim cum oculis inſpicere vel manibus tangere nobis datum non ſit, de ſcriptoribus, qui ea oculis noſtris expoſuerunt, quædam dicenda erunt. Diuerſi autem ſunt iſti, alii enim vndique talia collegere, inter quos primus, quem nouimus, forſan eſt IACOBVS MAZOCHIVS, Romanæ academiæ bibliopola, qui *epigrammata ſiue inſcriptiones antiquæ vrbis* congeſſit *Romæ 1521, f.* Eundem ſecutus PETRVS APIANVS, qui nobis dedit *inſcriptiones ſacroſanctæ vetuſtatis non Romanæ tantum, ſed totius fere orbis*, adminiculante BARTHOLOMAEO AMANTIO, prodiere *Ingolſtadii 1534. f.* quas tamen cum prioribus dubiæ in plerisque fidei eſſe non immerito vult Antonius Auguſtinus. IANVS IACOBVS BOISSARDVS *Antiquitatum Topographiæ Romanæ partes ſex* edidit, e quibus duæ priores quorundam ſcripta de vrbe Roma continent, reliquæ vero partes, lapides, ſtatuas, muſiua aliasque antiquitates per Boiſſardum collectas & per Theodorum de Bry elegantiſſime æri inciſas repræſentant, prodiere *Francofurti 1597. f.* MARTINVS SMETIVS, Brugenſis collegerat *inſcriptiones antiquas*, quæ paſſim per Europam reperiuntur, & cum Iuſti Lipſii auctario prodierunt *Lugduni 1588. f.* Omnium tamen curas atque operas ſuperat *Inſcriptionum Romanarum corpus abſolutiſſimum*, Ioſephi Scaligeri auſpiciis ab Hieronymo Commelino incoatum, a IANO GRVTERO vero abſolutum, prodiit in Com-

Commeliniano *1616. f.* Ioſephus enim Scaliger Smetii continuationem ſuſceperat, atque ex vniuerſa Europa collecta epigrammata ad Hieronymum Commelinum transmiſerat, vt eadem ex præſcripto diſpoſita publici iuris faceret, quo morte præuento cura hæc ad Gruterum delata eſt, qui præter transmiſſa a Scaligero multa alia tum ex editis ſcriptis, tum ex ſchedis adhuc ineditis congeſſit, maiori tamen quam priores fide, atque vtiliſſimum hoc opus, celeberrimorum virorum ope adiutus, iuſto ordine digeſſit, & adiectis Ioſephi Scaligeri XXIV indicibus adornauit. Ad eundem ſupplendum facit THOMAE REINESII *ſyntagma Inſcriptionum Romæ veteris, Lipſiæ 1682. f.* editum, quod illas, quæ in Grutero omiſſæ, inſcriptiones continet, adiectis doctiſſimis commentariis, quibus Gruterianum opus deſtitutum, eodem alias, quo illud ordine digeſtum. Quod ſyntagma cum neceſſariis indicibus deſtitueretur, illi tandem ſequenti anno prodierunt. Elaboratum quoque ab eodem, nondum vero editum eponymologicum, quod pro merito laudant Acta Eruditorum, (†) dum expleram omnibus numeris & partibus cognominum Romanorum notitiam ſuppeditare poſſe dicunt. Feliciſſimum in illuſtrandis inſcriptionibus fuiſſe Reineſium teſtantur tum eius *variarum lectionum libri tres*, qui prodiere *Altenburgi 1640. 4.* tum eius *ad Caſparum Hofmannum & Chriſtophorum Adamum Rupertum epiſtolæ, Lipſiæ 1660. 4.* editæ, & quæ haut ita pridem prodiere *ad Boſium* noſtrum ſcriptæ, *Ienæ 1699. 12*, licet ea, quæ in prioribus huc faciunt, pleraque ſyntagmati fuerint inſerta. Poſt hunc IACOBVS SPONIVS maxima in hiſce præſtitit, edi-

(†) *menſ. Aprili 1682. p. m. 91.*

edidit enim *Miſcellanea erudita antiquitatis*, in quibus marmora, ſtatuæ, muſiua, toreumata, gemmæ, numiſmata, Grutero, Vrſino, Boiſſardo, Reineſio aliisque antiquorum monumentorum collectoribus ignota, & hucusque inedita referuntur atque illuſtrantur. In decem autem ſectiones diſtincta fuere, e quibus prima *Lugduni 1679* prodiit, ſecunda & tertia *1683*, reliquæ *1685. f.* Elegantisſimum eſt opus, multa enodans egregie. Varia quoque inſignia monumenta idem auctor collegit & illuſtrauit in libro Gallico, cui titulus, *Recherches curieuſes d'antiquité*, qui prodiit *Lugduni 1683. 4*, & in alio, quod eiusdem & GEORGII VVHELERI, nobilis Angli cura prodiit ſub titulo, *Voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grece & du Levant à Amſterdam 1679. 12*, in quibus multa illuſtrat ſingularia. Illuſtris vir MARQVARDVS GVDE, Inſcriptionum quoque opus collegerat, quod incomparabile vocat Morhofius, (†) idque in publicum proferri optat Meibomius (††). Incidit autem hoc manuſcriptum aliquot mille continens inſcriptiones ineditas in manus Græuii, a quo auide hæc exſpectat eruditus orbis. *IOANNIS BAPTISTAE FERRETTI muſæ lapidariæ* huc quoque faciunt, *Veronæ 1672. f.* editæ, quæ tamen multa continent ſpuria. Ex quo & aliis, quos memorauimus, GVILIELMVS FLEETVVOOD Anglus, ſelectiores quasdam collegit, atque in quinque claſſes digesſit, adiectis breuibus commentariis, ſub titulo *Inſcriptionum antiquarum ſylloge, Londini 1691. 8.* Induſtria viri laudanda quidem, nec tamen ſine næuis eſt, vel in obtruſis quibusdam ſuppoſititiis, quas ex Ferretto

(†) *polyhiſt. lib. I. c. VII. in f.*
(††) *in addit. ad Vogleri introduct. p. m. 162.*

retro potiſſimum hauſiſſe ipſe in præfatione confitetur, tum quod & alias non ſatis iuſte expreſſerit. Indicibus quoque deſtituitur, ad hæcce tamen admodum neceſſariis, tum ſcriptorum e quibus deſumtæ, tum etiam nominum propriorum. Adiecti tamen breues commentarii, qui inſcriptiones quasdam illuſtrant. Adiicimus adhuc *SERTORII VRSATI marmora erudita* cum explanationibus quorundam, quæ vel in Grutero continentur, vel poſthac reperta fuere, prodiere italice *Patauii 1688. 4.* qui liber multa continet non vbiuis obuia. Nuperrime demum vidimus *RAPHAELIS FABRETTI*, Caſparis filii, *inſcriptionum antiquarum, quæ in ædibus paternis adſeruantur, explicationem & additamentum, Romæ ex officina Dominici Antonii Herculis, 1699. f.* quæ explicatio vti magna cum cura elaborata, ita adplauſum apud eruditos meruit non minimum.

§. XIII.

Sed & quæ ad particulares tantum quasdam antiquitatum partes pertinent, inſcriptiones illuſtratas habemus. *Athleticas* quidem edidit & notis illuſtrauit *OCTAVIVS FALCONERIVS, Romæ 1668. 4.* Eas autem, quæ ad vota & donaria ſpectant, eleganter explicauit IACOBVS PHILIPPVS THOMASINVS, in erudito tractatu *de donariis ac tabellis votiuis, Patauii* edito *1654. 4.* Sepulcralia monumenta illuſtrauit *IOSEPHVS MALATESTA GARVFFIVS* in *lucerna lapidaria*, quæ titulos, monumenta, epitaphia, inſcriptiones ac ſepulcra tum gentilium, tum Chriſtianorum in via Flaminia & Arimini ſcrutatur, prodiit *Arimini 1691. 4.* Statuas vero, gemmas & ſculpturas, præter ea, quæ iam *Scriptores, qui particulares quasdam inſcriptiones illuſtrarunt.*

Scriptores de ſta-

Digitized by Google

tuis, gemmis & ſculpturis. memorati ſcriptores operibus ſuis interſeruerunt, repræſentant & illuſtrant alii. PROSPER MANDOSIVS in hiſtoria Romana (†) memorat FLAMINII VACCAE ſculptoris & ſtatuarum artificis inſignis, opus *de antiquitatibus Romanis*, dubium tamen an editum ſit. *LEONARDI AVGVSTINI gemmæ & ſculpturæ antiquæ*, italice primum prodiere, dein a Iacobo Gronouio in latinum verſæ & addita enarratione breuiori editæ *Lugduni Batauorum 1685. 4.* Eius & nouam editionem auctioremque Ioannem Petrum Bellorium Romæ meditatum fuiſſe teſtantur Acta Eruditorum (††). Manu ſcriptum adhuc opus LVDOVICI CHADRVCI Aruerni, adducit Labbeus ſub titulo, *gemmarum antiquarum apoſphragismata litterata reſtituta & illuſtrata duo millia, ex eius dactyliotheca cum ſcholiis & indicibus*, idque apud Petrum Seguinum adſeruari ait, quod tamen lucem nondum vidit. Addimus his adhuc *ABRAHAMI GORLAEI dactyliothecam*, ſuperiori ſeculo impreſſam, quam breuibus additis explicationibus Iacobus Gronouius denuo edidit *Lugduni Batauorum 1695. 4.* atque additamentis quibusdam adauxit clariſſimus vir, LAVRENTIVS BEGERVS, antiquitatis reſtaurator eximius, *Coloniæ Brandenburgicæ 1697. 4.* Sane multum celeberrimo huic viro debent Statuæ, tabulæ, gemmæ & nummi veterum, quibus illuſtrandis totum ſe dicauit. Notus enim eiusdem *Theſaurus ex theſauro Palatino ſelectus*, qui gemmarum & numiſmatum in Cimeliarchio Palatino olim adſeruatorum figuras rariores, cum commen-

(†) *p. m. 63.*

(††) *menſe Iunio 1685. p. m. 273.*

mentario eruditiſſimo exhibet, prodiit *Heidelbergæ 1685. f.* Simile inſtitutum ſecutus eſt in *Theſauro Brandenburgico ſelecto*, dum gemmas & nummos rariores, qui in plane regia gatza cimeliarchii Brandenburgici adſeruantur, commentario illuſtrat. Splendidum eſt opus, cum ipſius gatzæ vere regiæ ſplendor talia requirat, prodiit *Coloniæ Brandenburgicæ 1696. f.*

§. XIV

Particularium regionum antiquitates alii nobis dederunt; *Hiſpaniæ* quidem ADOLPHVS OCCO publicauit *Heidelbergæ 1596. f* & L. ANDREAS RESENDIVS Luſitanus, in epiſtola, *de Traiani pontis inſcriptione* & in tractatu *de Ebora, Colonia Pacenſi, aliisque tum Luſitaniæ, tum Hiſpaniæ antiquitatibus*, extant tomo ſecundo rerum Hiſpanicarum (†) atque ſeorſim *Coloniæ 1600 & 1613. 8.* Ex parte quoque Hiſpanicas antiquitates in dialogis ſuis vndecim illuſtrauit ANTONIVS AVGVSTINVS, Tarraconenſis archiepiſcopus, *Antwerpiæ 1617. f.* Totius *Galliæ epigrammata* ſe compoſuiſſe ad eaque commentatum ſe ſcribit GVILIELMVS CHOVLIVS (††) quæ & ſub eodem auctore adlegat Geſnerus, lucem tamen non viderunt publicam. FELIBIANVS Galliæ antiquarius doctiſſimus, edidit *monumenta antiqua* gallice, *Pariſiis 1690. 4*, quod ſcriptum plagulis tantum duabus & figuris æneis quatuor conſtat, quod ſpecimen eſſe voluit maioris operis a ſe edendi, quo monumenta non quidem Galliæ natiua, in cimeliarchium tamen regium ſumma cura & impenſis regiis con- *Scriptores de antiquitatibus regionum particularium.*

E 2 qui-

(†) *p. m. 892.*
(††) *de religione p. m. 95.*

Digitized by Google

quiſita, publici iuris facere eademque illuſtrare conſtituit. Vtiliſſimum certe opus hoc futurum ſpecimen editum probat, quod tamen quantum quidem nouimus, nondum prodiit. Quarundam vero vrbium atque regionum in Gallia antiquitates plures illuſtrarunt. Et quidem habemus *IACOBI SPONII inueſtigationem antiquitatum Lugdunenſium* ſiue *Recherches d'antiquités de Lyon*, gallice conſcriptam & *Lugduni 1673. 8.* editam. Eodem ſermone conſcriptæ *Bituricenſis* regionis *antiquitates Romanæ* a CATHERINOTO editæ *1683.* Sic & de *antiquis Bibracte, ſ. Auguſtoduni monumentis* egit EMVNDVS THOMAS *Lugduni 1650. 4.* Quæ in vrbe *Gratianopoli* reperiuntur *antiquitates* Romanæ, collegit ALARDVS *1684*, nec inelegantes ſunt. *Antiquitates Nemauſenſes* IOANNES POLDVS dedit *Lugduni 1560 f* & poſt eum IOANNES IACOBVS GRASSERVS Baſileenſis, de *antiquitatibus Nemauſenſibus* quædam conſcripſit, quæ prodierunt *Pariſiis 1607. 8.* & *Baſileæ 1614. 8.* *Diuionenſes antiquitates & ſtatuas* ibidem repertas illuſtrauit IOANNES RICHARDVS *Pariſiis 1585. 8.* *Monumenta antiquitatis Narbonenſia* ELIAE VINETI, *Pictauii & Burdigalæ 1567 & 1572. 8.* impreſſæ cum figuris. De *Galliæ Belgicæ antiquitatibus* egit PETRVS DIVAEVS, Louanienſis *Antwerpiæ 1566. 8. & 1598. 8* ſtatum eius inprimis, qui ſub imperio fuit Romano, commonſtrans. Cultior & hisce veterum monumentis horumque peritis eſt Italia, & quantum quidem ad ipſas Romanæ vrbis antiquitates attinet, de illis libro ſecundo, dum de ipſa republica Romana ſermo erit, dicemus. In vniuerſa autem Italia diſperſim quædam in itinere ſuo obſeruauit GABRIEL SIMON Florentinus, quas dein

dein obſeruationes gallice edidit *Lugduni 1557. 4.* Elegantiſſimum autem eſt *Romanum Muſeum ſiue Theſaurus eruditæ antiquitatis* MICHAELIS ANGELI CAVSEI DE LA CHAVSSE, *Romæ 1691. f.* editus atque in quinque claſſes diſtinctus: prima continet ſtatuas lapideas, altera æneas, tertia ſigna pontificalia & auguralia, quarta lampades, quinta vaſa & alia, quæ CLXX tabulis comprehenſa, & ſingula commentariis doctiſſimis illuſtrata. Secunda & tertia claſſis tomo V operis Græuiani inſerta eſt, quarta vero & quinta tomo duodecimo. OCTAVIVS RVBEVS, Ictus Brixienſis, Italis Roſſus dictus, patria lingua edidit *Memorias Brixienſes, Brixiæ* primum editas *1616. 4*, quarum autem editionem nouam adornauit Fortunatus Vinaccesius, qui adiecit ſpicilegium marmorum hactenus ineditorum, *Brixiæ 1693. 4. Monumenta antiqua Veronenſia* TORELLVS SARAINA primum expoſuit, *Veronæ 1540*, poſt ciuis eiusdem ONVPHRIVS PANVINIVS libris octo illuſtrauit & iconibus ac variis inſcriptionibus locupletauit *Patauii 1647. f. Monumenta Patauina* congeſſit atque explicauit SERTORIVS VRSATVS, *Patauii 1652. f*, quæ explicatio multum ad gentium Romanarum notitiam poteſt conducere. *Marmora Felſinea* quam plurimis inſcriptionibus exteris, antea ineditis, auxit & tam ſuis, quam aliorum doctiſſimorum virorum expoſitionibus illuſtrauit *Carolus Cæſar Maluaſia, Bononiæ 1690. 4*, in quo opere multæ quoque antiquitatis partes & ritus egregie explicantur. *Puteolanas* & vicinorum locorum italice dedit SCIPIO MAZZELLVS *Napoli 1591. 8. Bellunenſes* IOANNES PIERIVS Valerianus, *Venetiis 1620. 8.* & *Francofurti 1678. 4.*

Digitized by Google

BERNARDINVS TRINAGIVS vrbis Vicentinæ inſcriptiones veteres collegit 1577. *BARTHOLOMAEVS BVRCHELATVS ſermones* edidit *epitaphiorum, Venetiis* 1583. & *memorabilium hiſtoriæ Taruiſinæ promptuarium Taruiſii* 1616. 4 & *Venetiis* 1617. *IOANNES ANTONIVS CASTILIONIVS antiquitates* edidit *Mediolanenſes. Neapolitanam ſuam* hiſtoriam *IVLIVS CAESAR CAPACIVS* raris & curioſis inſcriptionibus locupletauit *Neapoli* 1607. 4. In Siciliam pergimus, ibique videmus *GEORGII GVALTERI inſcriptionum antiquarum & tabularum Siciliæ & Bruttiorum collectionem*, cum eiusdem animaduerſionibus, *Meſſanæ* editam 1624. 4. In Angliam ſub initium ſeculi noſtri, cura Arundellii Comitis tum ex Oriente, tum ex Latio monumenta quædam veterum græca atque latina aduehebantur, quorum inſcriptiones tunc iamdum edidit additis commentariis ſuis *IOANNES SELDENVS, Londini* 1629. 4. Perfectius tamen opus HVMPHRIDI PRIDEAVX, quod inſcripſit *Marmora Oxonienſia ex Arundellianis, Seldenianis*, quæ Seldenus academiæ legauit, *aliisque conflata*, quæ recenſuit idem & perpetuo Commentario explicauit, adiectis Seldeni & Lydiati adnotationibus, huiusque Chronico Marmoreo antea inedito, *Oxonii* 1676. *f.* Opus hoc & monumentorum raritate & explicationis grauitate maxime illuſtre, quod ad explicandas Græcorum hiſtorias, earundemque chronologiam reſtituendam plurimum facit. In Belgio habemus *IOANNIS BAPTISTAE GRAMMAYE antiquitates illuſtriſſimi ducatus Brabantiæ, Antwerpiæ* 1610. 4 editas, & *FRANCISCI SVVEERTII monumenta ſepulcralia & inſcriptiones ducatus Brabantiæ, Coloniæ* 1629. 8. *Antiquitates*

Nouio-

Digitized by Google

Nouiomagenſes IOANNES SMETIVS pater primum edidit, dein auctiores in lucem dedit filius, *Lugduni Batauorum 1678. 4* & cum Smetianum cimeliarchium pro priuatis curis non male eſſet inſtructum, præter veterum reliquias Nouiomagi repertas, ipſius quoque deſcriptionem continent, cum explicatione lectu non indigna. Germania noſtra inculta quidem his ſtudiis, nec tamen plane ſterilis. Tulitquippe CONRADVM PEVTINGERVM, qui inſcriptiones antiquas Auguſtæ Vindelicorum & eius diœceſeos collegit *Moguntiæ 1520. f.* Maiori tamen cura atque eruditione illuſtris vir MARCVS VELSERVS, *antiqua quæ Auguſtæ extant, monumenta* cum notis in tres partes diſtributa edidit *Venetiis 1594. f.* quæ dein cum eius operibus prodiere *Noribergæ 1682. f.* *Antiquitatum Coloniæ Agrippinæ* ſpecimen edidit SEBASTIANVS BROELMANN *Coloniæ 1608.* *Moguntinarum antiquitatum* in vrbe atque agro repertarum *collectanea*, nonnullas inſcriptiones & imagines repræſentantia habemus, quæ prodierunt *Moguntiæ 1525. f.* Circa Treuirenſium antiquitates occupatus fuit CHRISTOPHORVS BROVVERVS in *annalibus Treuirenſibus*. Quod opus ſingulare præſtat antiquitatis, Germanicæ tamen præſertim, monumentum, olim quidem iam per Bernardum Gualterum *Coloniæ 1626* editum, ſingulari autem fato ſuppreſſum, nec publici iuris factum vſque ad annnm 1670, quo Leodii tribus quidem libris a Iacobo Maſenio adauctum, in lucem publicam fuit protractum. Eiusdem Brovveri ſunt & *antiquitates Fuldenſes*, quæ quatuor conſtant libris, & prodiere *Antwerpiæ 1612. 4.* Quibus ſubnectimus rariſſimum æque & elegantiſſimum opus FERDINAN-

DINANDI FVRSTENBERGII, Monaſterienſis & Paderbornenſis epiſcopi, dum *monumenta Paderbornenſia* ex hiſtoria Romana, Francica & Saxonica eruit & doctiſſimis notis illuſtrauit *Paderbornæ 1670.* & *Amſtelodami 1672. 4.* Quo in Muſarum hic Mecænas ſe non regendæ ſolum rei publicæ, & qui demandatus erat, ſtatui eccleſiaſtico, ſed & promouendo litterarum ſtudio natum, exemplo docuit non contemnendo. Ipſe auctor illuſtris pro eo, quo erat in eruditos amore, opus hoc ſuum bibliothecis inſignibus dicauit, de quo adhuc ex Boſiana, cum Boſio miſiſſet dono, gloriatur bibliotheca noſtra publica. Sic & *Regiomontanas Boruſſiæ*, & has quidem *1583* editas curæ MICHAELIS SCRINII debemus, LVCII CHRISTOPHORI BOETICI autem, *ciuitatis Agrigentinæ antiquitatum enarrationes.* Eodem inſtituto STEPHANVS ZAMOSIVS edidit *analecta lapidum vetuſtorum & nonnullarum in Dacia antiquitatum*, adiectis etiam commentariis, qui prodiere primum cum Wolfgangi Latzii commentariis de republica Romana, *Francofurti 1598. f.* Sic & epigrammata quædam ſiue *inſcriptiones* antiquas, quas *per Illyricum* iter collegit, edidit CYRIACVS ANCONITANVS. Immo & ipſum LATZIVM & STEPHANVM TVRINVM *de lapidibus Dacicis* in Auſtria aliquid emiſiſſe ex fama ad ſe perlata teſtatur Zamoſius in præfatione, quorum tamen labores hac in parte, videre nondum contigit.

§. XV

Scriptores, qui particu-

Sed ne quid in hac ſtudiorum parte prætermittere videamur, de illis etiam, qui particularia quædam monumenta illuſtrarunt, paucis agemus. Primum in hac claſ-

claſſe facimus PETRVM CIACCONIVM Toletanum, qui *in columnæ roſtratæ*, quam C. Duilio ob res aduerſus Carthaginenſes in Sicilia feliciter geſtas, S. P. Q. R. poſuit, *inſcriptionem* a ſe coniectura ſuppletam, eruditum conſcripſit commentarium, prodiit *Romæ 1608. 8.* extat quoque in tomo quarto Theſauri Græuiani. Cognomen ei non idem gentilis, ALPHONSVS CIACCONIVS ex *ſimulacris in columna Traiani*, quæ Romæ eſt, viſis, vtriusque belli Dacici hiſtoriam deſcripſit & edidit *Romæ 1576. f.* Cum autem contra hanc Ciacconii expoſitionem quædam ab anonymo opponerentur, eius defenſionem ſuſcepit RAPHAEL FABRETTVS, Caſp. f. Vrbinas, in ſyntagmate *de columna Traiani*, quod cum aliis quibusdam prodiit *Romæ 1685. f*, quo multa, quæ ab vtrisque non ſatis explicata emendauit, reliqua dilucidius explanat. Ab eodem *Traiano extructi pontis rudera* in Dacia adhuc viſuntur, de cuius inſcriptione extat AMBROSII MORALIS Cordubenſis & L. ANDREAE RESENDII epiſtola, quæ continetur Tomo II Hiſpaniæ illuſtratæ (†). Sic & *columna Antoniniana* a PETRO SANCTO BARTOLO æri inciſa, cum notis extat excerptis ex declarationibus IO. PETRI BELLORII. Sic & eorundem cura extant *picturæ antiquæ ſepulcri Naſoniorum in via Flaminia delineatæ & æri inciſæ a PETRO SANCTO BARTOLO, explicatæ vero & illuſtratæ a IOANNE PETRO BELLORIO*, quæ ex Italico in latinam linguam per Ludolffum Neocorum verſa extant in Tomo XII Theſauri Græuiani. Huc quoque pertinet *ALEXANDRI DE NIGRIS epiſtola*

laria quædam monumenta illuſtrarunt.

(†) *p. m. 1031.*

ad Ioannem Baptiſtam Capponium de vetuſtiſſimæ lapideæ cuiusdam inſcriptionis eraſione, Bononiæ 1660. 4. Non infrequens enim erat Romanis ſculptoribus, vel voces ſingulas, vel integras lineas, vel totas inſcriptiones eradere, & alia ſuperinducere verba, cuius rei & in opere Gruteriano veſtigia non raro reperimus, quod tamen in enodandis inſcriptionibus difficultatem parit non minimam. VALERIVS CHIMENTELLVS *marmor Piſanum de honore biſellii* quam optime illuſtrauit, & de ſellarum differentiis apud Romanos erudito ſermone egit, prodiit *Bononiæ 1666. 4.* & partem facit Tomi ſeptimi Theſauri Græuiani. Tomus quartus eiusdem Theſauri aliqua etiam continet, quæ huc faciunt, vtpote OCTAVII FALCONERII *de pyramide C. Ceſtii Epulonis diſſertationem*, eiusdemque *ad Carolum Datum epiſtolam de latere ex ædificii veteris ruderibus eruto, cum paries ad inſtaurandum Panthei porticum dirueretur.* In eodem continetur IOANNIS CHIFFLETII *aqua virgo, fons Romæ celeberrimus & priſca religione ſacer* ex veteri annulari gemma exhibitus, & doctiſſime illuſtratus atque LVCAE HOLSTENII *in veterem picturam, nymphæum referentem commentariolus & de pila Staffilari diſſertatio.* Dein *antiquæ inſcriptionis, qua L. Scipionis Barbati F expreſſum eſt elogium,* quæ Romæ reperta eſt, *explanatio.* Nomen quidem auctoris non eſt præfixum, illuſtrauit tamen eandem IACOBVS SIRMONDVS & edidit *Pariſiis 1617. 4*, cui dein quædam, quæ ad eiusdem inſcriptionis explanationem faciunt, addidit HIERONYMVS ALEANDER *Romæ 1617. 4.* Sequitur in dicto Tomo IOSEPHI CASTALIONIS *explicatio ad inſcriptionem Auguſti, quæ in baſi eſt obeliſci per Sixtum V ante por-*

te portam Flaminiam ſtatuti, & PETRI ANGELI BARGAEI *de obeliſco commentarius*, in quo de obeliſcis in genere agit, & tandem doctiſſimus IOSEPHI CASTALIONIS *de columna triumphali Imp. Antonini commentarius* ad Sixtum V ſcriptus. Inter alios *marmor* quoddam *antiquum*, ante quinquennium *Puteolis repertum* italice illuſtrauit ANTONIVS BVLIFONIVS, *Neapoli 1694. 12.* Inter Gallos præter Sirmondum, de quo ſupra diximus, TERRINVS *obeliſcum & ſtatuam Veneris Arelatis inuentam illuſtrauit, Arelatis 1680. 12.* Et cum ante aliquot annos *monumentum antiquum in Guiennenſi regione* repertum fuerit, CLAVDIVS NICASIVS, abbas eiusdem explicationem adgreſſus eſt & edidit *Pariſiis 1689. 4.* Inter Belgas huc referri meretur ALBERTI RVBENII *de gemma Tiberiana & Auguſtea diſſertatio* doctiſſima, poſt auctoris mortem a Græuio edita, cum duobus de re veſtiaria libris, *Antwerpiæ 1695. 4* inde Tomo vndecimo Theſauri antiquitatum inſerta. Recentior eſt GISBERTI CVPERI *Harpocrates*, cui acceſſerunt *monumenta eius antiqua* antehac inedita, *Trajecti 1687. 4. & 1694. 4* quod opuſculum eſt eruditiſſimum & omni antiquitatis cognitione refertiſſimum. De eiusdem Harpocratis ſimulacris egit quoque IACOBVS GRONOVIVS, in disquiſitione, quam *de icuncula Smetiana* compoſuit Lugduni Batauorum 1693. 4. Tandem e Germanis ſubnectimus ATHANASII KIRCHERI *obeliscum Pamphilium, Romæ 1650. f.* editum, quod ſcriptum eſt egregium, abſtruſam litteraturam hieroglyphicam, Aegyptiorum ſacra, eademque cum Græcis collata, litterarum originem & ipſas obeliſci fi-

Digitized by Google

guras ex ipſis veterum monumentis erudite explicans.

§. XVI.

Cum autem in iſtis inſcriptionibus vel ſyllaba tantum, ſæpe etiam vnica tantum littera integram vocem notet, alii in eo occupati fuere, vt ex collatione veterum monumentorum tales notas explicarent. Ex antiquioribus habemus VALERII PROBI *de notis Romanorum interpretandis libellum, Notas iuris* a MAGNONE collectas & PETRI DIACONI *de notis litterarum* libellum, qui inter veteres Grammatticos extant a Dionyſio Gothofredo editos. Probum quidem ex Mſtis varie emendauit ac notis illuſtrauit Henricus Ernſtius, *Soræ 1647. 4.* Superiori ſeculo e recentioribus ALDVS MANVTIVS iunior *orthographiæ rationem* e veterum ſcriptis atque monumentis collectam edidit *Venetiis 1566, 8,* cui dein alia addidit *de veterum notarum explanatione*, quibus genuina docet fundamenta legendorum marmorum & explicandarum inſcriptionum. Ante eum quoque TORELLVS SARAINA Veronenſis, *de interpretatione litterarum antiquarum* librum ediderat *Veronæ 1540.* HVBERTVS GOLTZIVS *in theſauro rei antiquariæ*, qui prodiit *Antwerpiæ 1618. f.* easdem notas quantum ad nummorum explicationes faciunt, exhibet. IOANNES PRETTENIVS *de notis atque ſiglis antiquorum* librum edidit *Citzæ 1660. 12,* cui præmiſit Iuſti Lipſii epiſtolam XXVII centuriæ I quæ de notis agit, quam variis obſeruationibus illuſtrauit. Omnium tamen curas ſuperat SERTORIVS VRSATVS, cuius *de notis Romanorum* Commentarius omnium horum inter-

interpretationes continet, ita vt vix nota aliqua in eodem fuerit omiſſa, omnia autem non ſatis explanata, cum alia aliam admittant interpretationem, prodiit *Patauii 1672. f.* Huius mantiſſam notarum in lapidibus frequentius occurrentium marmoribus ſuis Oxonienſibus adnexit HVMPHRIDVS PRIDEAVX, *Oxonii 1677. f.* Præter editos autem Vrſatus in concinnando Commentario ſuo vſus quoque fuit aliis adhuc ineditis, vtpote anonymo manuſcripto Comitis Iacobi Zabarellæ, alio Ioannis Rhodii, cui titulus *Notæ Iulii C. Aug*, alio *Octauii Ferrarii*, vt ex hiſce ſatis clare pateat, quanta induſtria in eodem vſus fuerit. BARNABAS quoque BRISSONIVS *de formulis*, & THOMAS REINESIVS in epiſtolis, ad explicandas Inſcriptionum notas quam plurimum conducunt, de quibus tamen iam ſupra diximus.

PARS SPECIALIS.

De
Scriptoribus, qui ad Deorum Romanorum fabulas vel hiſtoriam faciunt.

AD hiſtoriam deorum Romanorum intelligendam multi faciunt dum ex antiquis, dum nouis. Ex antiquis ſine dubio primus eſt HESIODVS in *theogonia*, quam Raphael Volaterranus (†) in proſam deduxit. In eandem vero luculentum dedit Commentarium LAMBERTVS BARLAEVS, qui poſt eius mortem prodiit *Amſtelodami 1658. 8.* obſtetricante Cornelio Schreuelio, cuius commentarii æſtimatio eſt maxima. Prodiit alias cum variis lectionibus & notis marginalibus per Iac. Lectium, *Aureliæ Allobrogum 1606. 8.* & græce atque latine cum Danielis Heinſii animaduerſionibus, *Lugduni Batauorum 1613. 8.* & cura Cornelii Schreuelii *Brunſuigæ 1671. 8.* Demum quoque ex editione accuratiſſimi viri, Io. Georgii Græuii, *Amſtelodami 1668. 8.* qui & ad eam, vti in Heſiodi reliqua, breues quidem, ſed eruditiſſimas addidit notas, ſub titulo *lectionum Heſiodearum.* Ad Heſiodi imitationem BVRCARDVS PYLADES Brixianus, ſuperioris tamen ſeculi ſcriptor, quinque libros *de deorum genealogiis* latine elegiaco carmine conſcripſit, qui in editione Baſileenſi *anno 1547* ab Oporino excuſa, Heſiodo adiuncti, & in ea, quæ *Lipſiæ 1591. 8.* latine tantum pro-

(†) *Comment. lib. XXXIII. p. m. 1224.*

prodiit, continentur. APOLLODORI Athenienſis *Bibliotheca ſiue de diis* libros tres tantum ſuperſtites habemus, qui græce & latine prodiere *Romæ 1555. 8.* dein ex Commeliniano, Benedicto Aegio interprete *1599*, & ex recenſione Tanaquilli Fabri, *Salmurii 1661. 8.* Quæ bibliotheca præter genealogiam, fabuloſam quoque de diis adducit hiſtoriam. Plures de diis eruditus iſte Grammatticus conſcripſerat libros, qui tamen temporis iniuria intercidere. Sextum enim περὶ θεῶν citat librum Harpocration (†). Librum decimum quartum Macrobius, (††) vigeſimum quoque ex Porphyrio citat Reineſius (†††). Addimus & DIODORVM SICVLVM, cuius licet *bibliotheca hiſtorica* tota huc non ſpectet, integer tamen liber IV cum parte libri I & V huc in ſpecie faciunt, e quibus minorum quorundam deorum genealogiæ, cultus origo, & fabulæ non male petuntur. Optima eſt editio, quæ ex verſione Laurentii Rhodomanni cum breuibus Henrici Stephani adnotationibus prodiit *Hanouiæ 1604. f.* In quibusdam etiam PALAEPHATVS *de incredibilibus* huc pertinet, quem in latinum ſermonem tranſtulit, & notis illuſtrauit Cornelius Tollius, *Amſtelodami 1649, 12.* poſtea eundem edidit Martinus Brunnerus, *Vpſaliæ 1663. 8*, demum & cum doctrinis moralibus edidit Paulus Pater, *Ienæ 1686. 8.* Exiguum tantum quod ſuperſtes habemus, eſt fragmentum, licet ex eo de auctoris propoſito conſtet, quod fabularum originem ex hiſtoriis, & ſub iis latentem mythologicam veritatem petendam eſſe doceat. Nec minus inter deperditos habe-

(†) *voce* Σιτοποιπῶς

(††) *Saturn. I. c. XVII.*

(†††) *var. lect. III, c. II. p. m. 357.*

habemus, quos huc referamus. EVHEMERVS quidem ſcriptor antiquiſſimus, hiſtoriam de diis contexuit. Frequens eiusdem apud ſcriptores veteres fit mentio, nemo tamen de eo melius quam Lactantius (†). *Antiquus*, ait, *auctor Euhemerus, qui fuit ex ciuitate Meſſana, res geſtas Iouis, & cæterorum qui dii putantur, collegit, hiſtoriamque contexuit ex titulis, & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur -- -- Hanc hiſtoriam & interpretatus eſt Ennius & ſecutus*, quæ vltima verba ſine dubio hauſit Lactantius ex Cicerone (††), vbi de Ennio, quod Euhemerum & interpretatus & ſecutus fuerit teſtatur. Fabuloſus autem ſcriptor habebatur, ſi credimus Plutarcho de Iſide & Oſiride (†††), & hoc non ſolum, ſed etiam ἄθεος, vti probat Voſſius (††††). Ita & HILLVM *de diis* librum compoſuiſſe docet Macrobius.* NIGIDII & CORNELII LABEONIS libros *de diis* idem citat (**). Et quidem Nigidium quoque ſæpius citat Arnobius (***). Immo plures adhuc adlegantur ab Arnobio, quos tamen omnes hic adducere nimis longum foret. MANILII CHRESTI *de deorum hymnis* libros in teſtimonium vocat Fulgentius (****). Alii ſunt, qui deorum fabulas exhibuere, quos MYTHOLOGOS adpellant, illique vel lati-

Scriptores mythologi.

(†) *Inſtit. diu. lib. I. c. XI.*
(††) *I. de Nat. D. c. XLII.*
(†††) *p. m. 142.*
(††††) *de hiſtor. lat. lib. I. p. m. 70.*
(*) *Saturn. III. c. II.*
(**) *Saturn. III. c. IV.*
(***) *lib. III. p. m. 119. 123. 124.*
(****) *voce iniuges boues.*

latini vel græci. Græcos quidem cum latina verſione coniunctim edidit Thomas Gale *Cantabrigiæ 1671. 8*, qua editione diuendita nouam Marcus Meibomius ſumtibus Henrici Wetſteinii parauit editionem ſub titulo, *Opuſcula mythologica, ethica & phyſica græce & latine, Amſtelodami 1688. 8.* Editio eſt nitida & emendatiſſima, priori etiam auctior. E quibus huc maxime faciunt PHVRNVTVS f. CORNVTVS *de natura deorum*, qui deorum fabulas phyſice explicare nititur, & SALLVSTII philoſophi *de diis & mundo liber*, interprete Leone Allatio, a quo Romæ primum editus *1638*, dein *Lugduni Bat. 1639. 12.* qui tamen de diis potius philoſophatus quam fabulatus, myſticum ſaltim intellectum ſub fabulis latere innuens: & HERACLIDIS, ſiue ut alii malunt HERACLITI *allegoriæ in Homericas de diis ſententias*, Conrado Geſnero interprete, aliquoties antehac editæ, quibus Homerum allegorico de diis ſermone vſum fuiſſe probat. Reliqua horum opuſculorum ad phyſica vel moralia ſpectant. Græci quidem ſunt iſti, qui tamen ob conuenientiam religionis Romanæ cum Græca huc maxime pertinent. Adiungimus etiam LVCIANI *dialogos deorum*, ſeparatim cum ſcholiis Georgii Syluani editos *Londini 1684. 12.* qui & inter opera eius extant græc. & lat. *Salmurii* edita *1619. 8.* & cum notis Theodori Marcilii, Gilberti Cognati & Io. Bourdelotii *Pariſiis 1615. f.* Vltima tandem & optima eſt editio, quæ ex verſione Ioannis Benedicti, cum integris notis Io. Bourdelotii, Iac. Palmerii, Tanaquilli Fabri, Aegidii Menagii, Franciſci Guyeti, Io. Georgii Grauii, Iacobi Gronouii, Lamberti Barlæi, Iacobi Tollii, e quibus pleræque antea ineditæ, accedentibus etiam ineditis ſcholiis ex bi-

 blio-

bliotheca Iſaaci Voſſii, cura celeberrimi Grævii, *Amſtelodami 1687. 8.* 2 voluminibus prodiit. Terſus quidem ſcriptor eſt Lucianus, ſed ingenioſus nequam, qui & deos & homines ridet. LIBANIVS quoque Sophiſta *fabuloſas de diis* edidit *hiſtorias*, quæ cura Leonis Allatii extant cum excerptis Græcorum, *Romæ 1641. 8.* Alii ſunt qui dicuntur *Mythographi latini*, qui *Baſileæ 1570. f.* ex recenſione Hieronymi Commelini editi *1599. 8.* inde cum commentariis Thomæ Munckeri, *Amſtelodami 1683. 8. 2. vol.* Sunt iſti HYGINVS, qui antea adcurante Ioanne Scheffero prodierat *Hamburgi 1674. 8.* *FABIVS PLANCIADES FVLGENTIVS in mythologiarum libris tribus*, qui ambo ad explicandos poetas & extricandas de diis fabulas quamplurimum conducunt, & ALBERICVS philoſophus, cuius *de deorum imaginibus libellus* licet breuiſſimus ſit, diuerſa tamen eorundem ſimulacra, prout in monumentis depingi ſolita, egregie declarat. Fontes ſunt iſti, e quibus ſua hauſerunt IOANNES BOCACCIVS in *genealogia deorum*, quæ primum prodiit *Regii 1481. f.* poſt cum adnotationibus Iacobi Micylli edita *Baſileæ 1532. f.* hinc & in Italicum ſermonem verſa per Ioſephum Betuſſi, *Venetiis 1581. 4.* & *NATALIS COMES* in *mythologia* primum *Venetiis 1567. 4.* hinc *Francofurti 1641. 8.* edita, quæ ad explicandas fabulas non male facit, licet latinos poetas non tanta diligentia excuſſerit, quam græcos. Adiecta huic quoque *GEOFREDI LINOCERII mythologia muſarum*, quæ alias cum notis Frid. Sylburgii *Hanouiæ 1619. 8* prodiit. M. Antonii Tritonii mythologia Bononiæ 1560. 4. prodiit & rarior eſt, quæ varia eruit non incomte. Hæc ergo de fabulis. Inter ipſos autem veteres, qui

Scriptores

qui ad cultum deorum & religionem ſpectant, habemus ſcriptores non contemnendos. M. VARRO ille Romanus multiformibus eminens diſciplinis, & in vetuſtatis indagatione rimator ſecundum Arnobium (†), quo etiam ex Lactantii elogio, nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit, libros quadraginta & vnum *antiquitatum humanarum & diuinarum* conſcripſerat, iisdem omnem rem antiquitatum abſoluens. Quare & ob exquiſitam tractandi rationem hisce libris exhibitam ita Varronem compellat Cicero: (††) *tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum & locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, cauſſas, officia aperuiſti.* Inter hosce vltimos tres deorum hiſtoriæ deſignauerat, in primo deos certos, in ſecundo incertos in tertio cunctorum nouiſſimo, deos præcipuos atque ſelectos exhibens, prout hæc nos docet Auguſtinus (*) Sed dolendum eſt, non niſi leuia tantum fragmenta ex Auguſtino aliisque collecta nobis tantum ſupereſſe. Nemo autem inter hosce, qui extant, cultum atque religionem Romanorum melius perſecutus eſt quam CICERO, tribus libris *de natura deorum*, qui & ſeparatim extant cum notis Xyſti Betuleii, *Baſileæ 1550 & 1584. 8*, & Iac. Schalleri, *Argentorati 1661. 4.* accuratiſſima vero eſt editio, quæ cum notis Petri Leſcaloperii prodiit *Pariſiis 1660. 8.* E qui-

Scriptores rerum de diis.

G 2

(†) *lib. V. p. m. 181.*

(††) *Acad. Quæſt. I. c. III.*

(*) *de Ciuitate Dei lib. VI. c. III.*

Digitized by Google

quibus liber tertius, teſte Lactantio (†), omnes funditus religiones euertit ac delet, ait enim facilius ſe poſſe dicere, quid non ſit, quam quid ſit, hoc eſt, falſa ſe intelligere, vera neſcire. Cui ſubiungimus A. THEODOSII MACROBII *opera*, quæ prodiere olim *Brixiæ 1501* & *Pariſiis 1585. 8.* poſt eum notis Ioannis Iſaaci Pontani & Io. Meurſii, *Lugduni Bat. 1597 & 1628. 8*, denuo cum eorundem notis cura Iac. Gronouii, *Lugduni Bat. 1670. 8*, quibus, inprimis Saturnalium libris ſeptem, dum omnes deos ad ſolem referre nititur, varia de diuinitatibus & ſacrorum ritibus non male illuſtrat. Inter Venerandos eccleſiæ patres, quidam dum gentilium, Romanorum maxime, religionem rident, multa huc facientia exponunt. MINVTIVS FELIX quidem obiectis non ſolum, quæ ab ethnicis contra Chriſtianorum ſacra fiebant, reſpondet, ſed & Romanorum diuinitates eleganti ſermone ludit, in dialogo, quem inſcripſit *Octauius*, qui reſtitutus primum a Franciſco Balduino prodiit *Pariſiis 1610 & Ffurti 1610. 8.* inde cum eruditis atque ex aliorum patrum collatione plerumque deſumtis notis Deſiderii Heraldi, cum Tertulliani apologetico, *Pariſiis 1613. 4.* hinc cum obſeruationibus Nicolai Rigaltii, *Pariſiis 1643. 4.* Integris autem hiſce ſuas dein addidit Iacobus Ouzelius, quæ omnium labores ſuperant, in editione quam procurauit Lugduni Bat. *1652. 4*, cui etiam ob argumenti paritatem acceſſit IVLIVS FIRMICVS MATERNVS *de errore profanarum religionum.* Nouiter demum Felicem, breuibus quidem eruditis autem notis illuſtrauit Chriſtophorus Cellarius, præceptor olim venerandus, cuius iucunda mihi ſemper

Patres, qui de diis Romanorum ſcripſere.

(†) *l. c. XVII.*

per eſt memoria, *Halæ 1699. 8.* Maiori adhuc verborum pondere ARNOBIVS AFER, *aduerſus gentes ſcripſit libros ſeptem,* qui primum recogniti & notis illuſtrati per Thomam Canterum, *Pariſiis 1639* editi. 8 poſt cum animaduerſionibus Deſiderii Heraldi, *Pariſiis 1605. 8* cum notis Geuerhardi Elmenhorſtii, *Hamburgi 1610. 4.* cum paratitlis ſ. ſummariis Leandri de Sto Martino & notis Gothofredi Stevvechii *1634. 8.* Optima vero eſt editio, quæ cum integris horum omnium commentariis & caſtigationibus ex recenſione viri celeberrimi, vti titulus profert, prodiit *Lugduni Bat. 1651. 4.* Virum hunc celeberrimum ſine dubio putamus Claudium Salmaſium, ſæpius enim amicis per epiſtolas promiſerat, ſe in Arnobium Commentarios daturum: editor autem huius editionis Lugdunenſis, ſe exemplar nactum fuiſſe profitetur manu viri celeberrimi emendatum, cuius eruditio & fama in his artibus, quæ ab humanitate nomen habent, veluti principatum teneat. Quale elogium nemini melius quam noſtro Salmaſio competit. In eadem vero procuranda occupatus quoque fuit Antonius Thyſius, Belgarum Iureconſultus. Prodierunt & ſeparatim in eundem, IVLII CAESARIS BVLENGERI *ecloga,* quibus Arnobii ſententias quaſdam de Deo & anima explodit, & de diis gentium, Perſarum tamen maxime agit, prodiere *Toloſæ 1612. 8.* multaque continent doctiſſima. Arnobii diſcipulus LACTANTIVS, præceptorem ſecutus, ſeptem edidit diuinarum inſtitutionum libros, quibus chriſtianæ fidei veritatem probare nititur, ad quam vt eo faciliorem viam ſibi aperiret, libris duobus prioribus falſam ethnicorum religionem deſtruit, eiuſdemque futilitatem ipſis ex Theologia gentilium

Digitized by Google

lium adductis exemplis docet. Opera eiusdem prodiere cura Antonii Thyſii, *Lugduni Bat. 1652. 8* & Seruatii Gallæi, *Lugduni Bat. 1660. 8*, poſt *Cantabrigiæ 1685. 8.* Optima vero eſt editio, & quod emendata & notis illuſtrata, quam procurauit Thomas Sparck, *Oxonii 1684. 8* & quæ rariſſima eſt ex recognitione Ioſephi Iſſæi *Romæ* edita *1650. f.* Nouiſſime demum V. C. Chriſtophorus Cellarius, cum ſex manu ſcriptis aliis, quæ prioribus editoribus nondum viſa fuerant, contulit, & cum eruditis notis edidit *Lipſiæ 1698. 12.* Breuiſſimus eſt CYPRIANVS *de idolorum vanitate,* quod idola dii non ſint, quod ſcriptum habetur tomo II operum, & obſeruationibus Nicolai Rigaltii illuſtratum cum Minutio Felice ſeparatim extat *Lugduni B. 1645. 12.* Subiungimus hisce TERTVLLIANI *ad nationes libros duos*, quos primus auctori ſuo vindicauit in lucem produxit atque notis illuſtrauit Iacobus Gothofredus, *Geneuæ 1625. 4* quibus, libro præſertim ſecundo, vanitatem deorum gentilium oſtendit, horum diuinitatem deſtruit, non niſi immerentes ac fœdos in deorum numerum receptos deducit, inde multa deorum minorum atque incertorum nomina, ex Varronis diuinarum libris adfert atque deridet. Omnium tamen hac in parte curas ſuperant AVGVSTINVS & EVSEBIVS. Ille quidem in aureo opere *de Ciuitate Dei*, quod XXIV libris comprehenditur, & cum eruditis Io. Ludouici Viuis ac Leonardi Cocquæi commentariis prodiit *Francofurti 1661. 4* quo multa, quæ ex Varronis libris de gentilium diis hauſerat, refutat atque deſtruit. Hic autem in *præparatione euangelica*, quæ græce & latine cum notis Franciſci Vigerii *Pariſiis 1628. f.* prodiit, qua pro Chriſtiana religione aduerſus gentilium phi-

Digitized by Google

philoſophos agit. Inter nouiores abſolutiſſimum eſt opus LILII GREGORII GYRALDI Itali, cuius *ſyntagmata XVII de hiſtoria deorum* inter opera eius *Baſileæ 1580. f.* olim edita, & nuper demum cum commentariis Io. Faes atque animaduerſionibus Pauli Colomeſii, & indicibus illuſtrata exhibuit Ioannes Lenſius *Lugduni Bat. 1696. f.* Opus eſt variæ eruditionis, quo omnem deorum hiſtoriam, qui & Romanis & Græcis Aſiæque populis culti fuere, eorundem quoque genealogiam ſimulacra & cultum exhibet, licet non vbique debitum obſeruet ordinem, in explicandis vero deorum cognominibus præcipuus eſt. Conterraneus Gyraldi VINCENTIVS CHARTARIVS, *imagines deorum* cum eorundem hiſtoria deſcripſit, qui liber Italice conſcriptus, & *Venetiis* primum anno 1571 editus, poſt cum allegoriis Ceſaris Malfatti & auctario atque notis Laurentii Pignorii, *Patauii 1626. 4.* & *Venetiis 1647. 4.* Inde in gallicam fuit translatus atque latinam linguam ab Antonio Verderio, & *Lugduni 1581. 4.* editus adiectis LXXXVIII. figuris æneis, mutatis quibusdam & de ſuo additis. Poſtea ſub titulo *Pantheon antiquorum*, *Rotenburgi ad Tubarim 1683. 8* prodiit, quæ tamen editio admodum mendoſa eſt, ſæpe etiam mutila. Emendatior dein editio cura Pauli Hachenbergi prodiit *Moguntiæ 1687. 4.* Optima tamen eſt Lugdunenſis editio, & typis & figuris æneis elegantiſſima, quæ & ſuis quælibet locis infertæ, quo in & reliquis præſtat. Ipſe autem tractatus lectorem de diuerſis deorum ſimulacris, prout vel Romano vel Græco more pingebantur, arboribus quoque & victimis cuilibet deo ſacratis, addita de ſingulis ratione optime inſtruit. Noſtro ſeculo epitomes ſuæ

Recentiores ſcriptores de diis.

eru-

eruditionis quam parauit, primam partem eſſe voluit FRANCISCVS POMEVS *pantheon mythicum*, ſeu fabuloſam deorum hiſtoriam *Lugduni* primum *1659.* inde *Romæ 1679 & Venetiis 1683. 12* editam, & nuper demum quinta vice *Vltraiecti 1697. 12* impreſſam. Ordo quidem non diſplicet, communia tamen ſunt, quæ adfert, in fabulis plurimum hæret, & quæ in cultu atque officio deorum magis vtilia, prætermittit. ANGELVS quoque CAVSSEVS in prima claſſe *Romani muſei* ſupramemorati, deorum ſimulacra, idola, aliasque imagines æreas addita breui quidem ſed docta explicatione exhibet. Inter Gallos huc facit elegantiſſimus liber GVILIELMI CHOVLII *de religione Romanorum*, quam ex numiſmatibus antiquis illuſtrat, qui primum Gallice *Lugduni 1556. 1567 & 1581. 4 & 1577* folio, tandem *Veſaliæ 1672*, Italice quoque prodiit *Lugduni 1569. 4.* & Hiſpanice *Lugduni 1579* tandem quoque latine *Amſtelodami 1686. 4.* Quo in libro numiſmata, quæ ſimulacra deorum præferunt, buxeis, & in nouiſſima editione, æneis tabulis exhibentur, eaque breuiter illuſtrantur, quæ ſi non vbiuis ſatis accurata, conatibus tamen fauendum. Idem quoque Choulius (†) librum ſuum *de natura deorum* citat, qui tamen cum aliis ab eodem promiſſis adhuc latet. Paucis abhinc annis Gallico ſermone prodiit LEONARDI GAVLTRVCHII tractatus *de diis & religione gentilium*, qui breuis licet ſit, nec integram deorum hiſtoriam abſoluens, ob perſpicuitatem tamen ſuam, qua non ipſos ſolum deos, ſed & honores iisdem habitos exhibet, tanto adplauſu fuit exceptus, vt poſtquam ſepties in Gallia typis exſcriptus in Anglicum quoque

(†) *p. m. 103.*

que ſermonem tralatus *Londini 1671* & in latinum *Leodii 1678* prodierit, tandem quoque belgice verſus a Franciſco Halma prodiit apud eundem *Vltraiecti 1690. 12.* cui ſimul editioni & gallicus textus & latina quoque verſio adiecta. Poſtea anonymus quoque Gallus *Deorum hiſtoriam ſiue introductionem ad fabulam heroicam* edidit *Pariſiis 1693. 12.* Per dialogos conſcripta ea eſt, ſed abſque ordine, ita vt pro leui tantum fabularum cognitione fœminis magis, quibus & ſacrata, quam eruditis ſcripta fuiſſe videatur. Adiecta eſt fabularum mythologia moralis, quæ tamen ipſum fabularum intellectum non ſatis enodat. Inter Belgas quoque hanc materiam pertractarunt aliqui. GERARDVS quidem IOANNES VOSSIVS eruditum opus conſcripſit *de Theologia gentili ſiue de origine ac progreſſu idololatriæ*, cuius prima vice quatuor tantum libri prodierunt *Amſtelodami 1641. 4*, qui dein ab auctore plurimum aucti, adiectis aliis ex eiusdem autographo quinque libris poſt mortem iterum prodierunt *Amſtelodami 1668. f.* & *Francofurti 1675. 4.* Quod opus varia doctrina & polymathia in omni re gentili & Romana refertiſſimum eſt, quippe non ſolum idololatriæ originem quatenus a vero cultu aberrauerit, egregie docet, ſed & ſingulorum deorum officia declarat. Sæpe autem diuinitates quasdam, quarum ſacra in certa re conueniunt, pro iisdem habet, quæ tamen diuerſæ fuerunt, &, Romanis maxime, ſemper ſeparatim cultæ. Præter Theologiam quoque gentilem variæ eruditionis complexum continet. Ante huncce IVLIANVS AVRELIVS HAVRECHIVS Leſſignienſis, *de cognominibus deorum gentilium* libros tres conſcripſit *Antwerpiæ 1541. Baſileæ 1543.* & auctiores *Lo-*

uanii 1569. 8. editos. *Deorum Dearumque capita* ex antiquis numiſmatibus collegit ABRAHAMVS ORTELIVS, ſed rudia adhuc pro more illorum temporum, quibus dein notas adiecit Philippus Gallæus, *Antwerpiæ 1573. 4.* inde & Franciſcus Svvertius *1602. 4. Amſtelodami 1680.* & *Bruxellis 1683. 4,* quibus plerorumque deorum hiſtoriam eleganter deſcribit. Addimus & hiſce ANDREAE SCHOTTI eruditam *de priſca religione & diis gentium tractationem*, quam auctarii loco, dialogum XII eſſe voluit ad Antonii Auguſtini antiquitates Romanas, prodiit *Antwerpiæ 1617. f.* Inter Anglos eminet EDVARDI Baronis HERBERTI DE CHERBVRY tractatus *de religione gentilium, errorumque apud eos cauſſis, Amſtelodami 1663. 4,* qui naturali non ſolum cognitioni nimium quid tribuit, ſed & tum in præcipuo ſummi ac veri Dei cultus genere gentiles cum chriſtianis concordes fuiſſe homines perſuadere nititur, vniuerſæ Theologiæ Romanæ rationem exhibet, præcipuorum deorum cultum tradens. Erroneas tamen eiusdem ſententias circa naturalem Dei cultum, peculiari diſſertatione a B. Muſæo noſtro conſtat eſſe confutatas. E Germanis GEORGIVS PICTORIVS *Pantapolin contra philoſophorum opiniones* ediderat, quis verus Deus, vnde gentilium dii, *Baſileæ 1558. 8,* in qua apotheoſin Deorum tum Romanorum, tum exterarum gentium demonſtrat, quæ dein etiam ſeparatim prodiit, eaque fabulæ de diis breuiter recenſentur atque perſtringuntur. Poſt hunc EILHARDVS LVBINVS *facem poëticam ſiue genealogiam & res geſtas deorum gentilium, virorum, regum & Cæſarum Romanorum* tabulis illuſtratam *Roſtochii 1598. 8.* edidit. HENRICI SCHAEVII *mythologia,*

gia, quæ primum *1660*, inde *Stutgardiæ 1668*, poſt *Stettini 1683. 12* cura Friderici Redtelii prodiit, in vſum ſcholarum magis ſcripta, quam vt ſolide inſtruat. *Cacozeliam gentilium* ex vero Dei cultu diſſertatione non ineleganti demonſtrauit IO. FABRICIVS, ſub præſidio Dilherri habita *Ienæ 1640. 8.* Subiungimus *BALTHASARIS BEBELII diſſertationes quatuor de Theologia gentili ex antiquis nummis illuſtrata*, quæ in academia Wittebergenſi anno *1658* habitæ, & licet non omnem rem exhauriant, ad Theologiæ tamen numiſmaticæ notitiam adprime vtiles eſſe poſſunt. Omnes hi ſunt, quantum norim, qui in genere ad deorum hiſtoriam faciunt: fuere tamen & alii, qui certas tantum diuinitates ſcriptis illuſtrarunt. De *diis indigetibus* orationem habuiſſe CATONEM docet Feſtus, *voce ſequeſter.* CLAVDIVS quidem MENETRIVS cimeliarchii Barbarini, quod ab Vrbano VIII originem duxit, præfectus, occaſione quatuor marmoreorum Dianæ Epheſiæ ſignorum, quæ Romæ extant, quædam ad eadem atque vniuerſum Dianæ cultum explicandum congeſſerat, quæ poſt eiusdem fata Fridericus Vbaldinus edidit, ſub titulo *ſymbolica Dianæ Epheſiæ ſtatua a Claudio Menetreio expoſita Romæ 1657. f.* adiectis ſex tabulis æneis, dictas ſtatuas, & varia numiſmata exhibentibus. IO. PETRVS BELLORIVS hancce ſtatuam ſymbolicam denuo edidit, & LVCAE HOLSTENII epiſtolam *de verubus Dianæ Epheſiæ*, ſuas quoque notas in numiſmata tum Epheſiorum tum aliarum quoque gentium apibus inſignita adiecit, *Romæ 1688. f.* Singula ſunt erudita, Dianam ſymbolum eſſe Naturæ, Græcorumque fuiſſe Iſidem, eiusdem cultum atque verua doctiſſime explicantia.

Scriptores, qui de diis ſingulis fuere commentati.

tia. Notiſſima ſunt initia Cereris, Græcis quam maxime decantata, nec tamen & a Romanis ſacris aliena, de quibus egit IOANNES HENRICVS EGGELINGIVS, Bremenſis Reipublicæ Secretarius, ſub titulo *Myſteria Cereris & Bacchi in vaſculo ex vno Onyche Sereniſſimi & Reuerendiſſimi Principis Ferdinandi Alberti, Ducis Brunſuic. & Lüneburg. per epiſtolam ad eundem euoluta, Bremæ 1682. 4.* Et cum Acta Eruditorum Lipſienſium in (†) recenſendo hoc Eggelingii tractatu, in explicandis quibusdam figuris ab eodem diſſentirent, & vaſculi figuras potius ad Cereris Eleuſinia ducerent, edidit idem *Cenſuram cenſuræ myſteriorum Cereris & Bacchi 1684 4,* qua factam a ſe explicationem defendere conatur, & acerbum nonnunquam agit cenſorem, contra quam tamen vindicias dedit IOACHIMVS FELLERVS, antiquariæ rei peritiſſimus, pro relatione ſua in actis facta defendenda *Lipſiæ 1685. 4. De Veſta & Veſtalibus ſyntagma* extat IVSTI LIPSII, tum inter opera eius ſeparatim, etiam *Antwerpiæ 1603. 4* excuſum, nuper demum cum Græuii tomo V editum, quod circa Veſtam quidem non omnia adimplet, Veſtales vero virgines bene explicat. Iunxit eidem Græuius illuſtriſſimi viri, *EZECHIELIS SPANHEMII diatribam de Veſta & Prytanibus Græcorum,* tunc primum editam, quæ quidquid de Veſtæ ſimulacris, ſymbolis ſacris atque ſignificatu mythico egregie dici poteſt omnimodo exhaurit, atque ſingula ex antiquiſſimis monumentis & nummis illuſtrat, ita vt ex hoc, aliisque eiusdem ſolidiſſimis ſcriptis dubium plane ſit, an Spanhemii raram in hoc ſtudiorum genere doctrinam, an in gerendis publicis rebus prudentiam, magis admireris. Ad genium, eiusdemque ſacra facit CENSORINVS *de die nata-*

(†) *ad annum 1683. p. m. 144.*

natali, qui ex recenſione & cum notis Henrici Lindenbrogii prodiit *Hamburgi 1617. 4. Lugd. B. 1642. 8*, & antea ex recenſione Ludouici Carrionis *Lugduni 1593. 8.* Ex quo genii ſacra, & feſta Romanorum natalitia quam optime diſcuntur. Præterea GEORGII VVONNAE *tres diſſertationes de geniis Ienæ 1663* habitæ, geniorum denominationem, & naturam ex mente Platonicorum, denique etiam qua ratione diis ac hominibus adſignati fuerint, non male illuſtrant. *Antiqua tabula marmorea ſolis effigie ſymbolisque exculta explicationem* dedit HIERONYMVS ALEANDER iunior, *Pariſiis 1617. 4.* Ex tabula autem, quam explicat, Pantheon quaſi ſolem facit, ſub eodem & Apollinem, & Bacchum & Herculem & Mercurium, & quemque deum alium latere putans. Docta quidem inter hæcce præfert, quæ tamen non vbiuis tuto licet ſectari, cum panthei Romanorum aliarumque gentium quidem noti ſint, illo tamen diuinitates non confunduntur, ſed manet vbique apud Romanos præſertim, cuilibet deo ſuus cultus ſeparatus, de quo ſuo loco pluribus. *De Matre Deûm magna* TIMOTHEVM non ignobilem Theologorum virum, quædam tradidiſſe teſtatur Arnobius (†). Idem PROCLVM LYCIVM ἐν Μητρωακῇ βίϐλῳ egiſſe teſtatur Suidas, de vtroque autem opere nihil ad nos peruenit. Inter noſtri temporis ſcriptores habemus LAVRENTII PIGNORII *de magnæ Deûm matris initiis* tractatum, qui *Pariſiis 1623.* & *Amſtelodami 1669. 4* prodiit, in quo omnem matris Idææ cultum, abſtruſum iſtum & figuratum ex monumentis antiquis Tornaci Neruiorum repertis, eruit atque explicat. Eidem Pignorio illuſtrata quoque debemus Iſidis ſacra, *menſam* enim ſiue *tabulam Iſiacam* indubitatæ antiquitatis, quam

(†) *lib. V. p. m. 175.*

ex Petri Bembi cardinalis muſeo in ſuum cimeliarchium tranſtulerat Vincentius Mantuæ dux, exponit in tractatu, qui inſcribitur *Characteres Aegyptii, ſ. ſacrorum, quibus Aegyptii vtuntur & ſimulacrorum accurata delineatio & explicatio*, & primum *Venetiis 1605. 4.* poſt & *Francofurti 1608. 4* prodiit. Vtrique editioni adiectæ figuræ ad dictam tabulam Iſiacam pertinentes. Singularia autem continet, & plura hieroglypha enodat. Eandem tabulam quoque explicare ſuſcepit IOANNES FRIDERICVS HERVVARTVS AB HOHENBVRG in libro, cui titulus *admiranda ethnica Theologia myſteria, Monachi 1626. 4* edito, qui phyſice eandem intelligi vult, atque de magnete ſingulas figuras explicat, immo omnes de iis fabulas ad magnetem eſſe referendas ſibi perſuadet, an iuſte, alii videant. *De Domitiani nummo Iſiaco* doctam conſcripſit epiſtolam VLRICVS OBRECHTVS, in qua de Iſidis ſimulacris agit: Impreſſa eſt *Argentorati 1677. 4. De ſiſtris* in Iſidis ſacris vſitatis BENEDICTVS BACCHINVS Parmæ breuem quidem, aſt eruditam ediderat diſſertationem, ſed cum hæc diſſertatio quinquaginta tantum exemplaribus excuſis, rariſſima, eandem ſuaſu Gaudentii Roberti *Vltraiecti 1695. 4* recudi fecit Iacobus Tollius, & non minus doctas addidit adnotationes, quæ dein vna cum Bacchini diſſertatione Græuiano operi innexæ. Adiicimus hiſce PLVTARCHI librum *de Iſide & Oſiride*, qui inter opera eius continetur, & varia eruditione eſt refertus, in quo Iſiacorum ſacrorum ſuperſtitionem enodat atque declarat. De CVPERI *Harpocrate* ſupra iamdum diximus, ideo agmen hic claudant IACOBI SPONII *ignotorum atque obſcurorum deorum aræ, Lugduni 1677*, quibus obſcura quædam deorum nomina & epitheta eleganter enodantur & erudite explicantur.

LIBER PRIMVS
De
Diis & ſacris Romanorum.
CAPVT PRIMVM.
DE DIIS ROMANORUM.

OMnium rerum magnarum a DEO immortali principia duci iam veteres agnorunt gentiles, teſtante id Cicerone (a). Ita etiam dicendi initium a precationibus capiebant, cuius cauſſam reddit Plinius (b), quod nihil rite, nihilque prouidenter homines ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur. De Romanorum ita diis acturi, eorundem quoque morem ſequamur. Triplici autem genere deorum cenſum olim diſtinguebant: primum genus *phyſicum* eſſe volebant, Philoſophis commune, Stoicis præſertim, qui omnia ad naturam referebant, alterum *mythicum*, quod poetæ ſuum

facie-

(a) *in Vatinium c. VI.* (b) *Panegyr. ab initio.*

faciebant, & fabulis inuoluebant, tertium *gentile*, quod populi ſibi quique adoptabant. Primum pertinere dicebant ad mundum, alterum ad theatra, tertium ad ſacerdotia, prout ſingula hæc Tertullianus ex Varronis diuinis nos docet (c). Nos priora linquimus ab aliis pertractata, & tertium tantum genus noſtrum facimus. Maximam autem diuinitatum Romanarum fuiſſe copiam nemo eſt, qui ignoret, cum vnum tot muneribus obeundis parem non eſſe putarent, illas autem omnes recenſere, maxime incertas atque minores, factu foret impoſſibile, immo nec noſtrum eſt; nec in ſingularum genealogias inquirere noſtri eſt inſtituti, quæ plerumque tam confuſæ, vt qui ad eas commentati, vbique hæreant. Ipſas quoque fabulas probra deorum continentes ac crimina prætermittimus, cum eas iam inutiles iudicauerit atque indecoras ipſe Numa (d): de differentiis tantum, præcipuis adpellationibus, officio & cultu nunc dicturi. Tres diuinitatum claſſes facit Cicero (e), dum ex veteri Iure Pontificio hæc adducit verba: *Diuos*, ait, *& eos, qui cæleſtes ſemper habiti, colunto, & ollos, quosquos in cælum merita vocauerint. Herculem, Liberum, Aesculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum; aſt olla, propter quæ datur homini adſcenſus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra ſunto.* Inde maxima deorum differentia oritur inter maiorum gentium deos, quos innuit Cicero (f) & Lactantius (g) & minorum gentium. *Maiorum gentium dii* dicebantur ii, qui omnibus communes erant, & quorum munia in admini-

(c) *lib. II ad nationes cap. I.* (d) Dionyſ. Halic. *lib. II p. p. m. 90.* (e) *II de LI c. VIII.* (f) *Tuſc. Quaeſt. I. c. XIII.* (g) *l. c. XV.*

miniſtrandis vniuerſi rebus maxima. Horum autem viginti erant, iterum diſtincti in conſentes & ſelectos. Illorum ſeu *conſentium* (h) deorum duodecim erant, ſex mares & ſex fœminæ (i), hoc diſticho ab Ennio comprehenſi, (k)

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quem duodenarium numerum etiam nos docet Haliſcarnaſſenſis (l) & Manilius (m), qui ſingulorum menſium tutelæ ſingulos præficit, atque alii (n). E quibus conſeſſus deorum conſtituitur, ideoque Conſentes dicti, quia Iouis exiſtimati ſunt conſiliarii & principes (o). In Inſcriptionibus antiquis dicitur modo conſeſſus deorum dearumque (p) modo conſentium deorum (q), vel dii conſentes, quibus tamen ſemper Iouis præmittitur nomen, vt

I. O. M.
CETERISQ.
DIS CONSENTIBVS

vel dii deæque publici conſentes (r). Inde etiam dii cœleſtes (ſ), quos & hoc nomine ab aliis maxime ſelectis diſtinguit Vitruuius (t). Alio quoque nomine dii

I 2 magni

(h) Auguſt. *de Ciuit. Dei lib. IV. c. XXIII.* (i) Varro *de re ruſtica lib. I. c. I.* (k) Apuleius *de deo Socratis p. m. 42.* Martianus Capella *de nupt. Phil. & Merc. lib. I. p. m. 15.* (l) *lib. IV p. m. 478.* (m) *Aſtron. II v. 433.* (n) Suetonius *Aug. c. LXX.* Ouidius *Metam. VI v. 72.* (o) Arnobius *lib. III p. m. 123.* Auguſtinus *c. l.* (p) Gruterus *p. II n. 11.* (q) Gruterus *p. III. n. 1. 2.* (r) Gruterus *p. III n. 3.* (ſ) Reineſius *cl. I, n. 2.* (t) *de architect. lib. I c. VIII.*

magni dicti (u). Ad quos etiam pertinere putamus inſcriptionem apud Gruterum (x)

DIIS
DEABVS
QVE CVM
IOVE

Hos autem deos duodecim a Saturno, Ope, Themide, Latona, Parcis, Mnemoſyne & aliis ortos fabulabantur (y). His proximi inter maiorum gentium deos erant *dii ſelecti*, quos & populares vocabant, quia populo magis noti, & conſtituebant numerum octonarium: atque erat Ianus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber, Tellus, Luna. *Minorum gentium dii* varii erant, qui non vbique culti, & leuioribus curis occupati, iidemque vel *Semidei*, quos anima cœleſti ſub hominum effigie in totius mundi commoda procreatos credidit antiquitas (z), diſtincti adhuc ab Heroibus, iisdemque maiores erant, teſte Labeone apud Auguſtinum (a). Hi Semidei poſtquam in cœlum ob merita, vti putabant, vocati, dicti *dii indigetes*, quos memorat Liuius (b), atque deſcribit Heſiodus apud Macrobium (c) his verbis:

Indigetes diui fato ſummi Iouis hi ſunt,
quondam homines, modo cum ſuperis humana tuentes,
largi, ac munifici, ius regum nunc quoque nacti.

Et Dionyſius Halicarnaſſenſis: (d) ὧν αἱ ψυχαὶ τὰ θνητὰ ἀπολι-

(u) Virgilius *Aen. III v. 12 & 265. atque ibi Servius.* Gruterus *p. XXVII n. 4 & p. XXVIII n. 4.* (x) *p. II n. 10.* (y) Halicarn. *lib. VII p. m. 478.* (z) Arnobius *lib. II p. m. 97.* (a) *de C. D. lib. II c. XIV.* (b) *lib. VIII c. IX.* (c) in ſomn. Scip. *lib. I. c. IX.* (d) *lib. VIII. p. m. 478.*

ἀπολιπούσαις σώματα, εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν λέγονται, καὶ τιμὰς λαχεῖν ὁμοίας θεοῖς, *quorum animæ relictis corporibus mortalibus in cælos adſcendiſſe diisque pares honores adeptæ eſſe perhibentur.* Ita vt optime eos explicet Seruius (e), quod ſint *dii ex hominibus facti, quaſi in diis agentes*, licet alias denominationis cauſſas adducat etiam Voſſius (f). Erant itaque qui ob res præclare geſtas aut inuentum aliquod nobile inter deos relati ſunt, quo Cicero refert Herculem, Liberum, Aeſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum, licet eorum adhuc ſint plures. Hosce autem indigetes per Numici amnis vndas in cœlum mitti putabant, idque ad exemplum Aneæ, qui primus indigitis nomine ab Aſcanio fuit adpellatus, ſecundum Feſtum & Ouidium (g), eundemque Iouem indigetem fuiſſe adpellatum Liuius innuit (h). Quare Tibullus Aeneam ita adloquitur:

Illic ſanctus eris, cum te veneranda Numici,
vnda deum cælo miſerit indigetem.

Ita & Arnobius (i), *Indigetes illi*, inquit, *qui flumen repunt, & in alueis Numici cum ranis & piſciculis degunt?* licet ibidem non degebant, ſed per easdem tantum vndas in cœlum migrabant, habitationem vero eorundem deſcribit Lucanus (k) dum canit:

Quaque patet terras inter, Lunæque meatus,
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
innocuos vitæ patientes ætheris imi
fecit, & æternos animam collegit in orbes.

 His-

(e) *ad Virgilii Georg. I v. 498.* (f) *de Idol. lib. I. c. XII. & in etymol. p. m. 265.* (g) *XIV Metam. v. 604* & Gellius *II. c. XVI.* (h) *lib. I c. II.* (i) *II cl. V v. 43.* (k) *IX Pharſal. v. 6.*

Hiſce inferiores erant *Semones* quaſi ſemihomines, quos ita deſcribit Fulgentius de priſco ſermone (l), *quos nec cælo dignos adſcriberent, ob meriti paupertatem ſicut ſunt Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiæ veneratione* (m). Alii dicebantur *Nouenſiles* (n), de quibus diuerſa diuerſorum eſt ſententia. Alii deos nouos eſſe, alii nouem & vel ipſas Muſas indigitabant, alii numina peregrina, quorum ſententias videmus adductas ab Arnobio (o), Varro (p) *Nouenſiles a Sabinis*, ait. Veriſſimum tamen videtur, eos fuiſſe, qui ex peregrinis de nouo recepti, vel ex religione, vti mater Phrygia atque Aeſculapius, vel cum deuictis gentibus ad Romanos translati, vel ex oppugnatis vrbibus euocati, de quo infra. Sua enim quibusque gentibus certa fuiſſe numina innuit Minutius Felix (q) vniuerſa autem Romanis. De quo Prudentius (r)

Innumeros poſt deinde deos virtute ſubactis
vrbibus ex claris peperit ſibi Roma triumphis.
Inter fumantes templorum armata ruinas
dextera victoris ſimulacra hoſtilia cepit,
& captiua domum, venerans ceu numina, vexit.

Deos autem nouos Romani non niſi auctoritate ſenatus ſuſcipiebant, coniuncto & poſteriori tempore conſenſu Imperatorum, quod late probat Petrus Faber (ſ). Quare Chryſoſtomus inquit (t): Καὶ γὰρ αὐτὴ (ſcil. ἡ σύγκλητος,

(l) *n. XI.* (m) vid. Lipſius *antiqu. lect. lib. II. c. XVIII.* (n) Liuius *VIII c. IX.* (o) *lib. III p.m. 122.* (p) *lib. IV de L.L. p.m. 14.* (q) *Octauio c. VI.* (r) *lib. II contra Symmachum v. 341.* (ſ) *lib. III Semeſtrium c. I.* (t) *in epiſt. ad Corinth. II hom. VI.*

τοῦ) εἶχε τὴν ἀξίαν χειροτονεῖν καὶ ἐγκρίνειν θεοὺς, & Tertullianus (u), *vetus* fuiſſe *decretum*, ait, *ne qui Deus ab imperatore conſecraretur, niſi a ſenatu probatus.* His adnectimus quoque *Diuos.* Decius enim in deuotione pro exercitu ita exclamat apud Liuium (x), *Diui Nouenſiles, Dii indigetes, Diui, quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiumque.* Hoſce Dio (y) vocat χειροτονητούς. Atque erant, non qui ab exteris gentibus recepti, in quo diſtincti erant a Nouenſilibus, ſed qui de nouo, auctoritate ſenatus Romani conſecrati, atque in deorum numerum relati. Qualis honos Imperatoribus pleriſque collatus. Diſtinctam quoque claſſem faciunt virtutes diuinæ, propter quas ſcilicet homini dabatur adſcenſus in cœlum, quibus delubra conſtituebant Romani. Vltimo loco veniunt dii ruſticani, qui vel frugibus, hominibus ſæpe præerant, numina infeſta, culta tamen, ne damna inferrent, quorum præſes eſt Pan, a cuius imperio pendent Fauni, Satyri, Sileni, Nymphæ, Tritoneſque. Immo & deos quosdam peregrinos ex Aegyptiis maxime ſibi vendicant Romanæ antiquitates & miſcellaneos, qui incerti potius dicendi, dum ſæpe ad nullam certam claſſem referri poſſint, & ignoti, dum parum cogniti. Particularium autem regionum & terrarum diuinitates dicebantur genii loci, vel dii tutelares. Aliter quoque diſtinguebantur dii vel ſecundum loca, qui iis adſignata, ita diſcernebantur in cœleſtes, terreſtres atque infernos, (z) vel in ſuperos, inferos atque medioxumos (a), Græcis οὐράνιοι, χθόνιοι & ὑποχθόνιοι dicti. Superi quidem, quibus habitationis

(u) *apologetico c. V.* (x) *lib. VIII. c. IX.* (y) *lib. LII p. m. 490.* (z) Liuius *I c. XXXII.* (a) *Ciſtell. actu II ſc. I v. 49.*

nis locus cœlum eſt, inferi, quibus infernus, vt Pluto, Proſerpina (b) qui alias & dii ſtygii dicti (c); medioxumi vero, qui in medio aëre ſedem habent, qualem locum indigetibus fuiſſe adſignatum ſupra ex Lucano vidimus. Sic alii terreſtres, marini, fluuiatiles, ſylueſtres & montenſes (d). Communes hinc alii erant pluribus ſimul gentibus (e), quos certa tantum gens colebat, dicti proprii, quos etiam a tutela quam ab iiſdem exſpectabant, adpellabant *deos tutelares*, (f) & *deos paternos* (g). Romanis ſui præcipue dicebantur *Penates*, de quibus infra. Minutius Felix (h) Romanorum vernaculos adpellat, quos fuiſſe dicit Romulum, Picum, Tiberinum, Conſum & Pilumnum ac Picumnum. Aliter Camillus in oratione ſua apud Liuium (i) deos diſtinguit in *publicos*, qui publice templis, aris & puluinaribus celebrabantur, & *priuatos*, quorum honori a certis tantum familiis ſtato tempore ſacrificia inſtituebantur. Licet etiam dii publici Romanis κατ' ἐξοχὴν dicti fuerint Iupiter & Fortuna (k), quia horum nutu ſuum conſeruari atque promoueri imperium ſibi perſuadebant Romani. Deinde diſtinguebantur quoque ab officiis, ſiue partibus hiſce, quibus præficiebantur, vt alii eſſent dii militares (l), alii genitales, qui partibus præeſſent, quo faciunt pleraque Iunonis cognomina, nuptiales alii, & ſepulcrales, & ſic porro. Di quoque ſenectutis extant in inſcr. apud Gruterum (m) & di deæ biuii,

(b) Gruterus p. *XCVIII n. 5.* (c) Gruterus *p. MXV n. 7.* (d) *p. XXIII n. 9.* (e) *p. III n. 9.* (f) Gruterus *p. L n. 7.* (g) Gruterus *p. CVII n. 3.* (h) *c. XXV.* (i) *lib. V. c. LII.* (k) Gruterus *p. III n. 9. p. CVI n. 3.* (l) Gruterus *pag. MLXVIII n. 2.* (m) *p. CCCIV n. 1.*

uii, triuii, quadriuii, iſti ſcilicet, qui viarum curam gerunt (n). Pergimus ad deorum ſimulacra. Nudi plerunque pingebantur dii, mares præcipue, fulminibus ornati, radiis atque haſtis, Haſtas enim ob religionis memoriam eis fuiſſe additas docet Iuſtinus (o), cum iis olim vſi fuerint pro ſceptris. Inde quoque ob libamenta cum pateris conſpiciuntur in nummis & monumentis antiquis. Quosdam etiam clypeatos galeatosque pingebant, vt Martem, Palladem & Bellonam. Singulis autem proprium adſignabant habitum, quibus diſtinguerentur, licet pro diuerſo reſpectu diuerſimode quoque ſæpe fuerint picti. Sic Iouem vt deorum præſidem cum aquila & fulmine, creſcentem ſub pueri figura hirco inſidentis, aliter ſub boue Europam rapiente fingebant. Mercurius cum crumena, mercatorum deus, cum caduceo, deorum internuntius. Bacchus aliter vt potatorum ebriorumque præſes, aliter vt Orientis dominator. Diana quandoque virgo, quandoque puerorum nutrix habita & multimamma, quandoque Priapina, Lucina & obſtetrix dea dicta. Sic & deum Lunam, pollentem deum Venerem, eandemque vt & fortunam maſculam & barbatam colebant. Inde quoque ortæ diuinitatum confuſiones: vti Orientis populi Liberum, Apollinem & Bacchum vnum eſſe contendebant Numen, vocabulis amplificatum tribus ſecundum Arnobium (p) Aegyptii ſub Iſide & Cybele ſua quidquid modo diuinitatis erat, comprehendebant. Romanis ſemper diſtinctæ manſere diuinitates & harum officia. Ita enim ab earundem con-

K

(n) *p. LXXXIV n. 5.* (o) *lib. XLIII c. III.* (p) *lib. III p. m. 119.*

ex Petri Bembi cardinalis muſeo in ſuum cimeliarchium tranſtulerat Vincentius Mantuæ dux, exponit in tractatu, qui inſcribitur *Characteres Aegyptii, ſ. ſacrorum, quibus Aegyptii vtuntur & ſimulacrorum accurata delineatio & explicatio*, & primum *Venetiis 1605. 4.* poſt & *Francofurti 1608. 4* prodiit. Vtrique editioni adiectæ figuræ ad dictam tabulam Iſiacam pertinentes. Singularia autem continet, & plura hieroglypha enodat. Eandem tabulam quoque explicare ſuſcepit IOANNES FRIDERICVS HERVVARTVS AB HOHENBVRG in libro, cui titulus *admiranda ethnica Theologia myſteria, Monachi 1626. 4* edito, qui phyſice eandem intelligi vult, atque de magnete ſingulas figuras explicat, immo omnes de iis fabulas ad magnetem eſſe referendas ſibi perſuadet, an iuſte, alii videant. *De Domitiani nummo Iſiaco* doctam conſcripſit epiſtolam VLRICVS OBRECHTVS, in qua de Iſidis ſimulacris agit: Impreſſa eſt *Argentorati 1677. 4.* *De ſiſtris* in Iſidis ſacris vſitatis BENEDICTVS BACCHINVS Parmæ breuem quidem, aſt eruditam ediderat diſſertationem, ſed cum hæc diſſertatio quinquaginta tantum exemplaribus excuſis, rariſſima, eandem ſuaſu Gaudentii Roberti *Vltraiecti 1695. 4* recudi fecit Iacobus Tollius, & non minus doctas addidit adnotationes, quæ dein vna cum Bacchini diſſertatione Græuiano operi innexæ. Adiicimus hiſce PLVTARCHI librum *de Iſide & Oſiride*, qui inter opera eius continetur, & varia eruditione eſt refertus, in quo Iſiacorum ſacrorum ſuperſtitionem enodat atque declarat. De CVPERI *Harpocrate* ſupra iamdum diximus, ideo agmen hic claudant *IACOBI SPONII ignotorum atque obſcurorum deorum aræ, Lugduni 1677*, quibus obſcura quædam deorum nomina & epitheta eleganter enodantur & erudite explicantur.

LIBER PRIMVS

De

Diis & ſacris Romanorum.

CAPVT PRIMVM.

DE DIIS ROMANORUM.

OMnium rerum magnarum a DEO immortali principia duci iam veteres agnorunt gentiles, teſtante id Cicerone (a). Ita etiam dicendi initium a precationibus capiebant, cuius cauſſam reddit Plinius (b), quod nihil rite, nihilque prouidenter homines ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur. De Romanorum ita diis acturi, eorundem quoque morem ſequamur. Triplici autem genere deorum cenſum olim diſtinguebant: primum genus *phyſicum* eſſe volebant, Philoſophis commune, Stoicis præſertim, qui omnia ad naturam referebant, alterum *mythicum*, quod poetæ ſuum facie-

(a) *in Vatinium c. VI.* (b) *Panegyr. ab initio.*

Digitized by Google

faciebant, & fabulis inuoluebant, tertium *gentile*, quod populi ſibi quique adoptabant. Primum pertinere dicebant ad mundum, alterum ad theatra, tertium ad ſacerdotia, prout ſingula hæc Tertullianus ex Varronis diuinis nos docet (c). Nos priora linquimus ab aliis pertractata, & tertium tantum genus noſtrum facimus. Maximam autem diuinitatum Romanarum fuiſſe copiam nemo eſt, qui ignoret, cum vnum tot muneribus obeundis parem non eſſe putarent, illas autem omnes recenſere, maxime incertas atque minores, factu foret impoſſibile, immo nec noſtrum eſt; nec in ſingularum genealogias inquirere noſtri eſt inſtituti, quæ plerumque tam confuſæ, vt qui ad eas commentati, vbique hæreant. Ipſas quoque fabulas probra deorum continentes ac crimina prætermittimus, cum eas iam inutiles iudicauerit atque indecoras ipſe Numa (d): de differentiis tantum, præcipuis adpellationibus, officio & cultu nunc dicturi. Tres diuinitatum claſſes facit Cicero (e), dum ex veteri Iure Pontificio hæc adducit verba: *Diuos, ait, & eos, qui cœleſtes ſemper habiti, colunto, & ollos, quosquos in cœlum merita vocauerint. Herculem, Liberum, Aesculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum; aſt olla, propter quæ datur homini adſcenſus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra ſunto.* Inde maxima deorum differentia oritur inter maiorum gentium deos, quos innuit Cicero (f) & Lactantius (g) & minorum gentium. *Maiorum gentium dii* dicebantur ii, qui omnibus communes erant, & quorum munia in admini-

(c) *lib. II ad nationes cap. I.* (d) Dionyſ. Halic. *lib. II p. p. m. 90.* (e) *II de LL c. VIII.* (f) *Tuſc. Quæſt. I. c. XIII.* (g) *l. c. XV.*

miniſtrandis vniuerſi rebus maxima. Horum autem viginti erant, iterum diſtincti in conſentes & ſelectos. Illorum ſeu *conſentium* (h) deorum duodecim erant, ſex mares & ſex fœminæ (i), hoc diſticho ab Ennio comprehenſi, (k)

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quem duodenarium numerum etiam nos docet Halicarnaſſenſis (l) & Manilius (m), qui ſingulorum menſium tutelæ ſingulos præficit, atque alii (n). E quibus conſeſſus deorum conſtituitur, ideoque Conſentes dicti, quia Iouis exiſtimati ſunt conſiliarii & principes (o). In Inſcriptionibus antiquis dicitur modo conſeſſus deorum dearumque (p) modo conſentium deorum (q), vel dii conſentes, quibus tamen ſemper Iouis præmittitur nomen, vt

I. O. M.
CETERISQ.
DIS CONSENTIBVS

vel dii deæque publici conſentes (r). Inde etiam dii cœleſtes (ſ), quos & hoc nomine ab aliis maxime ſelectis diſtinguit Vitruuius (t). Alio quoque nomine dii

(h) Auguſt. *de Ciuit. Dei lib. IV. c. XXIII.* (i) Varro *de re ruſtica lib. I. c. I.* (k) Apuleius *de deo Socratis p. m. 42.* Martianus Capella *de nupt. Phil. & Merc. lib. I. p. m. 15.* (l) *lib. IV p. m. 478.* (m) *Aſtron. II v. 433.* (n) Suetonius *Aug. c. LXX.* Ouidius *Metam. VI v. 72.* (o) Arnobius *lib. III p. m. 123.* Auguſtinus *c. l.* (p) Gruterus *p. II n. 11.* (q) Gruterus *p. III. n. 1. 2.* (r) Gruterus *p. III n. 3.* (ſ) Reineſius *cl. I, n. 2.* (t) *de architect. lib. I c. VIII.*

magni dicti (u). Ad quos etiam pertinere putamus inſcriptionem apud Gruterum (x)

DIIS
DEABVS
QVE CVM
IOVE

Hos autem deos duodecim a Saturno, Ope, Themide, Latona, Parcis, Mnemoſyne & aliis ortos fabulabantur (y). His proximi inter maiorum gentium deos erant *dii ſelecti*, quos & populares vocabant, quia populo magis noti, & conſtituebant numerum octonarium: atque erat Ianus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber, Tellus, Luna. *Minorum gentium dii* varii erant, qui non vbique culti, & leuioribus curis occupati, iidemque vel *Semidei*, quos anima cœleſti ſub hominum effigie in totius mundi commoda procreatos credidit antiquitas (z), diſtincti adhuc ab Heroibus, iisdemque maiores erant, teſte Labeone apud Auguſtinum (a). Hi Semidei poſtquam in cœlum ob merita, vti putabant, vocati, dicti *dii indigetes*, quos memorat Liuius (b), atque deſcribit Heſiodus apud Macrobium (c) his verbis:

Indigetes diui fato ſummi Iouis hi ſunt,
quondam homines, modo cum ſuperis humana tuentes,
largi, ac munifici, ius regum nunc quoque nacti.

Et Dionyſius Halicarnaſſenſis: (d) ὧν αἱ ψυχαὶ [illegible] ἀπολι-

(u) Virgilius *Aen. III v. 12 & 265.* atque ibi *Seruius.* Gruterus *p. XXVII n. 4 & p. XXVIII n. 2.* (x) *p. II n. 10.* (y) Halicarn. *lib. VII p. m. 478.* (z) Arnobius *lib. II p. m. 97.* (a) *de C. D. lib. II c. XIV.* (b) *lib. VIII c. IX.* (c) in ſomn. Scip. *lib. I c. IX.* (d) *lib. VIII p. m. 478.*

ἀπολιπούσαι σώματα, εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν λέγεται), καὶ τιμὰς λαχεῖν ὁμοίας θεοῖς, *quorum animæ relictis corporibus mortalibus in cœlos adſcendiſſe diuque pares honores adeptæ eſſe perhibentur.* Ita vt optime eos explicet Seruius (e), quod ſint *dii ex hominibus facti, quaſi in diis agentes*, licet alias denominationis cauſſas adducat etiam Voſſius (f). Erant itaque qui ob res præclare geſtas aut inuentum aliquod nobile inter deos relati ſunt, quo Cicero refert Herculem, Liberum, Aeſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum, licet eorum adhuc ſint plures. Hosce autem indigetes per Numici amnis vndas in cœlum mitti putabant, idque ad exemplum Aeneæ, qui primus indigitis nomine ab Aſcanio fuit adpellatus, ſecundum Feſtum & Ouidium (g), eundemque Iouem indigetem fuiſſe adpellatum Liuius innuit (h). Quare Tibullus Aeneam ita adloquitur:

Illic ſanctus eris, cum te veneranda Numici,
vnda deum cœlo miſerit indigetem.

Ita & Arnobius (i), *Indigetes illi*, inquit, *qui flumen repunt, & in alueis Numici cum ranis & piſciculis degunt?* licet ibidem non degebant, ſed per easdem tantum vndas in cœlum migrabant, habitationem vero eorundem deſcribit Lucanus (k) dum canit:

Quaque patet terras inter, Lunaeque meatus,
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
innocuos vita patientes aetheris imi
fecit, & aeternos animam collegit in orbes.

(e) *ad Virgilii Georg. I v. 498.* (f) *de Idol. lib. I. c. XII. & in etymol. p. m. 265.* (g) *XIV Metam. v. 604.* & Gellius *II. c. XVI.* (h) *lib. I c. II.* (i) *II el. V v. 43.* (k) *IX Pharſal. v. 6.*

Hiſce inferiores erant *Semones* quaſi ſemihomines, quos ita deſcribit Fulgentius de priſco ſermone (l), *quos nec cœlo dignos adſcriberent, ob meriti paupertatem ſicut ſunt Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiæ veneratione* (m). Alii dicebantur *Nouenſiles* (n), de quibus diuerſa diuerſorum eſt ſententia. Alii deos nouos eſſe, alii nouem & vel ipſas Muſas indigitabant, alii numina peregrina, quorum ſententias videmus adductas ab Arnobio (o), Varro (p) *Nouenſiles a Sabinis*, ait. Veriſſimum tamen videtur, eos fuiſſe, qui ex peregrinis de nouo recepti, vel ex religione, vti mater Phrygia atque Aeſculapius, vel cum deuictis gentibus ad Romanos tranſlati, vel ex oppugnatis vrbibus euocati, de quo infra. Sua enim quibusque gentibus certa fuiſſe numina innuit Minutius Felix (q) vniuerſa autem Romanis. De quo Prudentius (r)

Innumeros poſt deinde deos virtute ſubactis
vrbibus ex claris peperit ſibi Roma triumphis.
Inter fumantes templorum armata ruinas
dextera victoris ſimulacra hoſtilia cepit,
& captiua domum, venerans ceu numina, vexit.

Deos autem nouos Romani non niſi auctoritate ſenatus ſuſcipiebant, coniuncto & poſteriori tempore conſenſu Imperatorum, quod late probat Petrus Faber (ſ). Quare Chryſoſtomus inquit (t): Καὶ γὰρ αὐτὴ (ſcil. ἡ σύγκλητος,

(l) *n. XI.* (m) vid. Lipſius *antiqu. lect. lib. II. c. XVIII.* (n) Liuius *VIII c. IX.* (o) *lib. III p. m. 122.* (p) *lib. IV de L. L. p. m. 14.* (q) *Octauio c. VI.* (r) *lib. II contra Symmachum v. 341.* (ſ) *lib. III Semeſtrium c. I.* (t) *in epiſt. ad Corinth. II hom. VI.*

τοῦ) εἶχε τὴν ἀξίαν χειροτονεῖν καὶ ἐγκρίνειν θεοὺς, & Tertullianus (u), *vetus* fuiſſe *decretum*, ait, *ne qui Deus ab imperatore conſecraretur, niſi a ſenatu probatus.* His adnectimus quoque *Diuos.* Decius enim in deuotione pro exercitu ita exclamat apud Liuium (x), *Diui Nouenſiles, Dii indigetes, Diui, quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiumque.* Hosce Dio (y) vocat χειροτονητούς. Atque erant, non qui ab exteris gentibus recepti, in quo diſtincti erant a Nouenſilibus, ſed qui de nouo, auctoritate ſenatus Romani conſecrati, atque in deorum numerum relati. Qualis honos Imperatoribus plerisque collatus. Diſtinctam quoque claſſem faciunt virtutes diuinæ, propter quas ſcilicet homini dabatur adſcenſus in cœlum, quibus delubra conſtituebant Romani. Vltimo loco veniunt dii ruſticani, qui vel frugibus, hominibus ſæpe præerant, numina infeſta, culta tamen, ne damna inferrent, quorum præſes eſt Pan, a cuius imperio pendent Fauni, Satyri, Sileni, Nymphæ, Tritonesque. Immo & deos quosdam peregrinos ex Aegyptiis maxime ſibi vendicant Romanæ antiquitates & miſcellaneos, qui incerti potius dicendi, dum ſæpe ad nullam certam claſſem referri poſſint, & ignoti, dum parum cogniti. Particularium autem regionum & terrarum diuinitates dicebantur genii loci, vel dii tutelares. Aliter quoque diſtinguebantur dii vel ſecundum loca, qui iis adſignata, ita diſcernebantur in cœleſtes, terreſtres atque infernos, (z) vel in ſuperos, inferos atque medioxumos (a), Græcis οὐράνιοι, χθόνιοι & ὑποχθόνιοι dicti. Superi quidem, quibus habitationis

(u) *apologetico c. V.* (x) *lib. VIII. c. IX.* (y) *lib. LII p. m. 490.* (z) Liuius *I c. XXXII.* (a) *Ciſtell. actu II ſc. I v. 49.*

uii, triuii, quadriuii, iſti ſcilicet, qui viarum curam gerunt (n). Pergimus ad deorum ſimulacra. Nudi plerunque pingebantur dii, mares præcipue, fulminibus ornati, radiis atque haſtis, Haſtas enim ob religionis memoriam eis fuiſſe additas docet Iuſtinus (o), cum iis olim vſi fuerint pro ſceptris. Inde quoque ob libamenta cum pateris conſpiciuntur in nummis & monumentis antiquis. Quosdam etiam clypeatos galeatosque pingebant, vt Martem, Palladem & Bellonam. Singulis autem proprium adſignabant habitum, quibus diſtinguerentur, licet pro diuerſo reſpectu diuerſimode quoque ſæpe fuerint picti. Sic Iouem vt deorum præſidem cum aquila & fulmine, creſcentem ſub pueri figura hirco inſidentis, aliter ſub boue Europam rapiente fingebant. Mercurius cum crumena, mercatorum deus, cum caduceo, deorum internuntius. Bacchus aliter vt potatorum ebriorumque præſes, aliter vt Orientis dominator. Diana quandoque virgo, quandoque puerorum nutrix habita & multimamma, quandoque Priapina, Lucina & obſtetrix dea dicta. Sic & deum Lunam, pollentem deum Venerem, eandemque vt & fortunam maſculam & barbatam colebant. Inde quoque ortæ diuinitatum confuſiones: vti Orientis populi Liberum, Apollinem & Bacchum vnum eſſe contendebant Numen, vocabulis amplificatum tribus ſecundum Arnobium (p) Aegyptii ſub Iſide & Cybele ſua quidquid modo diuinitatis erat, comprehendebant. Romanis ſemper diſtinctæ manſere diuinitates & harum officia. Ita enim ab earundem

K con-

(n) *p. LXXXIV n. 5.* (o) *lib. XLIII c. III.* (p) *lib. III p. m. 119.*

confuſionibus alieni erant, vt piaculo opus eſſet, ſi Deum in precibus & ſupplicationibus non ſuo quemlibet nomine inuocaſſent, vel huic ſimile quidpiam fuerit commiſſum. Coniungebant potius deos Romani, vnde Pantheus ortus, de quo inſcriptio apud Gruterum (q),

PANTHEO
SACRVM

quem taliter pingebant, vt vnius Dei figuris Serapidis calathum, Aeſculapii ſerpentem, Iouis Ammonis cornua, Neptuni tridentem, Solis radios, Fortunæ temonem, Mercurii caduceum adderent, & ſimul ob pedes ac brachia abſciſſa, Terminum, digitumque ori impoſitum, Harpocratem repræſentarent. Sic etiam Diana & Venus ſæpius ſub Fortunæ habitu cum temone: Pallas cum tigride, thyrſo & vrceolo Bacchi inſtar in nummo Antonini viſitur. Vbi vero DIVO PANTHEO vel PANTHEO AVG. reperitur in inſcriptionibus, vt apud Gruterum (r) de Imperatoribus potius conſecratis intelligendum eſſe bene monet Reineſius (ſ), cum etiam Druſilla Caii ſoror poſt conſecrationem πανθεα fuerit adpellata ſecundum Dionem (t), cum ex omni diuinitate eos ſibi quidpiam adſumere putarent. Ita in votis ſuis ſæpe quoque combinabant deos, vti docet inſcriptio apud Gruterum (u)

HERCVLI. MERCVRIO
ET. SILVANO
SACRVM. ET
DIVO. PANTHEO. EX. V.

Inde

(q) *p. I n. 2. & 3.* (r) *p. I n. 3 & 4 & p. MV n. 1.* (ſ) *cl. I inſcr. III p. 10.* (t) *Lib. LIX p. m. 648.* (u) *p. I n. 4.*

Inde paſſim alias, Ioui & Fortunæ, Ioui & Herculi, Ioui & Marti, Ioui, Iunoni & Mineruæ. Varias autem adpellationes diuinitates fuere nactæ, idque vel pro ratione loci, vbi colebantur, vel pro ratione cultus, vel pro ratione opitulationis, quam a diis exſpectabant, vel ſibi factam credebant. Inde Iouem adorabant iratum, ſi beneficiis non adficerentur, Veiouem alias dictum: Venerem fingebant pudicam cum laſciuam neglexerant. Solem colebant & Neptunum, cum vbertatem atque diuitias ſibi deberi ſimularent. Ex quo dein factum, vt non propitios ſolum deos ſibi conciliarent (x), ſed iratos etiam (y) ne nocerent.

DE DIIS CONSENTIBVS

Breuiter quidem aſt egregie præcipuorum deorum figuras deſcribit Arnobius (z), quas ſingulas ſuis locis inſeremus: atque eadem ratione eorum quoque officia deſcripta legimus ab eodem (a). De ſingulorum autem in ſpecie figura, officio & cultu nobis nunc ſermo erit.

IVPITER

Iouem Optimum Maximum deorum ſemper credidit antiquitas, quod tum ex omnibus veterum ſcriptis atque monumentis, tum ex verſibus Orphicis ab Apuleio (b) adductis quam maxime patet. Infinita eiusdem ſunt cognomina, & quidem propter ſpecierum multitudinem, quarum diuerſitate fit multiformis, vti ait Apuleius

(x) Gruterus *p. IV n. 9 & 10.* (y) Gruterus *p. CXXX n. 4.* (z) *lib. VI p. m. 197.* (a) *lib. III p. m. 113.* (b) *de mundo p. m. 75.*

leius, præcipua tantum adducemus. Iouem *Capitolinum* propter beneficia populus Romanus optimum, propter vim maximum nominabat (c), & quidem ante optimum, id eſt, beneficentiſſimum (d). In Inſcriptione antiqua apud Gruterum (e) dicitur OPTIMVS MAXIMVS CAELVS AETERNVS IVPPITER. *Pater* quoque dicebatur, diuumque hominumque (f). Iouem *Statorem* in bello cum Sabinis primus coluit Romulus (g), ideo ſic dictum, quod eius beneficio ſtent omnia ſecundum Senecam (h); eum cuſtodem orbis adpellat Cicero (i). Ioui *Elicio* aram in Auentino dicauit Numa (k). Iouem enim de cœlo ad ſua ſacra elici ſiue educi poſſe putabant veteres, de quo Ouidius (l):

eliciunt cœlo te Iuppiter vnde minores
nunc quoque te celebrant Eliciumque vocant,

in cuius cultu cum neque recte inirentur, nec rite curarentur ſacra, infelix fuit Seruius Tullius (m). Ioui *Victori* in bello cum Samnitibus templum vouit Papirius (n). *Salutarem* atque *hoſpitalem* adpellat Cicero (o), itemque *Imperatorem* (p), cuius ſimulacrum ſiue ſignum apud Prænestinos olim cultum, capta vrbe Romam detulit Titus Quintius (q). *Ioui Feretrio* prima ſpolia opima dicauit Romulus (r), *Inuentori* ob detectos Decebali theſauros ſacel-

(c) Cicero *pro domo c. pen.* (d) Cicero *de Nat. D. II c. XXV.* (e) *p. XII n. 4.* (f) Cicero *c. l.* Varro *de L. L. lib. IV p. m. 42.* (g) Liuius *I. c. XII.* Dionyſ. Halic. *lib. II p. m. 114.* (h) *de beneficiis lib. IV c. VII.* (i) *Catil. I c. V.* (k) Liuius *I c. XX.* (l) *III Faſt. v. 327.* (m) Liuius *I c. XXXI.* Plinius *II c. LIII.* (n) Liuius *X c. XLII.* (o) *III de Fin. c. XX.* (p) *IV in Verrem c. LVII.* (q) Liuius *VI c. XXIX.* (r) Liuius *I c. X.*

Digitized by Google

Digitized by Google

cellum poſuit Traianus (ſ), *Tonans*, *Tarpeius* etiam dicitur in inſcriptione apud Gruterum (t). Dictus & *fulgurator*, *Tonitrualis*, *Fulminator*, *imbricitor* etiam & *Serenator*. Plures eum vocarunt *frugiferum*, multi vrbis cuſtodem, alii *amicalem*, *militarem*, *triumphatorem*, *propagatorem & tropæophorum* ſecundum Apuleium (u). Iupiter *Piſtor* vnde originem traxerit, docet Lactantius. (x). Inde plura nactus eſt cognomina, dixerunt enim eum *opitulum*, *impulſorem centupedam*, *ſupinalem*, *tigillum*, *almum*, *ruminum*, & alia quæ perſequi longum, vti loquitur Auguſtinus (y). Qui eadem noſſe deſiderat adeat Gyraldum (z), &, qui ex eodem fere omnia hauſit Roſinum (a), addi quoque poteſt Briſſonius (b). Figuræ eiusdem pro ratione fabulæ variant: Cyprianus enim (c) inquit: *Iouem illum ſuum non magis regno quam vitiis principem in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptu miniſtris auibus proſilire exprimunt*. Pingebant eum plerumque vti adparet in nummis atque monumentis veterum, ſtantem vel ſedentem, nudum, vel inferiori tandem parte veſtitum, capite ſenili, cum haſta & fulmine triſulco & aquila ad pedes, quæ propria eiusdem nota, vel ſub boue Europam rapiente, vel ſub aquila fulguri innixa. Ita etiam eiusdem figuram deſcribit Albericus: *pingebatur*, inquit, *in throno eburneo, in ſua maieſtatis ſede ſedens: ſceptrum regium in manu tenens, ſcilicet ſiniſtra: ex altera* *Tab. I n. 1. 2. 3.*

K 3 *vero*

(ſ) Gruterus *p. XXI. n 8* (t) *p. LXXII n. 5.* (u) *de mundo c. fin.* (x) *lib. I c. XX.* (y) *de Ciu. D. lib. VII c. XI.* (z) *ſynt. II.* (a) *lib. II c. V.* (b) *de formulis lib. I p. m. 47.* (c) *ep. II.*

vero ſcilicet dextra, fulmina ad inferos mittens, & gigantes repreſſos fulmine tenens ſub pedibus & conculcans. Iuxta eum vero quædam aquila, quæ volans inter pedes ſuos quendam pulcherrimum iuuenem, ſcilicet Ganymedem raptum portabat, habentem in manu craterem, vt Ioui poculum propinaret. Fulmina autem in manu tenentem cur pinxerint, huius in rationem inquirit Plinius (d) concludens: *vt e flagrante ligno carbo cum crepitu, ſic a ſidere cæleſtis ignis expuitur.* Ante eius pedes in templis ponebatur Ganymedis effigies, & aquila, teſte Lactantio (e). Iouem *Caſium, Labradeum* alias dictum cum bipenni
n. 4. videmus, *creſcentem* ſub figura capræ, *Ammonem* cum ſe-
n. 5. nili capite cornuto. Officium eius in eo ponebant, vt
n. 6. conſeſſui deorum præſideret, & opem quam reliqui dii ferre non poterant, etiam in rebus peruerſiſſimis præſtaret, ideoque ad illum in extremis maxime neceſſitatibus preces ſuas dirigebanr. Inde eundem atque Herculem deos magnos adpellabant Romani. Eidem inter animalia aries, bos, agnus, ſacra, inter arbores quercus, fagus, æſculus, ilex. Singularis cultus erat Iouis *Latiaris*, Dei omni Latio communis, qui feriis latinis in monte Albano fiebat. Cuius cultus originem deſcribit Halicarnaſſenſis (f). Sanguine quidem humano eundem ludis ſuis placatum fuiſſe volunt Chriſtianorum patres, quibus fidem non habere temerarium eſſet, illud tamen de poſteriori potius tempore eſſe intelligendum, infra dicemus de ſacrificiis.

IVNO.

(d) *lib. II cap. XX.* (e) *lib. I cap. XI.* (f) *lib. IV p.m. 250.*

IVNO

Proximam Ioui facimus Iunonem, eiusdem & ſororem & vxorem, reginam plerumque dictam (g). Varia accepit a Romanis cognomina: ita dicta *Fluuionia*, quod ſequiori ſexui præeſſet, ſecundum Feſtum. *Opigeniam* [quod pro Arnobii Oſſipagina legendum putem,] colebant matronæ, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant, ſecundum eundem. *Februlis* ſiue Februalis ideo dicta, quod ipſi illo menſe ſacra fierent. *Populonia* mentionem facit Macrobius (h). *Cinxia* a nouæ nuptæ cingulo ipſi ſacrato dicta, *Caprotina* a caprifico arbore, cui nonis Iulii ſacra fiebant, quæ cognomina coniunxit Arnobius (i). Eam autem fingebant throno inſidentem cum pauone ante pedes, & ferula in manu, rarius ſtantem atque haſtatam. Apuleius (k) eam effingit mulierem honeſta forma, habentem in capite candidum diadema, & ſceptrum manu geſtantem. Eiusdem officium erat, vt fœminino ſexui præeſſet, & diuitias hominibus daret. Maxime vero vt matrimonia auſpicata redderet, ex quo *Iugatina* dicta (l) & *pronuba* (m), quod pro Pomona apud Arnobium (n) ſubſtituimus, & partubus præeſſet, ex quo *Lucina* dicta (o). Vt enim apud Græcos Dianam, eamque luciferam, ſic apud Romanos Iunonem Lucinam in pariendo inuocabant, inquit Tullius (p). Quo facit inſcriptio apud Reineſium (q) *Tab. I n. 7. 8.*

IVNO.

(g) Cicero *pro domo c. pen.* Liuius *XXII c. I.* (h) *Saturn. III c. XI.* (i) *lib. III p. m. 118.* (k) *X Metam. p. m. 253.* (l) Gruterus *p. XXVII n. 15.* (m) Gruterus *p. XXV n. 3.* (n) *lib. III p. m. 118.* (o) *lib. III. p. m. 106.* (p) *lib. II. de N. D. c. XXVII.* (q) *inſcr. XXX.*

IVNONI LVCINAI
PRO FILIA PARVA LABORANTE
SVSCEPTO VOTO
STATILIA. D. D

Conſeruatrix etiam liberorum domus Auguſtæ dicta *(r)*
& Iuno Placida conſeruatrix Auguſta (ſ). Colebatur a
deſponſatis, nouis nuptis. fœminis ſterilibus & partu la-
borantibus, ideoque illi ſtatim poſt enixum feliciter par-
tum ſacrificabant capram vel ouem ; anſeres quoque
ipſi dicatæ & inter flores lilia, quæ lacte Iunonis reſperſa
candida facta fabulabantur, inde & roſa Iunonia dicta.
Omnes quoque Calendæ ſacræ *(t)*, quibus immolabatur
agna vel porca, atque ea ratione dicta *Nouella* & *Calenda-
ris*, & vti mihi videtur *Patulcia* apud Reineſium *(u)*, licet
a felici partus expeditione eandem ſic dictam velit. Iu-
n. 9. nonem *monetam* nummus gentis Cariſiæ capite fœmini-
no, crinibus circumplexis ac monili circa collum repræ-
ſentat, cui ædem vouit L. Furius dictator *(x)*. *Soſpita* a-
lias Siſpita vel Lanuuina a loco vbi culta (y), vel Græco-
n. 10. rum more *Ammonia* dicta, caprinis cornubus in Latio
culta, eiusque effigies in nummis gentis Papiæ, Praeciliæ
atque Roſciæ obuia. In nummo gentis Thoriæ cum
n. 11. galea viſitur ex pelle caprina. Cultus eius primum tan-
tum Lanuuii, ſed Romanis communis *(z)*, poſt ipſi & ædes
a C. Cornelio Cos. quadriennio ante in bello Gallico vo-
ta *(a)* Romæ in foro olitorio extructa (b). Licet alii pro
Iuno-

(r) Gruterus *p. XV n. 4.* (ſ) Gruterus *p. XXV n. 2.* (t) Macrobius *Saturn. I c. IX.* (u) *inſcr. XXXIII.* (x) Liuius *VIII c. XXVIII.* (y) Liuius *VIII c. XIV. XXII c. I & XXIII c. XXXI.* (z) Liuius *VIII c. XIV.* (a) Liuius *XXXII. c. XXX.* (b) Liuius *XXXIV c. LIII.*

Iunone ſoſpita Matutam hic ſubſtituant, quod tamen falſum eſſe tum ex collatione vtrorumque Liuii locorum, tum ex eo, quod nunquam Iuno Matuta veteribus dicta, adparet. Inde in nummis ſæpius I. S. M. R, ſeu Iuno Soſpita Maxima Regina.

In extimis Italiæ partibus celebris erat Iunonis *Laciniæ* cultus, ab oppido Lacinio ſic dictæ, de quo Liuius (c): in cuius ara ſub dio ſita perflantibus etiam vndique procellis cineres fuiſſe immobiles teſtatur Plinius (d). Iunoni *Quiritiæ* in omnibus curiis menſas poſuit Tatius (e), ad quam etiam ſpectat inſcriptio apud Gruterum (f). Alia eſt *ſororia*, ſiue ſororum inſpectrix, de qua Halicarnaſſenſis (g). Sed quid *Iunones*, quarum mentio non infrequens in inſcriptionibus veterum? Vt (h)

IVNONIBVS
V. S. L. M
&
IVNONIBVS
VOTVM
RETVLIT

Explicat quid ſint Plinius (i), dum ait: *quamobrem maior cælitum populus etiam quam hominum intelligi poteſt cum ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem deos faciant Iunones Genioſque adoptando ſibi.* Licet quidem communiter contendant, vti ſolis viris genios, ſic & fœminis tantum Iunones fuiſſe adſignatas, aliud tamen tum ex di-

L cto

(c) Liuius *XXII c. XXXIII.* (d) *lib. II c. CVII.* (e) *lib. II p. m. 114.* (f) *p. CCCVIII n. 1.* (g) *lib. III. p. m. 159.* (h) Gruterus *p. XXIV n. 1 & 5.* (i) *lib. II c. VII.*

cto Plinii loco, tum etiam ex aliis adparet. Stoicos enim ſingulis hominibus & genium & Iunonem dediſſe ait Seneca (k). Quo facit & verſus Iuuenalis (l)

& per Iunonem domini iurante miniſtro

quem quidem, quod de ſeruo effœminato loquitur, abuſiue intelligi volunt, quaſi fœminarum mores induerit, quod verum quidem, eo quod per genios non per Iunones iurare ſoliti viri, ſed cum *domini Iunonem* ait Iuuenalis, etiam viris eandem adſcribit. Ita & frequentes occurrunt inſcriptiones, quibus vota Iunonibus ſoluunt viri (m)

CN. CORNEL
NIKANOR
IVNONIBVS
V. S. L. M

Non autem ſuis ſolum, ſed aliorum etiam Iunonibus vota ſoluebant (n)

IVNONIBVS
AVG. SAC
& (o)
IVNONIBVS IVLIAE
ET. SEXTILIAE

Iunones autem ea ratione dictæ videntur, quod proſperis alia, alia aduerſis præeſſe credebatur, vti infra de geniis dice-

(k) *ep. CX.* (l) *Sat. II v. 96.* (m) Gruterus *p. XXIV n. 2.3.4.5. & p. CCCCX n. 5. p. MLXV n. 6.* (n) Gruterus *p. XXIV n. 4.* (o) Gruterus *p. XXV n. 11.*

Digitized by Google

Digitized by Google

dicemus. Maxime vero puellæ natali die hiſce ſacra faciebant, de quo Tibullus (p) canit:

Natalis Iuno, ſanctos cape thuris aceruos,
quos tibi dat tenera, docta puella manu.

APOLLO

Muſarum præſes, & ſolo oraculo Delphico cuique notus eſt. Eiusdem cognomina apud Græcos plura quam apud Romanos, pleraque vero a fabulis deſumta, vt *Pythius* a Pythone ſerpente ſagittis confecto: *Erymanthius* ab apro Erymanthio, & ſic porro. Præcipuum apud Romanos erat *Palatini*, cui templum in Palatino monte poſt victoriam Actiacam dicauit Auguſtus, additis & porticibus cum bibliotheca latina græcaque (q); poſtea quoque aureas cortinas dedicauit (r), inde & mons iſte Palatinus, palatium ſiue Regia Auguſti in eiusdem tutela eſſe cœpit, quare & APOLLO TVTELARIS dictus (ſ). Idem quoque adpellatus *Actiacus*, ob deuictum ad Actium Antonium nauali prœlio, quod deſcribit Dio (t) & Propertius (u), qui inter alia canit:

Actius hinc traxit Phœbus monimenta, quod eius
Vna decem vicit miſſa ſagitta rates.

Quare & *naualis* dictus eidem (x)

L 3 *Atque*

(p) *lib. IV el. VI.* (q) Suetonius *Auguſto c. XXIX.* (r) *c. LII.* (ſ) Gruterus *p. LXXVII n. 1.* (t) *lib. LI ab initio.* (u) *lib. IV el. VII v. 65.* (x) *lib. IV el. I.*

Atque vbi nauali ſtant ſacra palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuere boues.

Sic & Apollo *defenſor* pro Auguſtorum ſalute inuocatus (y). Frequentes apud Gruterum extant inſcriptiones Apollini Granno ſacratæ:

APOLLINI
GRANNO. ET
SANCTAE
SIRONIAE
SACRVM

& (z)

APOLLINI GRANNO
ET. SIRONIAE. DIS. PRAE
SENTIB. Q. AXIVS. AELI
ANVS. V. E. PROC. AVG. C.

Quis iſte Grannus, quæ ſancta Sironia? Græca quidem ſunt hæc, ſed dum ad illuſtrandam inſcriptionem Romanam faciant, eadem huc referimus. Sironia Dea nulla alia eſt quam Ἄρτεμις ſeu Diana, quæ Heſychio Saronia dea a ſinu Saronico dicitur, ſinus autem hic Megaridis Græcorum regionis pars erat. Montem vero in eadem Megaride fuiſſe, cui nomen Gerania, Harpocration teſtatur, γεράνεια inquit, ἐστι ὄρος Μεγαρίδος, *Gerania mons eſt Megaridis*. *Beleni* quoque cognomen in inſcriptionibus eidem frequenter additur, quem Norici plerumque venerabantur ſecundum Tertullianum (a), idque

(y) Gruterus *p. XXXVII n. 9.* (z) *p. XXXVII n. 11.* (a) *apologetico c. XXV.*

idque ex Græcorum Abellio formatum, quod ſolem notabat, vti infra ſub ſole dicemus (b). Apollinem *Sandaliarium* vicatim dedicauit Auguſtus (c). Quem quidem a ſandaliis, calceamenti genere ſic dictum volunt, verius tamen a vico ſandaliari nomen habet, in quo dedicatus, qui in regione quarta vrbis fuit ſecundum Pancirollum & Panuinium, cuius etiam vici Gellius (d) mentionem facit. Pingebatur (e) Apollo facie iuuenili, ſem- *Tab. I. n.*
per imberbis, dextra manu ſagittas, arcum & pharetram *12. 13.*
(f), ſiniſtra citharam tenens. Inde Arnobius (g), *cum plectro* inquit *& fidibus pingitur Delius citharista, geſtus ſeruans cantaturi & nenias hiſtrionis.* Laurea quandoque capiti impoſita corona, & imagini additus Python, ſerpens triceps. In nummis ſæpe ſub ſacro tripode, gry- *n. 14.*
pho, Pegaſo, lyra, aut ſerpente pluribus gyris intorto eundem notabant, vel curru vectum tanquam ſolis aurigam vel laurum manu tenentem tanquam ludorum præſidem fingebant. De tripode iſto quid fuerit, ſine cauſſa diſputant, cum ex nummis XVuirorum ſatis pateat, fuiſſe vas quoddam ternis nixum pedibus, cui inſidebat ſacerdos reſponſa datura. Et cum Muſarum, augurum, citharœdorum, ſagittariorum ac vatum, Medicorum quoque præſes putaretur, ab his generis hominibus maxima veneratione celebrabatur. Medicinæ quoque habebatur inuentor, ſecundum Ouidium (h); indeque

(b) *vid. & Voſſius de idol. lib. II c. XVII.* (c) Suetonius *Auguſto cap. LVII.* (d) *lib. XVIII c. IV.* (e) Cicero *de Nat. D. lib. I c. XXX.* (f) Macrobius *I Saturn. c. XVII.* (g) *lib. VI p. m. 197.* (h) *Metam. I v. 521.*

Medicus dictus, cui ædem dicauit M. Fuluius (i), cum iam longe ante pro valetudine populi ædes eſſet (k) vota. Præterea & diuinitatis ſcientiam largiri hariolantibus putabatur (l). Quæ Apollinis officia optime coniungit Virgilius (m), dum ita canit:

Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo,
augurium cytharamque dabat, celeresque ſagittas.
Ille, vt depoſiti proferret fata parentis,
ſcire poteſtates herbarum vſumque medendi
maluit, & mutas agitare inglorius artes.

n. 15. Colebatur & ſub figura Solis radiato capite, atque tunc dicebatur quoque *Phœbus*, licet Soli etiam propria ſua finxerint natalitia. Sacræ erant arbores laurus, iuniperus, malus; inter animalia equi, muli, tauri, gryphes, gallus, coruus etiam & delphinus, quod ex nummis XVuirorum adparet, & cygni (n): palmæ autem Muſis.

DIANA

Proximam huic facimus ſororem eius Dianam, virginem plerumque dictam (o); cuius cultus cum Græcis præcipuus, cognomina etiam apud eos pleraque obtinent. Romanis dicta *Lucina*, vt (p)

DIA-

(i) Liuius *XL c. LI.* (k) Liuius *IV c. XXV.* (l) Arnobius *III p. mi 144.* (m) *lib. XII Aen. v. 433.* (n) Cicero *Tuſcul. quaſt. lib. I c. XXX.* (o) Gruterus *p. XL inſcr. 11 & 12.* (p) *p. XLI n. 4.*

DIANAE
LVCINAE
INVICTAE

cuius rationem refert Cicero (q), *Luna*, inquit, *a lucendo nominata. Eadem eſt enim Lucina, itaque vt apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud noſtros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant: quæ eadem Diana omniuaga dicitur, non a venando, ſed quod in ſeptem numeratur tanquam vagantibus Diana dicta, quia noctu quaſi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod ii matureſcunt aut ſeptem nonnunquam, aut plerumque nouem lunæ curſibus: qui quia menſa ſpatia conficiunt, menſes nominantur.* Inde Inſcriptio (r) apud Gruterum.

DIANAE. LVCIF
LVNAE

Quare in nummis etiam ſæpe Diana Lucifera, & apud Reineſium (ſ)

LVCINA LVCIFERA dicitur.

Ita non lux ſolum, ſed & grauidæ atque parturientes puellæ in eius tutela; de quo Ouidius (t)

Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina lucus,
aut quia principium tu Dea lucis habes.
Parce precor grauidis facilis Lucina puellis,
maturumque vtero molliter aufer onus.

& Ma-

(q) *II de N. D. c. XXVII.* (r) *p. XL. inſcr. 3.* (ſ) *inſcr. LVIII.* (t) *II Faſt. v. 449.*

& Macrobius (u) *Lucina*, inquit, *a parturientibus inuocatur: quia proprium eius munus eſt, diſtendere rimas corporis & meatibus viam dare, quod accelerando partui ſalutare eſt:* atque ea ratione DIANA MATER dicta apud Gruterum (x). In eo autem a Iunone Lucina differebat, quod cura primi partus, recens natorum infantum atque nutrimenti eorum Dianæ competeret, quare & multimamma picta, & pro felici partu implorata fuit; fœminis autem harumque partui præeſſet Iuno Lucina. *Epheſia* etiam cultum Romani ex parte ſibi vindicabant, cuius figuram eleganter deſcribit Minutius
Tab. I n. 16. Felix (y), dum ait: *Diana interdum eſt alte ſuccincta venatrix: & Epheſia mammismultis & verubus* [vti emendatius pro vberibus legendum putamus] *extructa: & Triuia trinis capitibus, multis manibus horrifica.* Verua autem ſecundum Holſtenium erant fulcimenta ferrea oblonga, quæ brachiis ſuppoſita totam mammoſi pectoris
n. 17. molem ſuſtinebant. *Triuiam* vero ſic dictam putat Varro (z), quod in triuiis coleretur, inde Horatio (a) dicitur *diua triformis*, & Ouidio (b) *triceps Hecate. Triplex* dicitur in inſcriptionibus (c) & tergemina dicta eo, quod in quolibet orbe ſuas habet vices. Ita luna in cœlis, Diana in terris, Hecate apud inferos dicta, de quo Prudentius canit (d):

- - cum luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu;
cum ſuccincta iacit calamos, Latonia virgo eſt;

cum

(u) Saturn. *VII c. fin.* (x) *p. XLI inſcr. 5.* (y) *c. XXI.* (z) *de L. L. lib. VI. p. m. 47.* (a) *III ode XXII.* (b) *Metam. VII v. 177.* (c) Gruterus *p. XXVIII n. 6.* (d) *lib. I contra Symm. v. 365.*

Digitized by Google

cum ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia coniunx,
imperitat furiis & dictat iura Megaera.
Si verum quaeris, Triuia ſub nomine daemon
Tartareus colitur. - -

Inde Claudianus (e)

ecce procul ternas Hecate variata figuras:

Atque Auſonius (f)

tergemina eſt Hecate, tria virginis ora Dianae.

Triplex enim eiusdem officium optime deſcribit Horatius (g), dum eam ita adloquitur:

Montium cuſtos, nemorumque virgo,
quae laborantes vtero puellas
ter vocata audis, adimis letho
diua triformis.

Sic Diana venatrix, Laphria & Pergamena alte ſuccincta crinibus in nodum contortis viſitur, arcum manu tenens, pharetram in dorſo, lunam dimidiam in capite, ceruum aut canem venaticum ante pedes habens; dicta ea ratione Diana Nemorenſis, vt eſt in lapide priſco (h) n. 18.

DIANAE
NEMORESI. VESTAE
& alio (i)
DIANAI. OPIFER.
NEMORENSI

A pharetra Sabinis dicta Ardoinna: (k) ἀρδεῖς enim pharetras notant. Alias adpellatur

M RE.

(e) *de raptu Proſerpinae lib. I v. 15* (f) *grypho v. 18* (g) *ode XXII.* (h) Gruterus *p. XLI n. 7. & 8* (i) Gruterus *p. XXXIX n. 8.* (k) Gruterus *p. XL n. 9.*

REGINA. VNDARVM. NYMPHA NEMORVM. DECVS

Vndarum dicitur nympha regina, quia eandem nympharum præſidem æſtiuo tempore in vndis ablui ſolitam
n. 19. vel ex Actæonis fabula notum eſt. Quandoque etiam habitu alias conſueto, gradiens dextra facem, ſini-
n. 20. ſtra venabulum præferens; vel curru vecta cum duobus bobus aut ceruis, in nummis præcipue, adparet. Canis & ceruus immolabatur, ideo dea *κυνοσφαγὴ* & feſtum eius *ἑορτὴ κυνοφόντις* dictum (l). Nouæ quoque nuptæ & primo partu leuatæ mulieres, Zonam tanquam ipſius ſolutam beneficio illi dedicabant: venatores vero arcum & pharetras, de quo Claudianus, (m)

Tibi ſæpe Diana
Mænalios arcus venatricesque pharetras
ſuſpendis puerile decus.

Vti vero Apollo cum Sole, ſic & ſoror eius cum luna ſæpe pro eadem habetur; ideoque eam ſæpius cum luna falcata in capite videmus.

MERCVRIVS.

Proximum facimus eloquentiæ præſidem, Deorum interpretem & nuntium, mercatorum & furum Deum Mercurium, quem Horatius (n) ita adloquitur

Te canam magni Iouis & deorum nuncium.

Arnobio (o) *Caduceator* dicitur *Cyllenius*, *in algido fuſus monte*, [Cyllene ſcilicet Arcadiæ] *verborum excogitator & hominum, nundinarum, mercium commerciorumque*

(l) Reineſius *var. lect. I c. XV.* (m) *de IV Conſ. Honorii v. 160* (n) *I Carm. ode X* (o) *lib. III p. m. 119.*

que mutator. Eodem fero modo Cæſar (p) de eodem inquit, *omnium inuentorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur*. Nota eiusdem eſt perpetua caduceus, ſiue virga ſacra in medio duorum ſerpentum inter ſe conuolutorum & ſe mutuo inſpicientium. Quare Arnobio (q) *geſtator affabilium colubrarum* dicitur. Pingebatur autem vt iuuenis imberbis, ſiue vt Arnobius loquitur (r) glaber, atque ore leuis, cum petaſo alato, vel cum galero Armeniaco, alatis quoque pedibus. Quo facit inſcriptio Veronenſis (ſ) apud Reineſium *Tab. II n. 1. 2.*

SVM DEVS ALATIS QVI CRVRIBVS
AETHERA CARPO
QVEM PEPERIT MAGNO LVCIDA
MAIA IOVI

Manu caduceum protendit & oliuæ ramum; palleatus nonnunquam & crumenam manu tenens, adſtante ad pedes gallo. Officium eius maxime in eo conſtabat, vt deos ad conſeſſum inuitaret, meliorisque vitæ præcepta e cœlo hominibus adnuntiaret; quare & MAXIMVS ET CONSERVATOR ORBIS dictus (t): & cum mercatoribus aliisque lucrum facientibus præſit, ideo in lapidibus (u) MERCVRIVS NEGOTIATOR & (x) MERCVRIVS NVNDINATOR dicitur, atque a mercatoribus maxime fuit cultus, vti Ouidius canit (y):

M 2 Te

(p) VI *de B. G. c. XVII* (q) *lib. IV p. m. 141* (r) *lib. VI p. m. 117* (ſ) Reineſius *inſcr. LXXVII* (t) Reineſius *inſcr. LXXXI* (u) Gruterus *p. LV n. 1.* (x) Reineſius *inſcr. LXXX.* (y) *V Faſt. v. 672.*

Te quicunque ſuas profitentur vendere merces.
thure dato, tribuas vt ſibi lucra rogant.

Pugillaribus quoque & luctationibus præeſſe dicebatur (z) compitis etiam, quare & DEVS VIACVS (a) & ſtatuæ compitales ab eodem Mercuriales, vel græca notione Hermæ dictæ. Somni quoque præſes erat, cui pro iucundis ſomniis libabant, & non ſolum morituris præeſſe, ſed etiam animas ex orco iterum euocare credebatur; de quo Virgilius canit (b)

. . . *& primum pedibus talaria nectit*
aurea, quæ ſublimem alis ſiue æquora ſupra,
ſeu terram, rapido pariter cum flamine portant.
tum virgam capit: hac animas ille euocat orco
pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit:
dat ſomnos, adimitque & lumina morte reſignat:

Ei ficus ſacra exinde Mercurialis dicta; & inter animalia, gallus.

MINERVA.

Ob artium ſtudia eidem iungimus Mineruam, *Palladem* quoque dictam, ſapientiæ & artium liberalium præſidem, quæ mentis filia, Iouis enata de cerebro, inuentrix oleæ, magiſteriis artium & diſciplinarum varietatibus erudita, vti loquitur Arnobius (c). Figuram eius ita deſcribit Apuleius (d): *Caput*, inquit, *contecta fulgenti galea, & oleagina corona tegebatur ipſa galea, clypeum attollens & haſtam quatiens.* Pingebant eam ſtolatam

(z) Arnobius *lib. III p. m.* 114. (a) Gruterus *p. LV n.* 5 (b) *IV Aen. v.* 239. (c) *lib. III. p. m.* 118 (d) *X Metam. p. m.* 254.

latam plerumque vel armatam, oculis toruis vel vt Cicero (e) & Minutius Felix (f) aiunt cæſiis: adſpectu virili, capite galeato, galea vero quadrigis, pegaſo vel ſphinge ornata; ægidem pectore, manu nunc haſtam, nunc clypeum, nunc etiam fulmen, interdum & oliuam & victoriæ ſignum, & vlulam quoque ſeu noctuam præferens, vti eam deſcribit Torrentius (g). Quæ deſcriptio cum monumentis veterum adprime conuenit. Habitum quoque Virgilius (h) ita deſcribit: *Tab. II n. 3. 4.*

> *Aegidaque horrificam turbatæ Palladis arma,*
> *certatim ſquammis ſerpentum auroque poleibant:*
> *connexosque angueis, ipſamque in pectore diua*
> *Gorgona, deſecto vertentem lumina collo.*

Eius artes docet Iſidorus (i) dum ait: *hanc primam prædicant lanificii vſum monſtraſſe, hanc etiam telam ordiſſe & coloraſſe lanas perhibent. Oliua quoque hanc dicunt inuentricem & fabricæ, multarumque artium repertricem, ideoque illi vulgo opifices ſupplicant*, & ab hiſce ſordibus adſcendit in cœlum, vti Lactantius loquitur (k). Hanc ob rem cum artibus præeſſet, Minerua quoque *medica* (l) colebatur, cui in quinta regione templum adſignat P. Victor. Pancirollus quidem medicam ſic dictam putat a veſte ſericea, ſed falſum eſſe res ipſa ſuadet, maxime cum ex aliis inſcriptionibus adpareat, ſanitati reſtituendæ quoque præfuiſſe Mineruam; vt eſt in illa apud Gruterum (m)

M 3 MI-

(e) *I de N. D. c: XXX.* (f) *Octauio c. XXI.* (g) *ad Horatii lib. I carm. XV.* (h) *VIII Aeneid. v. 439.* (i) *XIX Origg. c. XX.* (k) *lib. I c. XVIII.* (l) Gruterus *p. MLXVII, n. 3.* (m) *p. LXXXI n. 9 & p. MLXVII n. 4.*

MINERVAE
MEMORI
COELIA. IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS. INFIRMITATE
GRAVI. LIBERATA
D. P.

Quia vero ſapientiæ dea habebatur, in ſcholis, ludis atque gymnaſiis ejus cultus maximus, de quo Iacobus Ræuardus (n). Quare & dedicabatur in omnibus bibliothecis atque academiis, in quibus & ſtatuæ ſacratæ quas hermathenas dicebant: ita enim Cicero (o) de villa ſua ad exemplum Atticæ, academia dicta: *quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt ornamentum academiæ proprium meæ: quod & Hermes commune omnium, & Minerua, ſingulare eſt eius gymnaſii.* Hinc & cum ſapientia percipi auribus ſolis poſſit, oculis ſolis non poſſit, vti inquit Lactantius, (p) aures quoque argenteæ eidem fuere dicatæ, vti ex inſcriptione Placentina (q) diſcimus

MINERVAE. AVG
L. CALLIDIVS. PRIMVS
BRIXELLANVS. EX. ARG
LIB. II. ITEM. L. CALLIDIVS
PRIMVS. AVRES. ARGENTEAS.
V. S. L. M

Præterea cum Ioue & Iunone tutelaris Capitolii dea

(n) *Coniect. lib. I c. X p. m. 18.* (o) Cicero *ad Att. I. ep III* (p) *lib. III c. IX* (q) Gruterus *p. MLXVII n. 1*

dea habebatur, inde cuſtos vrbis Romæ ſæpius dicta Ciceroni: & frequentes extant inſcriptiones (r)

IOVI
IVNONI
MINERVAE

Mineruæ *capta* ædicula erat in regione ſecunda, de qua Ouidius (ſ)

Parua licet videas captæ delubra Mineruæ,
quæ dea natali cœpit habere ſuo.

Nominis rationem variam adfert, vel quod eadem ac capitalis ſeu ingenioſa dea, vel quia ex capite Iouis profiluiſſe dicebatur, vel quæ potior videtur, quod a Faliſcis quaſi capta Romam fuerit deducta. Minerua *Catulliana* dicebatur a Q. Lutatio Catulo, qui ſtatuam Euphranoris opus, eidem dedicauit infra Capitolium. (t) Sacratum illi erat Palladium, Veſtalium curæ demandatum, de quo infra; olea alias tanquam pacis ſymbolum, ſacra, & victimæ puræ, agna candida, taurus candidus, indomita iuuenca. Capra vero quod oliuam lambendo ſterilem faceret, Mineruæ non immolabatur (u).

MARS.

Mars bellorum deus, ſagatus plerumque, quandoque nudus ſuperiniecto pallio, cum haſta, quam Sabini Quirin dicebant, atque exinde Quirinus dictus, & galea in capite, in manibus vel clypeum, vel tropæum ferens, cum parazonio ad latus conſpicitur; quali figura Martem *vltorem* ſæpe pingebant, cui ædem bello Philippen- *Tab. II n. 5.*

(r) Gruterus p. V. *n. 3. 4. 5. 6.* (ſ) *Faſt. III. v. 837.* (t) Plinius *XXXIV. c. VIII.* (u) Plinius *VIII. c. L. extr.*

penſi pro victione paterna votum dicauit Auguſtus (x). Quandoque curru duobus equis vecto trahitur, aurigante Bellona ſorore, de qua infra. Cum vero ob felices belli progreſſus gradum proferentem, victoriolam maxime in manu tenentem fingebant, Martem innuebant *gradiuum*, cui Salios legit Numa. (y) Ob victoriam quam ſperatam adepti, Martem colebant *victorem*, (z) qui & MARS VINCIVS dictus, (a) & DEVS INVICTVS. (b) Martem *Coloſſum*, ſeu in coloſſi figura Scopæ opus, in templo apud circum poſuit Brutus Callaicus(c). Vt *pacifer* loco parazonii oleæ ramum tenet, & ſtatione magis ſedata ſe ſiſtit. Non raro quoque Mauors dictus & *Mauortius*, vt eſt in lapide priſco (d)

n. 7.

MAVORTIO

SACRVM

Sabinis dictus *Camulus*, vti ex inſcriptione (e) patet,

CAMVLO. SANC.

FORTISS.

SAC.

Ita autem dictus videtur a camo: camus enim genus aſperi freni eſt, quo caballi ſuperbi (f) coerceri ſolent, ſecundum Iſidorum, cum equorum ferocium maxime vſus in bellis, ideo & Marti ſacrati & proprii. Bellorum habebatur deus, quem pro felici belli progreſſu implorabant. Sacra eidem erant ancilia, arma cœlitus

(x) Suetonius *Aug. c. XXIX* Plinius *XXXIV c. VIII.* (y) Liuius *I c. XX.* (z) Gruterus *p. LVIII n. 6 & 7.* (a) Gruterus *p. LVIII n.* 8. (b) *c. l. n. 1.* (c) Plinius *XXXVI c. I.* (d) Gruterus *p. LVII n. 1 & 2.* (e) Gruterus *p. LVI n. 11. & p. XL n. 9.* (f) *XX Origg. c. XVI.*

tus delapſa, vti putabant, ſub Numa, vna edita voce omnium potentiſſimam fore ciuitatem, quamdiu in ea manſiſſent: ad cuius dein formam Marmurii cuiusdam ſuaſu, vndecim alia formata, ne cœleſtia interuerterentur. (f) In eiusdem ſacris nulla ligna niſi fraxinorum vtebantur: Caper & capra, lupi & præcipue equi dicati.

VENVS.

Marti iungimus Venerem, Vulcani quidem vxorem, Martis autem amaſiam. Arnobio dicitur (g) *Dioneia proles, viri materfamilias Troici, atque inteſtini decoris publicatrix.* Multa eiusdem ſunt cognomina, & vel CXXX numerant; præcipua hic licebit adducere. *Cœleſtis* plerunque dicebatur & Vrania (h), atque eo diſtinguebatur a populari, quæ capro inſidens pingebatur ſecundum Pauſaniam. (i) *Genetrici Iuliæ gentis tutelari* templum in foro ſuo poſt pugnam Pharſalicam extruxit Iulius Cæſar (k). *Victrici* Veneri templum altero conſulatu conſecrauit Pompeius. (l) Hanc a vinciendo potius quam vincendo dictam vult Varro (m), ſed contrariantur nummi, qui Venerem Victricem ſemper clypeo, vt in nummo Caracallæ & Plautillæ, vel columnæ innixam, vti in nummo Titi, haſtatam, manu ſiniſtra vel galeam, vt in nummo Titi & Magnæ Vrbicæ, vel victoriolam præferentem repræſentant, eadem ergo cum ea quæ Græcis *νικό-* *Tab. II n. 8.*

(f) Plutarchus *Numa p. m. 68.* Halicarn. *lib. II p. m. 130.* (g) Arnobius *lib. I p. m. 20.* (h) Gruterus *p. LIX n. 3 & 4.* (i) *in Eliac. p. m. 392.* (k) Appianus *l. II de B. C. p. m. 470 & 492* Dio *lib. XLIII p. m. 224 & XLIX p. m. 492.* (l) Plutarchus *Pompeio p. m. 655* Plinius *VIII c. VII.* (m) Varro *de L. L lib. IV p. m. 12.*

φορος victoriam ferens dicebatur. (n) *Cluacina* Veneri quæ cum Cloacina eadem, templum in eo loco extructum, quo Romani & Sabini armis depoſitis, pacem inierunt, & facto ſacrificio ſe purgarunt (o), locumque ad tabernas fuiſſe ex Liuio diſcimus. (p) Vrbe a Gallis occupata, obſeſſi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta feciſſent, ædem Veneri *Caluæ* conſecrarunt, teſte Lactantio (q) atque Vegetio (r). *Murtia* Venus ante Myrtea, a myrto ipſi ſacra ſic dicta. (ſ) *Verticordia* celebratur, quæ puellarum animos laſciuos ad caſtitatem verteret, cui ſimulacrum ex religione dedicatum memorant Valerius Maximus (t) & Plinius. (u) In Veneris *Libitinæ* templum in luco poſitum, certam nummi ſpeciem pro quolibet defuncto inferri iuſſit Seruius Tullius. (x) A qua tamen differunt *Libentina* & *Liburna*, quas libidinum ſupereſſe tutelis ait Arnobius (y). Veneris quidem cognomina, ſed a libidine deſumta. (z) *Erycina* votum ſoluitur inſcriptione quinta apud Gruterum (a); ab Eryce Siciliæ monte ſic dicta, cui templum ibi extruxit Aeneas. (b) Sic & *Acidalia* a Gratiarum fonte Acidalio nomen accepit. *Cypria* a Cypro inſula, *Paphia* a Papho. Inde etiam *Dea Syria* ſiue *Aſtarte* dicta, barbaris quidem culta, ex quo tamen intelligimus inſcriptiones varias, vt

(n) Plutarchus *c. l.* (o) Plinius *XV c. XXIX.* (p) *III c. XLVIII.* (q) *I c. XX.* (r) *IV c. IX.* (ſ) Plinius *c. l.* Plutarchus *qu. Rom. XX.* (t) *VIII c. XV.* (u) *VII c. XXXV.* (x) Dionyſ. Halic. *lib. IV p. m. 220.* (y) *lib. III p. m. 132.* (z) Varro *V de L. L. p. m. 37.* Auguſtinus *de Ciu. D. lib. IV c. VIII.* (a) *p. LIX.* (b) Halic. *lib. I. p. m. 42.*

I. O. M.
ET. DEAE. SVRIAE

Quarum denominationum cauſam adducit Diodorus Siculus, (c) dum ita loquitur: Ἀφροδίτην φασὶ ἐνδιατρίψαι τῆς μὲν Σικελίας περὶ τὸν Ἔρυκα, τῶν δὲ νήσων περὶ Κύθηρα καὶ Πάφον τῆς Κύπρου· τῆς δὲ Ἀσίας περὶ τὴν Συρίαν. Διὰ δὲ τὴν ἐπιφάνειαν καὶ τὴν ἐπὶ πλεῖον ἐπιδημίαν αὐτοῖς τοὺς ἐγχωρίους ἐξιδιάζεσθαι τὴν θεόν, καλοῦντας Ἀφροδίτην ἐρυκίνην καὶ κυθέρειαν καὶ παφίαν, ἔτι δὲ καὶ συρίαν. *Venus circa Erycem Siciliæ montem, & Cythera inſulam, & Paphum in Cypro, Syriamque Aſiæ prouinciam, commorabatur. Quod autem crebro ſe illic exhiberet, & diutius ſubſiſteret, accidit, vt ſibi hanc Deam incolæ vendicarent, eamque Venerem Erycinam, Cytheream, Paphiam & Syriam cognominarent.* In ſtatuis quandoque viſitur nuda, manu prehendens comam aquis madidam, atque exprimens, quia e ſpuma maris egreſſa eſſe putabatur: quare & Ouidius (d) n. 9.

Cum fieret, lapis aſper erat, nunc nobile ſignum,
nuda Venus madidas exprimit imbre comas.

Quandoque tanquam puella in concha e mari exeuns, n. 10. vel manu concham tenens, vel curru a columbis, cygnis n. 11. aut paſſeribus vecto trahebatur. Rarius currum trahunt leones; qualem repræſentat gemma elegantiſſima, quam ſeruat regia gatza Brandenburgica, ex qua eam exhibet Clar. Begerus in Theſauro Brandenburgico. (e) Nonnunquam & Tritonibus vecta adparet, de quo infra n. 12. dicetur pluribus. Quandoque ſtolata, plerumque tamen ſeminuda, rariſſime armata adparet, cum pomo in dex-

N 2

(c) *lib. V p. m. 344.* (d) *III de Art. am. v. 223* (e) *p. I, p. m. 170.*

n. 13. dextra, temone etiam in ſiniſtra. Formæ, generationis,
voluptatis & libidinum, caſtitatis quoque habebatur Dea,
& maximum eius officium in eo conſtabat, vt vel for-
mam daret, vel libidinoſorum inſeruiret voluptatibus.
Hinc colebatur a fœminis cuiuscunque generis, maxime
vero puellis formæ, & maritorum cupidis, vel a viris for-
moſas conquirentibus vxores, vel alias voluptati deditis.
Sacra erant myrtus, roſa, columba & cygni. Quare &
Aeneas apud Virgilium (f), myrtum maternam vocat &
de Venere Ouidius (g)

dixit & e myrto [myrto nam vincta capillos
conſtiterat,] folium granaque pauca dedit.

NEPTVNVS.

Neptunum proximum facimus, quem Arnobius (h)
deſcribit, quod ſit *frater Iouis Olympii germanus, triden-
ti armatus ferro, piſtricum* [belua marina (i)] *domi-
nus atque muranarum*, [certa piſcium ſpecies, cuius etiam
meminit Cicero, (k)] *rex ſalſorum gurgitum, & tre-
mebundi motator ſali.* In nummis ſæpe *redux* & *conſer-
uator Auguſti* dictus. Nudus adparet & barbatus cum
Tab. II n. tridente & delphino, quæ eius notæ perpetuæ. Qui e-
14. nim Neptuno ſimulacrum faciunt, inquit Hyginus, del-
phinum aut in manu, aut ſub pede conſtituere videmus,
quod Neptuno gratiſſimum eſſe arbitrantur. Quando-
n. 15. que nauis acroſtolium manu tenens, cum equis quoque
n. 16. & cetis mari tranquillo incedens: adiuncti comi-
tes

(f) *Georg. I v. 28.* (g) *III de arte am. v. 53.* (h) *lib. III p. m. 118.* (i) Florus *III c. V n. 16.* (k) *II de Fin. c. XXVIII.*

FIRENZE

Digitized by Google

tes Tritones, Nereides, Naiades & Sirenæ cum buccinis. Quare ita in Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus a Scopa efformatus colebatur, vt prope eſſent Nereides ſupra delphinos & cete & hippocampos ſedentes: item tritones, chorusque Phorci & priſtes, ac multa alia marina, teſtante id Plinio. (l) Rarius in concha conſpicitur Neptunus, quam currus loco Tritones trahunt, vt in nummo Claudii: per equos *n. 17.* quoque in mari vehebatur, curru quippe inſiſtens duobus equis diſiunctis tracto, equorum tenens habenas; de quo Virgilius (m)

Iungit equos curru genitor, ſpumantiaque addit
frena feris, manibusque omnes effundit habenas.

Equorum enim primus habebatur domitor (n); exinde ἵππιος ſiue *equeſtris* dictus, quem plerumque etiam ipſi veteres cum deo Conſo eundem volunt, ex ea maxime ratione, quod Hippocratia Neptuni equeſtris feſtum apud Arcades, Romanis dictum Conſualia, ſecundum Liuium (o) & (p) Halicarnaſſenſem. Licet & fuerint, qui diuerſos eos velint. (q) Officium eius erat, vt maritimis expeditionibus & claſſibus ſiue militaribus, ſiue mercatoriis præeſſet, ideoque pelagi dicebatur Deus, (r) & in nummo antiquo, *Omnipotens aquoris*, quem & aquarum fluctus commouere putabant. Hinc a nautis (s) atque mercatoribus Oceanum peruagantibus maxime colebatur, cui & mare ingreſſuri ſacra faciebant, & e mari incolumes domum reuerſi, reduci grates agebant.

N 3 Eque-

(l) *XXXVI c. V* (m) *V Aen. v. 817.* (n) Diodorus Siculus *V p. m. 337.* (o) *I c. IX.* (p) *I p. m. 26.* (q) Halicarn. *lib. II p. m. 100.* (r) Ouidius *VI Metam. v. 75.* (s) Gellius *II c. XXVIII* Cicero *II de N. D. c. XXXV*

Equeſtris etiam aurigatorum & factionum Circenſium ſtudiis præſidere & fauere putabatur.

CERES.

E mari in terram transſcendimus, Cererem conſiderantes; eam quidem *Pandam* & *Liberam* dictam quoque volunt, ſed perperam, vti infra ſuo loco patebit. In monumentis Romanis & præcipue familiarum
Tab. II n. 18. nummis ſæpius viſitur tanquam mulier ſtolata, ſpicis crinibus implexis, inde *ſancta ſpicea ſerta comæ* dixit Tibullus: (t) in quorum parte auerſa tanquam Cereris ſymbolum conſpicitur colonus terram arans. Quare & cum gentibus atque familiis præeſſet, ab iis quoque nomen adepta; vt Ceres Orciliana & conſeruatrix Organiana di-
n. 19. citur in lapidibus (u). Vt Proſerpinam quærens, curru vehitur ſerpentibus tracto, ambabus manibus faces ferens; de quo Ouidius (x)

illa duabus
flammiferas pinus manibus ſuccendit ab Aetna,
perque pruinoſas tulit irrequieta tenebras:

quare & dea tædifera dicta (y). Caniſtrum, cornu copiæ, calamus, papauera & aratrum illi adiuncta, atque notæ eiusdem perpetuæ. Mammoſam quoque depictam ex Lucretio docet Arnobius (z). Primam hanc ferro terram vertere docuiſſe perhibent, immo & leges, dum pace Cereris amica leges vigent. Inde Ouidius (a)

Prima

(t) *lib. I el. X v. 21* (u) Spon *miſcell. erud. ant. ſ. III n. 38. 39* (x) *V Metam. v. 341.* (y) Ouidius *epiſtola II v. 42.* (z) *lib. III p. m. 105. & lib. VI p. m. 209.* (a) *V Metam. v. 341.*

Prima Ceres vnco glebas dimouit aratro:
prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
prima dedit leges: Cereris ſunt omnia manu

Itaque agriculturæ, frugibus & terræ fertilitati præerat, quare & *frugifera* dicta (b) *mater agrorum* (c) & *mater maxima frugifera.* A colonis & his generis hominibus maxime colebatur de quo Ouidius (d)

Pace Ceres læta eſt, & vos orate coloni
perpetuam pacem, pacificamque deam.

Fruges offerebant iſti, & coronam ſpiceam, de quo Tibullus (e)

& quodcunque mihi pomum nouus educat annus,
libatum agricolæ ponitur ante deos.
Flaua Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
ſpicea, quæ templi pendeant ante fores.

Sacra eius initia dicebantur, quorum arcana enuntiare nefas habebatur; de quibus canit Virgilius (f)

Inprimis venerare deos, atque annua magna
ſacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.

Quercus ſacra, & in ſacris eius myrteis coronis ac e ſmilace vtebantur; eidemque papauer offerebatur & porca mactabatur. (g) Rationem eius reddit Hyginus (h) *Ceres* ait, *fruges ſerere, boues domare, & alumno ſuo Triptolemo fruges ſerere demonſtrauit, qui cum ſeruiſſet, & ſus, id eſt porcus, quod ſeuerat effodiſſet, ſuem comprehendit & duxit ad aram Cereris & frugibus ſuper caput eius poſitis, eidem Cereri immolauit.*

VVL-

(b) Gruterus *p. XXVI n. 8.* (c) Gruterus *p. XXVI n. 9.* (d) *IV Faſt. v. 405.* (e) *lib. I el. I v. 13.* (f) *Georg. I v. 339.* (g) Cato *de R. R. c. CXXIV* (h) *fab. CCVII.*

Digitized by Google

VVLCANVS.

Vulcanum inter conſentes mares vltimum facimus, qui cum pileo, vti inquit Arnobius, (i) pingitur & malleo, *Tab. III* manu liber, ſed dextera & fabrili expeditione ſuccin- *n. 1.* ctus. Altero quoque pede claudus & Veneris fingeba- *n. 2.* tur maritus. In nummis caput eius eſt barbatum, cum petaſo laureato & forcipe pone ceruicem, qualis in nummis gentis Aureliæ frequenter adparet: alias ex malleo *n. 3.* & incude, adſtantibus Cabiris ſociis cognoſcitur, vel *n. 4.* Palladi petenti fulmen tradit, vel eiusdem auſpiciis nouam fabricat galeam. In tutela Vulcani ignis eſt, & materies eius illius regimine conſtituta; (k) ideoque præerat omnibus fabricinis metallariis, & ab illis, qui rem cum igne habebant, vel metallis operandis occupabantur, chymicis, auri fabris, & ferrariis atque id generis hominibus maxime colebatur. Spolia quoque hoſtium ex voto eidem accendebantur (l).

VESTA.

Ignem igni iungimus, Vulcano Veſtam; hunc quidem terreſtrem, illum vero ſacrum ignem, dictam *Tab. III.* P. R. Quiritium in nummo Vitellii, ad differentiam Ve- *n. 5.* ſtæ priſcæ, matris Idææ alias, cuius cultus ab extra Romam inductus. De imagine & figura eius plane variant. Sunt enim qui Veſtæ nullum fuiſſe ſimulacrum velint, vtentes auctoritate tum ſcriptorum veterum tum monumentorum. Ouidius (m) quidem canit:

Ignis

(i) *lib. VI p. m. 197* (k) *lib. III p. m. 114.* (l) Liuius *l c. XXXVII.* (m) *Faſt. VI v. 297.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ignis inextinctus templo celatur in illo :
effigiem nullam Veſta nec ignis habent.

& paullo ante (n)

nec tu aliter Veſtam, quam viuam intellige flammam.

Suffragatur Plutarchus, qui a Veſtalibus nihil præter ignem ſacrum adſeruari tradit. Quare & nummi veterum ſæpius Veſtam repræſentant ſub figura aræ, in qua ignis ardet. Quod ſi vero euoluimus Ciceronem, claris n. 6. verbis Veſtæ ſimulacrum in vrbe Romanis tribuit, ad quod Q. Scæuola Pontifex Maximus fuerit trucidatus. (o) Confirmant id nummi, qui Veſtam repræſentant habitu matronali ſtolatam, velato capite, quod religionis ſignum erat: ſiniſtra manu facem, vel tropæum, dextra ſimpu- n. 7. 8. lum, diſcum vel Palladium præferentem, ſtantem ante aram, in qua ignis ardet. Rem totam (p) decidit Halicarnaſſenſis, qui præter ignem ſacrum in Veſtæ penetralibus arcana quædam adſeruata ait, quæ ſine dubio Veſtæ ſimulacrum continebant, idem confirmat Lampridius. (q) Sic & Veſtæ ſimulacrum ab æterno igne accurate diſtinguit Virgilius, vbi de Aenea canit: (r)

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
æternumque aditis effert penetralibus ignem:

ita vt de eo nullum amplius dubium ſupereſſe poſſit. (ſ) Inter penates Romanorum colebatur ea, ideoque ſpeciali nomine mater dicta (t). Omni præerat religioni in genere, & igni ſacro, (u) quem perpetuo ardere con-

(n) *Faſt. VI. v. 291.* (o) *III de N. D. c. XXXII. & III de Orat. c. III.* (p) *lib. II. p. m. 126.* (q) *Heliogabalo c. VI.* (r) *Aen. II v. 296.* (ſ) Macrobius *ſat. III c. IV* (t) Cicero *pro domo c. LVII & de haruſp. reſp. c. VI.* Virgilius *Georg I v. 498.* (u) Cicero *II de N. D. c. XXVII*

ueniebat; ideoque Velleio (x) perpetuorum cuſtos Veſta dicitur ignium. Ei colendæ virgines præſunt, ait Cicero (y), vt aduigiletur facilius ad cuſtodiam ignis. Adiunctæ enim erant virgines Veſtales, perpetuam caſtitatem ſeruantes, de quibus infra. Infauſta quoque ſomnia Veſtæ narrabant, ne aduerſi quidpiam ex iis accidat de quo Propertius: (z)

ibat & hinc caſta narratum ſomnia Veſta,
neu ſibi, neue mihi quæ nocitura forent.

DE
DIIS SELECTIS
IANVS.

Selectorum octo fuiſſe diximus, quorum primus fuit Ianus. Antiquiſſimus Italiæ rex habebatur, quo regnante omnium domus religione ac ſanctitate fuerint munitæ: idcircoque ei diuinos honores eſſe decretos, & ob merita introitus & exitus ædium eidem conſecratus, vti de eo loquitur Macrobius. (a) In ſacris eundem inuocabant *Patrem*, quaſi deorum deum; *Iunonium*, tanquam menſium omnium ingreſſus tenentem, ideoque & Varrone teſte, duodecim aræ eidem dedicatæ; *Conſiuium* a propagine generis humani, quæ Iano auctore conſeritur; *Quirinum*, a curi Sabinorum haſta; *Patulcium & Clauſium*, quia bello valuæ eius pateant, pace claudantur. (b)
Tab. III n. 9. Facie pingebatur gemina, ideoque bifrons dictus, quod & præterita ſciuerit & futura præuiderit, ſecundum Macro-

(x) *lib. II c. vlt.* (y) *II de LL. c. XII.* (z) *lib. II el. XXX* (a) *Saturn. I c. IX.* (b) Minutius Felix c. *XXI.*

crobium; alias vero rationes adducit Plutarchus. (c) Immo & quadrifrons pingebatur laureato quoque capite. *n. 10.* Aliam ſimulacri figuram effert Macrobius: (d) *plerumque fingitur*, ait, *manu dextra trecentorum, & ſiniſtra ſexaginta & quinque numerum tenens, ad demonſtrandam anni dimenſionem.* Ianus hoc modo ad Argiletum a Numa poſitus, vt index eſſet pacis bellique: (e) notas vero, quibus anni, temporis & æui ſe Deum indicat, vti inquit Plinius, (f) a Numa vel plane non additas putem, vel ſi additæ, Iulii Cæſaris ætate auctas atque mutatas; cum Numæ annum trecentorum tantum quinquaginta quinque dierum fuiſſe certo conſtet. Claui præterea & virga addebantur, quaſi omnium & portarum cuſtos & rector viarum: indeque poëtis frequenter clauiger dictus, & ianuis eundem omnibus præeſſe teſtatur nomen. (g) Pacis quoque bellorumque argumento colitur, (h) ab eodemque preces & ſacrificia ſua incoabant Romani. Cum farre & vino eidem ſacra faciebant; ruſtici autem vt eſſet propitius liberis, domui atque familiæ, (i) inde Iuuenalis: (k)

Cum farre & vino Ianum Veſtamque rogabat.

SATVRNVS.

Saturnus hunc ſequitur Iani in regno ſucceſſor, Rex tantæ iuſtitiæ, vt neque ſeruierit ſub illo quiſquam, neque quidquam priuatæ rei habuerit: ſed omnia communia & indiuiſa omnibus fuerint, veluti vnum

(c) *quaſt. Rom. XXIV.* (d) *c. l.* (e) Liuius *I c. XIX.* (f) *XXXIV c. XVII.* (g) Macrobius *c. l.* (h) Plinius *c. l.* (i) Cato *de R. Ruſt. c. CXXXIV.* (k) *ſat. VI v. 386.*

cunctis eſſet patrimonium. (l) Rariſſime in monumen- tis veterum adparet; alias pingebatur homo ſenex & canus, barba prolixa, incuruo corpore, capite aperto, triſtis & pallidus cum falce adunca; (m) de quo Virgilius (n)

Tab. III. n. II.

Vitiſator curuam ſeruans ſub imagine falcem
Saturnusque ſenex.

n. III. Dextra ſerpentis portabat imaginem, qui caudam propriis dentibus commordebat, manu ſiniſtra filium paruulum ad os ferebat, quaſi eundem deuoraturus, ſecundum Albericum. Compeditis quandoque pedibus fingebatur vt ait Minutius Felix (o) atque Macrobius (p), quæ Saturnalibus ſoluebantur. Officium eius optime deſcribit Cicero (q): *Saturnum inquit, eſſe voluerunt, qui curſum & conuerſionem ſpatiorum ac temporum contineret, qui deus græce id ipſum nomen habet: κρόνος enim dicitur, qui eſt idem ſpatium temporis & tempus illi adſignabant, & aureæ ætatis, veritatis fideique illum patrem faciebant.* Ideoque Martialis (r) eum ſic compellat:

antique rex magne poli, mundique prioris
ſub quo pigra quies, nec labor vllus erat.

& Virgilius (s)

aureaque, vt perhibent, illo ſub rege fuere
ſecula: ſic placida populos in pace regebat.

Regni enim eius tempora feliciſſima feruntur, cum propter

(l) Iuſtinus *XLIII c. I.* (m) Macrobius *Sat. I c. VII.* (n) Virgilius *VIII Aen. v. 179.* (o) *Octauio c. XXI.* (p) *Sat. I c. VIII.* (q) *II de N. D. c. XXV.* (r) *XII ep. LXVIII.* (s) *VIII Aen. v. 324.*

pter rerum copiam, tum etiam quod nondum quiſquam ſeruitio vel libertate diſcriminabatur, inquit Macrobius. (t) Hinc quotannis per Saturnalia ſingulari cultu eum venerabantur in memoriam ſeculi aurei (u), extra illud tempus vix colebatur. Culturæ alias hortorum præſidere dicebatur, ex eo vitiſator dictus (x), & cuſtos ruris atque ramorum luxuriantium tonſor, (y) de quo Macrobius (z) :: *huic deo*, inquit, *inſertiones ſurculorum, pomorumque educationes, & omnium eiuscemodi fertilium tribuunt diſciplinas* :: *Tunc Romani etiam ſterculium vocabant, quod primus ſtercore fœcunditatem agris comparauerit* :: eumque ob inuentum hoc immortalitatem eſſe adſecutum docet Plinius (a) atque Lactantius (b). Hoc ſacrificii genere eum olim placatum fuiſſe contendit Lactantius (c), vt in Tiberim de ponte Miluio mitteretur homo; quod de antiquiſſimis Latii populis intelligendum non autem de Romanis.

GENIVS.

Tertius in ordine eſt genius, quem deſcribit Cenſorinus, (d) quod ita nobis adſiduus obſeruator adpoſitus ſit, vt ne puncto quidem temporis longius abſcedat, ſed ab vtero matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur. Duos autem quemque hominem ſortiri genios putabant, vnum, qui hortetur ad bona, alterum qui ad mala (e). Inde Ammianus Marcellinus (f)

O 3 Fe-

(t) *Saturn. I c. VII.* (u) Iuſtinus *c. l.* (x) Arnobius *lib. III p. m. 117.* (y) Arnobius *lib. VI p. m. 197.* (z) *c. l.* (a) *lib. XVII c. IX.* (b) *lib. I c. XX.* (c) *lib. I c. XXI.* (d) *de die natali c. III.* (e) Seruius *in Virgilii Aen. VI v. 733.* (f) *lib. XXI p. m. 198.*

Ferunt, ait, *Theologi inlucem editis hominibus cunctis ſalva firmitate fatali, huiuſmodi quædam velut actus rectura*
Tab.III n. *numina ſociari.* Seminudus iſte cum cornu copiæ in ſi-
13. niſtra, & calatho in capite, dextra pateram vel ſimpulum tenens, ſtans ante aram verbenis ornatam, quaſi ſacrificans, modo puerili, modo iuuenili, modo ſenili forma conſpicitur. Vti Ammianus (g) Iuliano Imperatori obſcura nocte in Galliis genium publicum cum cornu
n. 14. copiæ, velato capite adparuiſſe ait; quali figura & in nummo Adriani adparet cum inſcriptione GENio Populi Romani. Vniuscuiusque loci, rei atque hominis dicebatur deus. Deorum quoque dicebatur genius; vt genius Iouialis apud Arnobium (h): & per genium Iouis iurabant (i). Sic lapidem priſcum reperimus GENIO MARTIS ſacratum (k) & in alio (l).

GENIO PLVTonis S.
M. FAB. PHILEROS
EX. S. ARAM F. C.

Cum quo conuenit alius apud Gruterum (m)

GENIO
IOVI STYGIO SANCTO
SACRVM.

& alia Veronenſis inſcriptio: (n)

GENIO
IVCVNDITATIS
FLORAEQ
S.

Genii

(g) *lib. XXV p. m. 287.* (h) *lib. III circa fin.* (i) Minutius Felix *Octavio c. XXIX.* (k) Reineſius *inſcr. LXXXV.* (l) Gruterus *p. MLXXV n. 9.* (m) *p. XXIII n. 6.* (n) Spon *miſt. erud. antiq. ſ. III n. 66.*

Genii hi dicti qui alias deorum numina adpellata vt eſt in lapide (o).

NVMINI.
MERCVR. SACR.

Atque hæc ab ipſa eorum eſſentia diuerſa, quare & Iunonem de ſuo numine ita loquentem inducit Virgilius (p)

- - - - quod ſi mea numina non ſunt
magna ſatis, dubitem haut equidem implorare quod vſquam eſt.

Et Ceres ad Pſychen, apud Apuleium (q) *Venus de te totis numinis ſui viribus vltionem flagitat:* & paulo poſt: *Iuno ſeſe cum totius ſui numinis auguſta dignitate præſentat.* Inde & inſcriptiones, quæ NVMINI AVGVSTI vel NVMINIBVS AVGVSTORVM ſacræ, ad Auguſtorum genios referendas eſſe putamus. Quod etiam docet inſcriptio apud Gruterum (r):

GENIO. AC. MAIESTATI
IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AVGVST.
M. AVRELIVS. AVRELIANVS. DEVOTISSIMVS
NVMINI. EIVS.

& alia apud Reineſium: (s)

NVMINI SANCTISSIMO
GENIO MVNICIPII
SACRVM

quæ genium cum numine eundem facit. A diis ad homines: non enim ſolum numinibus & geniis Auguſtorum frequentia fiebant vota & per Cæſaris, iuramenta, ſed

(o) Gruterus *p. LIV n. 12.* (p) *VII Aen. v. 310.* (q) *libro VI ineunte,* (r) *p. MLXXXV n. 6.* (s) *Inſcr. CCXCVI.*

ſed etiam priuatorum genii culti, non ab ipſis ſolum, ſed & aliis: vt GENIO T. OPTATI (t) & (u) GEN. GENIALIS SPEI. HELPIDII. quæ a natiuitate Helpidii ſtatim videtur dicata. De familiarum quoque geniis teſtantur inſcriptiones: (x)

GENIO. PATR.
VALERIANAE
FAMILIAE
& (y)
GENIO
FAMIL. MONETAL.

atque alia (z)

GENIO. CONSERVATORI
DOM. BALBINORVM.

Sed & locis ſui genii (a), inde frequentes inſcriptiones: GENIO LOCI. GENIO COLONIAE. GENIO CIVITATIS. GENIO MVNICIPII. GENIO PAGI. Aliæ Genio exercitus, cohortis vel centuriæ dicatæ. Sic & operibus publicis ſui adſignati genii: vt (b) GENIO LAVACRORVM METELLI vel horreorum Seianorum (c) Alia non inelegans inſcriptio: (d)

NVM. DOM. AVG.
SACRVM.
GENIO. CONSERVATORI. HORREORVM
GALBIANORVM.

Offi-

(t) Gruterus *p. XLVI n. 9.* (u) *p. CII n. 2.* (x) *p. MLXXVI n. 1.* (y) Spon *miſc. erud. ant. ſ. III n. 64.* (z) *n. 70.* (a) Feſtus *voce genius.* Virgilius *Aen. V v. 95.* (b) Gruterus *p. CIX n. 7.* (c) Gruterus *p. CIX n. 6.* (d) Gruterus *p. LXXV n. 1.*

Officium erat, vt homini, vel rei, quam in patrocinio habent, adſint, eam tutentur, & inſidias auertant. Exinde & Deus Tutelæ dictus (e)

DEO TVTELAE
GENIO
MENTES

& (f)

DEO TVTEL.
GENIO. LOCI

vel ſimpliciter tutela (g)

TVTELAE. AVG.
SACRVM

Alias Genius æternalis & paciferdictus. Ideo quisque ſuum in peculiari colebat genium, maxime die natali; & quidem vino, thure, floribus, ſertis, choreis. Vrebantur enim thura, genii caput ſertis & floribus ornabatur, & lotus vnguentis perfundebatur, libato dein mero. Quos ritus eleganter deſcribit Tibullus (h) dum canit:

Vrantur pia thura focis, vrantur odores,
quos tener e terra diuite mittit Arabs.
ipſe ſuos genius adſit viſurus honores,
cui decorent ſanctas florea ſerta comas.
Illius e puro deſtillent tempora nardo:
atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

& alio loco (i):

huc ades, & centum ludos Geniumque choreis
concelebra, & multo tempora funde mero.

P *Illius*

(e) Gruterus *p. CV n. 3.* (f) *n. 2.* (g) Gruterus *p. CIV n. 11.* (h) *lib. II el. II.* (i) *lib. I el. VII.*

Illius e nitido ſtillent vnguenta capillo,
& capite, & collo mollia ſerta gerat.

Maxime vero ſacra merum & flores, inde Perſius (k):

Funde merum genio

& Horatius (l):

tellurem porco, Syluanum lacte piabant,
floribus & vino genium, memorem breuis aeui,

& Ouidius natalem ſuum celebraturus exclamat (m):

da mihi thura puer pingues facientia flammas,
quodque pio fuſum ſtridat in igne merum.

Hoſtiam autem genio natali die immolare nefas, id quod ex Varronis Attico docet Cenſorinus (n), addita ratione, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis eam demerent. Inde inſcriptio antiqua apud Gruterum (o):

THVS. VI
NVM. FAR. ET. OLEVM.
AD. SACRA. PRIVATA. DEDIT
P. FELICIANVS

Aliud obſeruabatur in feriis imperatiuis, cum natales Auguſtorum celebrarentur: quod ex decreto adparet apud Gruterum (p). Tunc enim immolabatur taurus, vt ex fragmento inſcriptionis fratrum arualium apud Gruterum (q) conſtat.

IN. CAPITOLIO. OB. NATALEM. NERONIS. AVG. GERMANICI. IOVI. B. M. IVNONI VACCAM. MINERVAE. VACCAM. FELICITATI. PVBLICAE. VACCAM. CON-

(k) *ſat. II v. 3.* (l) *lib. I ep. I v. 143.* (m) *V Triſt. el. VI.* (n) *de die natali c. II.* (o) *p. DCCCLV n. 3.* (p) *p. CCXXVIII n. 8.* (q) *p. CXX.*

CONCORDIAE. VACCAM. GENIO. IPSIVS. TAVRVM.

Agnum tamen immolatum quoque docet Horatius(r):

ridet argento domus : ara caſtis
vincta verbenis, auet immolato
ſpargier agno.

Aliis feſtis diebus porcus quoque immolabatur, de quo Horatius(ſ):

cras genium mero
curabis, & porco bimeſtri.

Locorum præſertim geniis, vt eſt in inſcriptione apud Gruterum (t):

GENI. MVNICIPI
SCROFAM CVM
PORCIS TRIGIN
TA

Platanus eidem ſacra & corona platani foliis contexta, quæ exin genialis arbor dicitur. Locorum etiam genios ſalutantes colebant, qui primum in illa ferebantur; immo & ipſi locorum incolæ, quo ſibi genios patriæ vrbis tutelares propitios redderent.

SOL

Quartus eſt Sol, princeps ſiderum, deus inuictus vel omnipotens Mithra dictus (u); vel ſol Mithra ſacer & æternus ignis (x). Nudus plerunque, & radiato capite viſitur, vel ſub figura ſtellæ adparet; imaginem eiusdem & omnem adparatum aureum pingere ſo- *Tab. III n. 15.*

(r) *lib. IV ode XI.* (s) *lib. III ode XVII.* (t) Gruterus *p. CV n. 12.* (u) Gruterus *p. XXXIII n. 10.* & *p. XXXIV n. 1,* Reineſius *p. LXXXIX* (x) Curtius *lib. IV c. XIII.*

re ſolebant. Hunc tanquam ſupremi dei proximum miniſtrum fingebant, & cultus eius in Oriente maximus, præcipue apud Perſas. Quare & nummi Imperatorum, qui in Orientem expeditiones ſuſceperunt, frequenter adparent cum inſcriptione: SOLI AETERNO, COMITI aut PROPVGNATORI AVGVSTO, SOLI INVICTO COMITI. Vulgus quoque Romanorum eum ob ſplendorem maxime colebat. Apollinem eidem aurigam, equos & gryphes ſacros addebant; & virtutem ſolis, quæ diuinationi curationique præeſt, Apollinem vocarunt vti inquit Macrobius (y). Ad eundem ſolem quoque referimus inſcriptiones ABELLIONI DEO ſacras apud Gruterum: (z) quippe Ἀβέλιον ἥλιον Cretes dixere, & Ἀβελίην ἡλιακὸν Pamphylii ſecundum Heſychium. Exinde etiam Apollinem Belenum dictum putem, quod frequens ei in inſcriptionibus additur cognomen.

LVNA.

Soror eſt luna, Latona etiam dicta, quandoque & deus Lunus; de quo Spartianus (a) *Sciendum*, inquit, *doctiſſimis quibusque id memoriæ traditum, vt qui Lunam fœmineo ſexu ac nomine putauerit nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper inſeruiat: at vero qui marem deum eſſe crediderit, is dominetur vxori, neque vllas muliebres patiatur inſidias.* Campeſtris alias quoque dicebatur, quod in agris colendis obſeruetur hic planeta (b). Figura talis eſt; vt equorum vel taurorum bigave-

(y) *Saturn. I c. XVII.* (z) *p. XXXVII n. 4. 5. 6.* (a) *Caracalla cap. VII* (b) Spon *Miſc. erud. ant. ſ. III p. 90.*

ga vehatur, cum luna creſcente prope humeros, gallo gallinaceo ante pedes: vt Deus Lunus vero cum galero Armeniaco viſitur. Annorum dimenſioni, fœcunditati, nocturnis officiis, veneficiis quoque eandem præeſſe credebant, quin & præliis nocturnis & itineribus (c). Sacer autem erat taurus. *Tab. III n. 16. n. 17.*

ORCVS.

Sextus eſt Orcus, quem græco nomine Plutonem alias, Latini etiam Ditem vel Diespritem adpellabant (d). Dictus quoque Iupiter Stygius, (e) vel Summanus (f):

PLVTONI SVMMANO
ALIISQ. DIS. STYGIIS

Quem ſic dictum volunt quaſi ſummum Manium (g). Mentionem huius Summani facit Cicero (h), atque eidem nocturna fulmina attributa ait Plinius (i), ſicut Ioui diurna. Huius ædem de cœlo tactam refert Liuius: (k) licet quis iſte Summanus fuerit, dubitauerit Ouidius, dum ita canit: (l)

Reddita, quisquis is eſt Summano templa feruntur,
tum, cum Romanis, Pyrrhe timendus eras.

Figuram Plutonis egregie deſcribit Claudianus (m):

 Ipſe

(c) Liuius *XXXII c. XI.* (d) Cicero *de N. D. lib. II c. XXVI* Gruterus *p. XXI n. 8.* (e) Gruterus *p. XXIII n. 6. 7.* (f) Gruterus *p. CXXI & p. MXV n. 7.* (g) Turnebus *aduerſ. XVII c. IV.* (h) *I de diuin. c. X.* (i) *II c. LII* & Auguſtinus *de Ciu. Dei IV c. XXIII.* (k) Liuius *XXXII c. XXIX.* (l) *VI Faſt. v. 735.* (m) *I de raptu Proſerpinæ v. 77.*

Ipſe rudi fultus ſolio, nigraque verendus
maieſtate ſedet, ſqualent immania fœdo
ſceptra ſitu, ſublime caput moeſtiſſima nubes
aſperat & dira riget inclementia forma.

Tab.III n. 18. *Erat enim*, inquit Albericus, *imago eius, homo terribilis in ſolio ſulphureo ſedens, ſceptrum regni in manu tenens dextra: ſiniſtra animam conſtringens: cui tricipitem Cerberum ſub pedibus collocabant, & iuxta ſe tres Harpyias habebat*. Stygiorum vel inferorum habebatur præſes, totius inferni rector, & mortuorum iudex, præmia iisdem diſtribuens & ſupplicia: vel campos Elyſios adſignans, vel Acheronta. Inde Claudianus (n)

O maxime noctis
arbiter, vmbrarumque potens, cui noſtra laborant
ſtamina; qui finem cunctis & ſemina prabes
naſcendique vices alterna morte rependis:
qui vitam letumque regis.

Cauſſam adſignat Diodorus Siculus (o), dum Plutonem ſepulcrorum, funerum, atque honorum qui mortuis impenduntur, vſum introduxiſſe ſcribit. Coniux eius habebatur Proſerpina, Cereris filia, Libera alias dicta; (p) fabulam eius narrante Arnobio (q). Tres ſub eo iudices, Aeacus, Minos, Rhadamanthus, qui de mortuorum geſtis iudicarent: miniſter erat Charon, nauta, qui demortuorum animas in alterum orbem deueheret. Adiungebant Furias, Parcas, Harpyias: de throno ſulphureo quatuor manare flumina fabulabantur, Lethen, Cocytum, Phlegetontem & Acheronta. Cultus ei fiebat

(n) *d. l. v. 55.* (o) *lib. VI p. m. 337.* (p) Cicero *IV in Verrem c. XLVIII.* (q) *lib. V. p. m. 171.*

bat vel pro defunctorum manibus, vel ab ægrotis, ne morerentur, vel ab iis, qui ex graui morbo liberati erant gratias acturi. Narciſſus, adianthus & cupreſſus; atque inter animalia omne quod atrum ipſi ſacratum. Diuerſum ab hoc faciunt Plutum, diuitiarum deum, qui locis ſubterraneis & omnibus theſauris reconditis præeſſet; ſed vnum eundemque vtroſque eſſe ex inſcriptione apud Gruterum (r) adparet

IOVI. INVENTORI
DITI. PATRI
TERRAE. MA
TRI
DETECTIS. DAC.
THESAVRIS
CAESAR. NER
VA. TRAIANVS
AVG
SAC. P.

in qua & theſaurorum cura Diti ſiue Plutoni adtribuitur.

BACCHVS.

Septimus eſt Bacchus, honoris cauſſa Liber pater etiam dictus (ſ), & Dionyſos (t). Alia vero a Græcis impoſita cognomina adducit Ouidius (u). Eius ſimulacra partim puerili ætate, partim iuuenili fingunt; præterea barbata ſpecie, ſenili quoque inquit Macrobius (x). Sub biformi vero ſpecie præcipue colebatur, quo nos

(r) *p. XXI n. 8.* (ſ) Cicero *II de Nat. D. c. XXIV.* (t) Cicero *pro Flacco c. XXV.* (u) *IV Metam. v. 11.* (x) *Saturn. I c. XVIII.*

nos ducit Diodorus Siculus (y), qui Indicum καταπώγωνα barbatum fuiſſe formatum ait, Bœoticum vero τῷ κάλλει διάφορον ſpecie decorum. Adparet alias nudus, capite quandoque cornuto, vel muliebri figura, vti Ouidius (z) canit :

tibi enim inconſumta iuuenta,
tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
conſpiceris cœlo : tibi, cum ſine cornibus adſtas
virgineum caput eſt.

Tab. III *n.* 19 20. Coronabatur pampineis, hedera & ficulneis frondibus: panthera & tigris vtplurimum prope poſita, de quo Claudianus (a) :

crinali florens edera, quem Parthica velat
tigris & auratos in nodum colligit vngues

& Ouidius (b) :

ipſe racemiferis frontem circumdatus vuis
pampineis, agitat velatam frondibus haſtam ;
quem circa tigres, ſimulacraque inania lyncum,
pictarumque iacent fera corpora pantherarum.

Vini habebatur inuentor ; licet vitem tantum demonſtraſſe velit Tertullianus (c) ; ideoque ei attribuitur thyrſus, uua, cantharus, de quo Tibullus (d) :

& tu Bacche tener, iucunde conſitor vuæ.

Thyrſus autem haſta erat aculeata, cuius mucro hedera erat obuolutus (e), quam in orgyis Bacchicis quatiebant (f) ; de quo & Propertius (g)

hac

(y) *lib. III p. m.* 213. (z) *IV Metam. v.* 17. (a) *I de ra-ptu Proſerpina v.* 17. (b) *III Metam. v.* 666. (c) *apologetico c. XI.* (d) *lib. II el. II.* (e) Diodorus Siculus *lib. III p. m.* 212. (f) Tacitus *Ann. XI c. XXXI.* (g) *lib. III el. III.*

hæc ederas legit in thyrſos

& Sidonius (h):

cantharus & thyrſus dextra læuaque feruntur:
nec tegit exertos, ſed tangit pulla lacertos.

Hinc ante vindemiam vti ex Columella (i) diſcimus, ſacrificia Libero, Liberæ & vaſis preſſoriis quam ſanctiſſime fiebant. In quantum Orientis dominator habebatur, in curru cum leopardis vehitur. Nonnunquam eum triumphantem centauris vectum in nummo rariſſimo Iuliæ Mœſæ; barbatum etiam & cornutum videmus. Eiusdem comites fuere Sileni, Satyri, Bacchæ, Thiyæ, Mimallones & Baſſarides nymphæ, Lætitiæ ac feſtiuitatum habebatur præſes, non raro quoque dux Muſarum: vnde poetæ & hedera & lauro coronati incedebant. Dicebatur alias Deus ſanctus & magnus, vt eſt in inſcriptione Romana (k): *Tab. III n. 21. n. 22.*

DEO SANCTO NVMINI
DEO MAGNO LIBERO
IATRI ET ADSTATORI
ET CONSERVATORI H. I. COLL
VELABRENSIVM
DOMITIVS SECVNDVS CVRAT
ET RESTAVRATOR FRATRI
SVIS

Caper eidem omnibus aris cædebatur (l) tanquam vitibus inimicum animal. Sacra præterea tigris atque aſinus

Q nus

(h) *carm. XXII v. 30.* (i) *lib. XII c. XVIII.* (k) Spon *miſc. erud. ant, ſ. II p. 27.* (l) Tertullianus *de ſpectaculis c. V.*

nus (m) ; inter plantas & frutices pampinus, hedera, & ficus ; inter arbores ſmilax, abies atque quercus.

VESTA PRISCA.

Septimus inter ſelectos eſt Tellus, Saturni coniux, Iouis mater, Cœli filia. Varias hæc nacta adpellationes : dicta enim alias *Veſta priſca* ad differentiam alterius Veſtæ filiæ ; *Fauna Fatua* & *bona Dea* (n) ; *Opis* item & *Proſerpina* ; quarum denominationum rationes adducit Macrobius (o) atque Auguſtinus (a). Alias in inſcriptionibus frequentiſſime dicta *magna Deum mater, mater magna, mater Idea, dea Phrygia, mater Deum magna Idea Palatina* (b) & *mater Berecynthia* (c). Eius figuram optime deſcribit Lucretius (d) :

Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ,
ſublimem in curru biiugos agitare leones :
aëris in ſpatio magnam pendere docentes
tellurem, neque poſſe in terra ſiſtere terram.
Adiunxere feras : quod quamuis effera proles
officiis debet molliri victa parentum :
muralique caput ſummum cinxere corona :
eximiis munita locis, quia ſuſtinet vrbes.

Tab.III n. 23. Manu enim tympanum tenet, & altera ſpicas quasdam ; ſtolata alias, leonibus vecta, circa quorum colla monilia erant : addebatur & pinus eidem ſacra, ad eandemque

(m) Plinius *XXIV c. I.* (n) Arnobius *lib. I p. m. 20. &* *lib. V p. m. 168.* (o) Saturn. *I c. XII.* (a) *de Ciu. Dei* *lib. VII c. XXIV* (b) Gruterus *p. XXVIII n. 3.* (c) Strabo *lib. X p. m. 324.* Virgilius *VI Aeneid. v. 774.* (d) *lib. II v. 598. & ſeqq.*

que reclinans Atys, amator eiuſdem, peculiari habitu. In nummis quoque vel leoni vel throno inſidens, adſtante ab vtroqne latere leone; manu vel ſceptrum, vel fulgur, vel tympanum, fruticem etiam vel cornu copiæ præferens, ſæpiſſime ſedens, rarius ſtans viſitur. E Phrygia eius cultus Romam delatus, & oraculorum iuſſu ibidem introductus, cuius ritum deſcribit Liuius (e). Hinc & ſacra eidem peregrina. *Eandem* inquit Lactantius (f) *Varro ſcribit, tantæ pudicitiæ fuiſſe, vt nemo eam, quoad vixerit, præter virum ſuum mas viderit, nec nomen eius audierit. Idcirco illi mulieres in operto ſacrificant & Bonam deam nominant.* Communis omnium mater habebatur, a qua & omnium rerum creatarum cultum dependere putabant: quare & ſumma parens dicta (g). Idem numen ad vita functos etiam ſpectare ex inſcriptione antiqua probare nititur Boxhornius (h). Vino eidem ſub lactis adpellatione libabant teſte Plutarcho (i), & in ſacris eius obuoluta vini amphora ponebatur (k). Huic deæ Opi ſedentes vota concipiebant terramque de induſtria tangebant; demonſtrantes ipſam matrem mortalibus adpetendam, vti innnit Macrobius (l). Finiebant cum ea preces & ſacra, quæ cum Iano iniuerant. Immolabatur ſcropha ingens fœta. Phryges eiuſdem ſacerdotes, Curetes alias vel Corybantes dicti: taurobolium eidem proprium, & Attidi criobolium (m). Pleraque eiuſdem cum Iſide conueniunt, diſtinctæ tamen ſunt deitates, vti adparet ex inſcriptione (n).

n. 14.

MATRI DEVM ET ISIDI

Q 2 DII

(e) *lib. XXIX c. XIV.* (f) *I c. XXII.* (g) Reineſius *inſcr. XXXIX p. 84.* (h) *quaſt. Rom. III.* (i) *quaſt. Rom. XX.* (k) Lactantius *I c. XXII.* (l) *I ſaturn. c. X.* (m) Lampridius *Heliogabalo c. VII.* (n) Gruterus *p. XVII n. 4.*

DII INDIGESTES
HERCVLES.

Cum autem, vti Cicero (o) loquitur, ſuſceperit vita hominum, conſuetudoque communis, vt beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent, de iis quoque nunc ſermo erit; quos Deos Indigetes vel Semones adpellabant; eosque Cicero recenſet. Inter eos primus eſt Hercules, qui in inſcriptionibus priſcis heros, defenſor, triumphator, placidus, pacifer, cubans, magnus, inuictus, ſanctus adpellatur. In aliis *Hercules Ponderum*, ſine dubio ob fortitudinem: *Somnia-*
Tab. IV n. *lis*, quod & in eius æde incubarent & *conſeruator domus*
1. *Vlpiorum* dicitur (p). Ab exuuiis leonis, vel corpo-
n. 2. ri vel humeris vel brachio inditis, & adiuncta claua perpetuo adgnoſcitur: viſitur tamen etiam ſub figura pue-
n. 3. ri duos angues manibus comprimentis, & *Muſagetes* qui alias Hercules Muſarum dicitur, quoque cum lyra. Eius duodecim labores vel notiſſimi ſunt, quos prolixe deſcribit Diodorus Siculus (q). Ducem eum fuiſſe præſtantiſſimum oppreſſis (r) iuſtitiam facientem idem ſcribit. Cultus eius antiquiſſimus, ob facta egregia ab Euandro primum inſtitutus, teſte eodem (ſ) & Liuio (t). Hinc numen non minimum, militibus maxime cultum, immo ipſis quoque Imperatoribus, qui ipſius nomen & formam ſibi non raro vindicabant. Viam quoque ituri ſupplicabant Herculi, quod propter viam ſacrificium dictum

(o) *II de N. D. c. XXIII.* (p) Spon *miſcell. erud. antiqu. ſ. III n. 61. 62. 63.* (q) *lib. IV p. m. 216.* (r) *lib. I p. m. 33.* (ſ) *p. m. 32.* (t) *I c. VII.*

Digitized by Google

Digitized by Google

dictum Feſto. Eiusdem ſacris fœminis intereſſe non licebat, cuius inſtituti rationes reddit Macrobius (u). Populus arbor & æſculus eidem conſecrata, atque iisdem caput eius redimitum : iuuencum iniugem eidem mactabant (x).

DEVS FIDIVS

A Sabinis Dei Fidei ſacra Romam traducta ſunt, vti nos docet Varro: (y) Putabatur alias Diiouis filius (z). Hunc autem ſanctum eſſe ab Sabina lingua putabant, & Herculem ab Græca. Hinc Herculem cum Sanco eundem deum facit Feſtus, (a) & Sabini Sancum ſuum eodem modo habuere quo Romani Quirinum, quod teſtatur Lactantius. (b) Exinde etiam inſcriptione veteri *pater Reatinus* dictus, a Reate Sabinorum oppido (c):

PATRI. REATINO. SACR.
&
SANCO DEO
PATR. REATIN.
SACRVM.

Pro cultus tamen ratione diuerſi. Herculi quippe ex Euandri inſtitutione ſacra græco ritu fecit Romulus, (d) publicæ vero fidei, cuius cultus iam a Sabinis in ſocietatem adlectis in vrbem Romam erat introductus, templum extruxit & Numa, (e) proprium & ſolenne inſti-

(u) *Saturn. I c. XII.* (x) Halicarn. *c. l.* (y) *de L. L lib. IV p. m. 14.* (z) Varro *lib. IV de L. L p. m. 15.* (a) *voce propter.* (b) *lib. I c. XI.* (c) Gruterus *p. XCVI n. 8. 9.* (d) Liuius *I c, VII,* (e) Halicarn. *lib. II p. m. 134.*

ſtituens ſacrum, ad quod flamines bigis, curru arcuatu vehi iuſſit, manuque ad digitos vsque inuoluta rem diuinam facere (f). Tria autem habebat nomina, de quo Ouidius (g):

Quærebam, nonas Sancto, Fidione referrem
an tibi Semipater, tunc mihi Sanctus ait:
cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo:
nomina terna fero, ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
inque Quirinali conſtituere iugo.

Adpellatur enim vel Deus Fidius, Græcis Διὸς πίστιος (h) & Sancus vel Semo Sancus, vti teſtantur inſcriptiones apud Gruterum (i)

SEMONI
SANCO
DEO FIDIO
SACRVM
& alia:

SANCTO SANCO
SEMONI DEO FIDIO
SANCO FIDIO SEMOPATRI.

Singulare eſt, quod ſcribit Liuius (k), Vitruuii Fundani ducis bona Semoni Sanco fuiſſe conſecrata, & inde redactum æs in ſacello Sanci verſus ædem Quirini poſitum. Mire hæc adpellatio torſit interpretes, alioque ſcriptores, dum alii Semonem Ianum legendum putarent, inter quos præcipue eſt Gyraldus (l). Iuſtinus

(f) Liuius *I c. XXI.* (g) *VI Faſt. v. 213.* (h) Halicarn. *lib. IV p. m. 257.* (i) *p. XCVI. n. 5. 6. 7.* (k) *VIII c. XX.* (l) *ſynt. I p. m. 19.*

nus Martyr (m) hanc inſcriptionem Semoni Sanco factam ad Simonem magum, quaſi pro deo fuerit cultus, perperam refert. Sed omnia ad noſtrum Fidium referenda eſſe ex dictis patet. Templum eidem extruxit Tarquinius Superbus, a Sp. Poſtumio poſt dedicatum (n). Cultus rationem habet Halicarnaſſenſis (o) & Liuius (p): vt *fides* ſcilicet *ac iusiurandum proxime legum ac pœnarum metum ciuitatem regerent*. Inde nummi adparent fidem publicam repræſentantes.

CASTOR & POLLVX.

Inter Semones Caſtorem & Pollucem recenſet Halicarnaſſenſis, (q) eosque ſimpliciter Caſtores adpellat. Græcis dicebantur διόσκουροι, quaſi Iouis filii atque expeditionis Argonauticæ habebantur ſocii. Nudi fingebantur ſtantes, vel equis inſidentes, quandoque galeati cum clypeo & haſta, cum galea in capite, in cuius ſummo ſtellæ, eorum ſidera. Quare Apuleius (r) eorum capita *caſſides obbatas* [obbatæ potius legendum pro orbitæ, vt caſſides obbatæ idem ſint ac in obbæ, quod poculi genus erat ſecundum Nonium, formam compoſitæ: talem autem fere formam habebat galerus Armeniacus, vti ex figura adparet] *ſtellarum apicibus inſignes contegere* ait; indeque pileati fratres dicti. Eos pro imperio Romano curam ſemper geſſiſſe volunt; dum in eorum prœliis ſæpe duorum adoleſcentium militantium inſtar viſi

Tab. IV n. 4.

(m) *apol. II pro Chriſtianis p. m. 691.* (n) Halic. *lib. IX p. m. 617.* Plinius *VIII c. XLVIII.* (o) *lib. II p. m. 134.* (p) *l. c. XXI.* (q) *lib. VII p. m. 478.* (r) *X. Metam. p. m. 254.*

viſi fuerint, qui ſtrenue pugnantes iis victoriam attulerint, de quo prolixe Dionyſius Halicarnaſſenſis (ſ) & plura exempla adducunt alii (t). Quare Cicero (u) eos ita compellat; *vos omnium rerum forenſium, conſiliorum maximorum, iudiciorumque arbitri, & teſtes celeberrimo in loco pratorii locati, Caſtor & Pollux.* Hinc & templa iis dedicata, & ſacra facta tanquam bonis & felicibus diis, atque ſacratæ agnæ candidæ. Primum templum bello latino A Poſthumius dictator vouit, quod eo Romanorum exercitum præcedentes in fugam coëgerant hoſtes. Eos quoque in mari deos inuocant inquit Plinius; (x) & Seneca (y) *in magna* ait, *tempeſtate, adparent quaſi ſtella velo inſidentes, adiuuari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis & Caſtoris numine.* Quare Catullus (z) canit;

at veluti nigro iactatis turbine nautis
lenius adſpirans aura ſecunda venit.
Iam prece Pollucis, iam Caſtoris implorata.
tale fuit nobis Mallius auxilium.

Salutares autem nautis eſſe credebant, ſi gemini ignes adpareant, triſte vero ſignum ſi ſinguli. Inde nautæ aduerſa tempeſtate iactati vota faciebant Caſtori & Polluci. (a) Quo facit inſcriptio: (b)

CASTO-

(ſ) *lib. VI p. m.* 351. (t) Valerius Maximus *lib. I c. VIII* Florus *lib. I c. XI lib. II c. XII lib. III c. III* Cicero *II de Nat. D. c. II* & *Tuſc. quaſt. lib. I c. XII.* Lactantius *II c. VII* Suetonius *Nerone pr.* (u) V in Verrem c. LXXII (x) Plinius *II c. XXXVII.* (y) *nat. quaſt. I c. I.* (z) *carm. LXXX ad Mallium.* (a) Cicero *II de inuentione* c. XXXI. (b) *p. MXVI n. 3.*

CASTORI. ET. POLLVCI
SACRVM
OB. FELICEM. IN. PATRIAM
REDITVM. TOT. SVPERATIS
NAVFRAGII. PERICVLIS
EX. VOTO. CVM
SOCIIS
L. M. P
C. VALERIVS. C. F. AGELLVS.

AESCVLAPIVS.

Aeſculapius Apollinis filius, vt ſenex barbatus, cum pallio Græcorum more, baculum manu tenens, cui ſerpens circumuolutus, viſitur : ita & ſerpens altari in quo ignis ardet, circumuolutus eundem præſentabat. *Tab. IV n. 5. n. 6.* Arnobius ita deſcribit (c) : *Aeſculapius*, inquit, *Deus præſtans, ſanctus deus, ſalutis dator, valetudinum peſſimarum propulſator, probibitor & extinctor ſerpentis eſt forma & circumſcriptione finitus : per terram reptans cuno natis vt vermiculis mos eſt, ſolum mento radit & pectore : tortuoſis voluminibus ſe trabens, atque vt pergere prorſus poſſit, partem ſui poſtremam conatibus prioris adducit.* Officiis ergo & medendi artibus præeſſe & medicinæ vſum primus apud homines introduxiſſe, atque medicus inſignis fuiſſe dicebatur ; ideoque eum inter numina poſuerunt & ægroti pro recuperanda ſanitate ſua & ſuorum illum, filiamque Salutem fuere precati vel egere grates (d) : & quidem vti inſcriptio (e) apud Gruterum habet : OB INSIGNEM CIRCA SE

R NV-

(c) *lib. VII p. m. 249.* (d) Arnobius *lib. III p. m. 114.* Gruterus *p. LXVII n. 9.* (e) *p. LXX n. 8.*

NVMINIS EIVS EFFECTVM. Immo ſæpius quoque pro ſalute principum vel priuatorum conſeruanda (f). Cultus eius Epidauri Peloponeſi celebris. *Epidaurus* enim, inquit Liuius (g), *inclita Aeſculapii nobili templo quod quinque millibus paſſuum ab vrbe diſtans, nunc veſtigiis reuulſorum donorum, tum donis diues erat, quæ remediorum ſalutarium ægri mercedem ſacrauerant Deo.* Pergami quoque templum fuiſſe, in quo curationis cauſſa ſomnia captare ſoliti, teſtatur Herodianus (h). Inde ex decreto librorum Sibyllinorum ad Romanos delatus, de quo Liuius (i) ita loquitur: *cum ciuitas peſtilentia laboraret, miſſis legatis, vt Aeſculapii ſignum Romam ab Epidauro transferrent; anguem, qui ſe in nauem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportauere: eoque in inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ſedes Aeſculapio conſecrata eſt.* Cur autem in hac Tiberina Aeſculapio ſedes fuerit adſignata, rationes inquirit Plutarchus (k). Feſtus hanc innuit, quod ægroti a medicis aqua maxime ſuſtententur. Filia eiusdem habebatur *Salus*, ſeu Græcorum Hygiea; dicta alias in lapide priſco (l): DEA VALENTIA. Romanorum enim inſcriptiones eadem ratione Aeſculapium & Salutem venerabantur, vti Græcorum Aeſculapium & Hygieam (m). A qua tamen diſtincta erat Salus publica,
n. 7. inter virtutes diuinas culta. Figuram habet fœminæ ſtantis, vel ſedentis vel ſcipioni innixæ, crinibus in nodum
n. 8. contortis, Stans plerumque ante aram, cui ſerpens circum-

(f) Gruterus *p. LXVII n. 10.* (g) *XLV c. XXVIII.* (h) *lib. IV c. VIII* (i) *lib. X in fine & epitome libri XI.* (k) *quaeſt. Rom. XCIV.* (l) Gruterus *p. II n. 12.* (m) Gruterus p. LXVIII & LXIX.

cumuolutus, ſimpulum manu tenens atque libans. Serpens enim auctore Feſto, ſaluti ſacer, quod inſtauretur quotannis poſitis exuuiis, vt & medicamentis ægroti mutantur: Aeſculapii comes dicebatur *Teleſphorus*, cum bardocucullo, ſiue veſte a capite ad genua deuoluta, vti deſcribit Martialis (n). Opportune dum Aeſculapius hicce ſub prelo ſudat, Clariſſimus vir, CHRISTOPHORVS CELLARIVS ad me mittit filii Salomonis, præmatura morte abrepti *Origines & antiquitates medicas*, quarum ſupra iam fuit mentio facta, (o) auctius a ſe editas. Singularia ſane ſunt, quæ continent, circa Aeſculapii præſertim ortum atque familiam, medicorum ſectas atque dignitatem; quæ ex Græcorum Romanorumque antiquis monumentis dilucide explicantur & curate enodantur; vt ea loco hoc conuenienti prætereire mihi duxerim religioni. *n. 9.*

QVIRINVS.

Romulus hic erat, auctor & vrbis & imperii Romani, namque & hunc in cœlo cum diis æuum agere putabant (p). Quem armatum ſemper atque haſtatum pingebant, cum fratre Remo tamen quam ſæpiſſime lupam lactantem: de quo Virgilius (q): *Tab. IV a. 10.*

- - geminos huic vbera circum
ludere pendentes pueros, & lambere matrem
impauidos.

Eius relationem inter diuos deſcribunt Liuius (r), Florus (ſ) & Dionyſius Halicarnaſſenſis (t). Inter deos itaque

R 2

(n) *lib. XIV ep. CXXVIII.* (o) *parte gener. p. 26.* (p) Cicero *Tuſcul. quaeſt. lib. I c. XII.* (q) *VIII Aen. v. 631.* (r) *l. I c. XVI.* (ſ) *l. I c. I.* (t) *lib. II p. m. 124.*

que Romanorum tutelares habitus, & ex inſtituto Numæ alternis annis ſacrificio fuit cultus.

VERTVMNVS.

Vnum quidem eundemque cum Iano eſſe volunt Vertumnum, ſed perperam; binos enim eſſe ex Horatio diſcimus, qui (u) librum ſuum ita adloquitur:

videris
Vertumnum Ianumque liber ſpectare.

Omnium autem formarum, quas diis ſuis tribuebant, capax habebatur, cuius fabulam integra elegia (x) deſcribit Propertius. Antiquiſſimum Faliſcorum fuiſſe regem volunt, qui vinearum & pomiferarum arborum ſerendarum rationem tradiderit; hinc & frugibus autumnalibus præerat, & ſingulari feſto, Vertumnalia dicto, menſe octobri colebatur. Et cum multiformis haberetur deus, mentes quoque hominum in contrahendo vertere credebatur: ita inconſtantis animi homines Horatius (y) Vertumnis natos dicit iniquis. Alii vero non a vertendis mentibus, ſed a vertendis rebus, quia mercaturæ quoque præerat, ſic dictum aiunt (z). Templum eius in vico Tuſco fuit, docente id Propertio, ex quo ad circum maximum iter erat, ſecundum Ciceronem (a).

PRIAPVS.

Priapum genitalibus propriis inferiorem vocat Arnobius (b). Horrendam eius faciebant imaginem, nudam

(u) *lib. I ep. XX.* (x) *lib. IV el. II.* (y) *lib. II ſat. VII v. 14.* (z) Aſcon. Ped. *in III Verr. p. m. 107.* (a) *lib. I in Verr. c. LIX.* (b) *lib. VI p. m. 209.*

dam atque ex ficu ſtatuam eius formantes, in terram vtroque genu inclinantem, de quo Horatius (c):

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum :
cum faber incertus ſcamnum faceretne Priapum
maluit eſſe deum. deus inde ego, furum auiumque
maxima formido. nam fures dextra coërcet,
obſcænoque ruber porrectus ab inguine palus :
aſt importunas volucres in vertice arundo
terret fixa, vetatque nouis conſidere in hortis.

Cum falce enim, quam deſcribit Lactantius, (d) ſemper efformabatur atque herbis hortenſibus coronatus. Hortorum præſes atque cuſtos erat, vt fures & aues abarceret : inde inſcriptio (e)

HORTORVM. CVSTODI. VIGILI
CONSERVATORI. PROPAGINI.
VILLICORVM

atque Virgilius (f)

ſinum lactis & hac te liba Priape quotannis
expectare ſat eſt : cuſtos es pauperis hort

& alibi (g)

& cuſtos furum atque auium cum falce ſalig
Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi.

Helleſpontiacus habebatur Lampſaco ortus, vti & Prudentius canit (h) :

hic deus e patrio prænobilis Helleſponto
venit adusque Italos ſacris cum turpibus hortos.
ſinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
accipit ; ac ruris ſeruat vineta Sabini,

R 3 Tur-

(c) *lib. I ſat. VIII.* (d) *lib. II c. IV.* (e) Gruterus *p. XCV. n. 4.* (f) *ecl. VII v. 32.* (g) *Georg. IV v. 110.* (h) *lib. I contra Symmachum v. III.*

Turpiter adfixo pudeat quem viſere ramo.

Portumnum quoque vocabant eum, auctore Feſto & veteribus poëtis græcis, quod tutum aduerſus tempeſtates portum monſtraret nauigantibus : qui idem cum Iano Portumno, de quo apud Gruterum (i). Apuleius (k) *Portumnus* inquit, *cæruleis barbis hiſpidus.* Cum quo idem videtur qui apud Gruterum (l) & Boiſſardum (m) dicitur SILVANVS LITTORALIS. Obſcœnitatis præterea, & omnis ſpurcitiei præſes habebatur ; ideoque ab horticultoribus, nauigantibus atque omni libidini, & laſciuiei deditis maxime colebatur.

VIRTVTES DIVINAE.

Virtutes quoque diuinitus cultæ, propter quas hominibus adſcenſum dari in cœlum putabant. De his autem Cicero (n) ita loquitur : *Fortunam a Deo petendam, a ſe ipſo ſumendam eſſe ſapientiam. Quamuis menti delubra & virtuti & fidei conſecremus, tamen hæc in nobis ipſis ſita videmus : ſpei, ſalutis, Opis, Victoriæ facultas a diis expetenda eſt.* Omnes modeſto habitu fœmineo, ſtolatæ, ſedentes ſæpe fingebantur cum ſceptro & patera : quibus dein vel cornu copiæ, vel libra, vel temon, vel flores, vel ſimile quidpiam additur.

FORTVNA.

Fortunæ ſimulacrum cum copia, [cornu copiæ] & gubernaculo fingunt, inquit Lactantius (o) ; tanquam hæc & opes tribuat, humanarumque rerum regimen obtineat. Adparet enim habitu muliebri, cum cornu copiæ

Tab. IV

(i) Gruterus *p. XCV n. 6. 7.* (k) *IV Mileſ. p. m. 106.* (l) *p. MLXXI n. 3.* (m) *p. VI n. 30.* (n) *III de N. D. c. XXXIV* (o) *lib. III c. XXII.*

Digitized by Google

piæ & temone, ſtans plerunque; quandoque cuban- *n. 11.*
tem eam videmus in lectiſternio: quandoque ob vo- *n. 12.*
lubilitatem ſuam rotæ innititur. Eius varia erant cognomina: Siquidem Plutarchus (p) Seruium ait Fortunæ *bonæ ſpei*, *auerruncæ*, *blandæ*, *primigeniæ & virili* templa condidiſſe: templa quoque fuiſſe fortunæ *propriæ*, *conuertentis* & *bene ſperantis*, *virginis* atque *viſcatæ*. Erat & alia *regia*, *publica*, *equeſtris*, *obſequens*, *manens*, *felix*, *redux*, *adiutrix*, *ſalutaris*, *conſeruatrix*. *Barbatam*
quoque fortunam exhibet Reineſius (q), quæ adultos bar- *n. 13.*
ba induit, quos honorare voluerit, vti inquit Auguſtinus. (r) *Muliebris* fortuna dicebatur inde, quod C. Marcius Coriolanus, cum exul Romanis bellum intuliſſet, nec armis ei reſiſti poſſit, mulierum tandem, matris præſertim Veturiæ & Volumniæ vxoris precibus atque lacrumis ceſſit. In cuius rei memoriam matronæ a ſenatu petiere, vt illo ipſo in loco, quo preces fudiſſent, templum fortunæ muliebri ædificaretur: quod & a S. P. Q. R. decretum, area publica pecunia emta, deæque conſecrata; & in ea templum & ara ex præſcripto pontificum condita, ſumtibus ſimul decretis ex publico, quibus ſacrum fieret anniuerſarium; cui præeſſet matrona,
quam ipſæ deligerent ad id miniſterium (ſ) Præneſtis *n. 14.*
ſub duarum ſororum imagine colebatur, vna vultu candido, altera atro: quarum illa *fortuna bona*, hæc *mala* vocabatur. Quare & fortunæ vota ſoluebant (t). Malæ quoque fortunæ aram in Eſquiliis conſecratam ait Cice-

(p) *quæſt. Rom. LXXIV.* (q) *cl. I n. CXXI p. m. 159.* Spon *miſc. erud. ant. p. m. 74.* (r) *de Ciu. Dei lib. IV c. XI.* (ſ) Halic. *lib. VIII p. m. 525.* Liuius *II c. XL.* (t) Gruterus *p. LXXII n. 2. 3.*

Cicero (u). Quam & malam deteſtatamque dicit. (x). Officium eius nomen docet, cum quilibet fortunam ſibi adoptet propitiam, ideoque cultus eius maximus erat & vniuerſalis. Quare & *fortuna omnipotens* dicta, (y) alias fortuna ſupera (z). Deſcribit eam Cicero (a) qui magnam vim eſſe in fortuna in vtramque partem ait, vel ſecundas ad res vel aduerſas. Ipſamque rerum humanarum dominam dicit (b). Inde & familiæ eandem ſibi propitiam adoptabant; vti in lapidibus *Torquatiana* & *Tulliana* dicitur (c). Pro nominum tamen diuerſitate peculiaris quibusdam cultus erat. *Primigeniam* quidem in augendis honoribus colebant: maxime vero Iouis pueri eam eſſe volebant, talem quidem, qualis Ioui accidit, ſibi precati. Quo facit inſcriptio (d):

FORTVNAE
IOVIS PVERI
PRIMIGENIAE
D. D.
EX SORTE COMPOS
FACTVS

Aedem huic in colle Quirinali extruxit Q. Marcius Ralla (e). *Fors Fortuna* ab illis colebatur, qui ſine arte aliqua viuebant; cuius templi meminit Tacitus (f), & vici Fortis Fortu-

(u) *III de N. D. c. XXI.* (x) *II de LI c. XI.* (y) Virgilius *VIII Aen. v. 334.* Gruterus *p. LXXII n. 2.* (z) Spon *ſect. III n. 73.* (a) *de diuin. lib. II c. V & de Officiis II c. VI.* (b) *pro Marcello c. II.* (c) Spon. *ſect. III n. 71. 72.* (d) Gruterus *p. LXXV n. 7.* Boxhorn. *quaeſt. Rom. IV* (e) Liuius *XXXIV c. LII.* (f) *Ann. II c. XLI.*

Fortunæ lapis priſcus apud Gruterum(g). Fortunæ *virginali* nouæ nuptæ zonam dedicabant. Fortunæ *reduci* pro ſalute itu & reditu vota faciebant (h). De *Fortuna huiusce diei*, Plinius ait (i): *fuit & alius Pythagoras Samius, initio pictor, cuius ſigna ad ædem Fortunæ huiusce diei ſeminuda, vnde & laudata ſunt.* Originem hic cultus habet ſuam a Q. Catulo, qui in bello cum Ambronibus vouit καθιερώσειν τὴν τύχην τῆς ἡμέρας ἐκείνης ſacra ſe facere velle fortunæ eius diei (k). Huiusque fortunæ vicus in regione vrbis X fuit, ſecundum Victorem. Cicero (l) illam cum aliis iungit, dum ait: *fortunaque ſit vel huius diei: nam valet in omnes dies: vel reſpiciens ad opem ferendam, vel forum: in quo incerti caſus ſignificantur magis, vel primigeniam a gignendo.* Singulare quid in ſimulacro fortunæ aureæ erat, quod ante lectum Imperatorum poſitum morti vicini ad filios & ſucceſſores deportare iubebant (m): quod ſimulacrum etiam, rarius tamen in publicum ferebatur. Inde Fortuna Auguſta, Auguſti, vel Auguſtorum ſæpius in lapidibus Reineſianis (n).

VIRTVS. HONOS

Honorem & virtutem coniungebant Romani, vti videre eſt in nummo Vitellii & apud Gruterum (o) *Tab. IV n. 15.*

VIRTVTI
ET
HONORI
S

Indi-

(g) Gruterus *p. DLXXIX n. 8.* (h) Gruterus *p. VIII n. 2.* (i) *XXXIV c. VIII.* (k) Plutarchus *Mario p. m. 420.* (l) *II de LI c. XI.* (m) Iulius Capitolinus *Antonino Pio c. XII & M. Antonino c. VII.* (n) *p. m. 157.* (o) *p. X n. 4.*

Indicantes eo, illum ſolum & verum eſſe honorem, qui per virtutem adquiritur. Virtus autem militari habitu plerumque conſpicua, vel equo inſidens, vel erecta ſtans, vel etiam ſedens; variis armis, haſta, lorica, pilo & corona inſtructa, clypeum humi poſitum ſiniſtra ſuſtinens. Honos autem tanquam fœmina ſeminuda, cum cornu copiæ atque haſta pingebatur.

GLORIA

Gloriam & gaudium Romanorum, Exercitus, Noui Sæculi &c ſæpius per imperatorem vel militem labarum ferentem Conſtantinorum temporibus videmus. *Tab. IV n. 16. 17.* Quandoque vt in nummo Licinii, dextra tenet palladium, ſiniſtra labarum, vel capite turrito adparet, adiunctis ſpoliis, captiuis & roſtris.

PIETAS

Caput eius eſt muliebre, eamque vel Auguſtorum, Auguſtarumque vel Romanam & ſenatus, modo per aram in qua ignis ardet, adiuncto ſimpulo & arca thurifera vel per ſigna pontificalia & auguralia repræſentabant; *Tab. IV n. 18. 19.* modo vel per Aeneam Anchiſem portantem, vel duos fratres Catinenſes; aut vero per fœminam puellos fouentem lactantemque; vel per matronam capite velato ſacrificantem, ciconiamque notabant.

IVSTITIA.

Iuſtitiam a pictoribus antiquis forma atque filo ſeu charactere & figura virginali, adſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis, ſed reuerendæ cuiusdam triſtitiæ dignitate, pingi ſolitam ſcribit Gellius (p). Alias quoque cum capite diademate ligato, ſed nudo a tegmine pingebatur; alias cum

(p) *XIV c. IV.*

cum libra & cornu copiæ in nummis adparet. Priſcis temporibus dicebatur fas: Auſonius in monoſyllabis de diis Tab. IV n. 20.

Sunt & cælicolum monoſyllaba. Prima Deum Fas,
quæ Themis eſt Graiis.

Eam ſecundum Feſtum, Deam putabant eſſe, quæ præciperet hominibus id petere, quod fas eſſet, eamque id eſſe exiſtimabant, quod & fas eſt. A Phurnuto deſcribitur, quod dea ſit, quæ efficiat vt pacta & conuentiones inter nos fiant & ſeruentur.

AEQVITAS

A iuſtitia diuerſam faciebant æquitatem, merito autem eidem coniungenda. Siniſtra vel haſtam vel cornu copiæ, dextra libram tenet, ſerpentem & rotam ante pedes habet: & cum æquitas publica in cudendis monetis maxime requiratur, eundem ei typum adſcribebant, præcipue Conſtantiniano ſæculo id factum, cum inſcriptione *Moneta Sacra Augg. & Caſ. Noſtr.* qui vſus monetæ figuram nummis imprimendi, Domitiani temporibus inualuit. Tandem ſub Commodo ad ternarium vsque numerum creuit, ita vt conſpiciantur tres fœminæ ſtolatæ, ſtantes, quælibet ante aram, in qua ignis accenſus, dextra libram, ſiniſtra cornu copiæ ferentes. Tab. IV n. 21.

SALVS

Romanorum dea erat, ab Aeſculapii filia, Græcis Hygiea dicta, alia. Lapides quidem vbi de illa Aeſculapii filia loquuntur, eandem ſemper iungunt patri; & quidem qui apud Græcos ſculpti, Aeſculapium & Hygieam, qui apud Romanos, Aeſculapium & Salutem præferunt (q). Inſcriptiones autem, quæ ſalutem publicam,

S 2 per-

(q) Gruterus *p. LXIX & LXX.*

perpetuam, Auguſtam, vel domus Auguſtorum præferunt, hanc noſtram innuunt inter virtutes diuinas. Quippe & hæc ante Aeſculapium Romæ culta, eique ædes a C. Iunio Bubulco conſule vota, cenſore locata, dictatore fuit dedicata: (r) idque duodecim annis antequam ex Epidauro in vrbem Romam reciperetur Aeſculapius. Aliud Saluti templum extruere decreuerat Nero, (ſ) in memoriam liberationis e coniurationis periculo factæ. Ex quo atque ſalutis augurio, de quo infra dicetur pluribus, patebit, Salutem hancce omnis ſtatus rei Romanorum publicæ, Auguſtorumque habuiſſe curam. Figura eius cum ſalute Aeſculapii in nummis conuenit.

VICTORIA.

Victoria etiam dea, vt ex inſcriptione adparet: (t)

DEAE
VICTORIAE
SACRVM.

Frequens autem eius typus occurrit in nummis & monumentis veterum. Alata plerumque conſpicitur, palmæ ramum & coronam præferens; quandoque orbi inſiſtens, clypeoque inſcribens, aut tropæum caduceumque ferens cernitur: vel per tres ſorores ſiue fata victricia in nummo Diocletiani indicatur. Sub Chriſtianis Impp. victoria venerabile ſignum crucis tenet: ſi victoriæ effigies nauis roſtro inſiſtit, naualem indicat. Hanc etiam Vitulam olim fuiſſe nominatam, ex Piſone, ſcriptore veteri, nos docet Macrobius (u).

Tab. IV n. 22. *n. 23.* *n. 24.*

PAX.

Tab. IV n. 25.

Pax quoque alata conſpicitur, ſerpentem concul-cans

(r) Liuius *X c. I.* (ſ) Tacitus *Ann. XV extremo.* (t) Gruterus *p. CIII n. 11.* (u) *Saturn. III c. II.*

Digitized by Google

Digitized by Google

cans pedibus, vel arma humi iacentia face accendens; & ſæpius *fundata, publica, æterna & perpetua* dicitur. Symbolum eius ſunt duæ dextræ coniunctæ, cum caduceo & duobus Amaltheæ cornibus. Huic autem primus & ſtatuam aramque dicauit Auguſtus, Agrippa perfecit (x).

FELICITAS.

Quid quod & Felicitas dea eſt? ædem accepit, aram meruit, ſacra ei congrua perſoluta ſunt, inquit Auguſtinus. (y) Felicitatem autem Auguſti & publicam atque tempora felicia matrona cum cornu copiæ & Caduceo notat. *Tab. IV n. 26.* Seculi, vel reipublicæ felicitatem per quatuor anni tempora, cornu copiæ, oliuæ ramum, immo per Imperatores ipſos ſuosque principes iuuentutis deſignabant.

SECVRITAS. TRANQVILLITAS.

Securitas perpetua, Auguſta, publica, reipublicæ, orbis & Pop. Rom. dicta; ſedet vel columnæ innititur, *Tab. V n. 1.* quandoque laurum aut oliuæ ramum præfert, addita & cornu copiæ, ſceptrum, ara, faces. Simili modo, ſtatione tamen magis ſedata adparet tranquillitas, laureata, corpore ſeminudo, remum & ſpicam manibus tenens.

QVIES.

Quietis fanum prope vrbem Romam fuiſſe Liuius teſtatur: (z) quæ ipſa Deorum prouidentia parta dicitur in nummo Maxentii & Maximiani. *Tab. V n. 2.*

ABVNDANTIA. VBERTAS.

Cum haſta fingitur, quandoque per cornu copiæ inuerſum, omnis generis fructus aut nummos effundit. *Tab. V. n. 3.*

(x) Dio *lib. LIV extremo.* (y) *de Ciu. D. lib. IV c. XVIII.*
(z) *lib. IV c. XLI.*

SPES.

Tab. V. n. 4. Auguſta, publica, Reipublicæ, perpetua, bona dicitur; vt in lapide priſco: (a)

SPEI.
AVG.
SACR.

Tanquam virgo iuuencula ſummis pedum digitis incedens fingebatur. Perpetuum eiusdem ſymbolum lilium eſt, quod manu præfert: quandoque & cum caduceo conſpicitur.

LIBERTAS.

Libertatis ædem pater Tiberii Gracchi in Auentino ex multaticia pecunia faciendum curauit dedicauitque. (b)

Tab. V n. 5. Symbolum eiusdem & nota perpetua eſt pileus.

HILARITAS & LAETITIA.

Tab. V n. 6. Notas habet ramum & ſerta. Lætitia fundata in Criſpinæ nummo cernitur cum diademate in dextra, & gubernaculo nauis in ſiniſtra manu.

PROVIDENTIA.

Tab. V n. 7. Per globum & ſpicas quas manu tenet, cognoſcitur: quandoque & cornu copiæ, fulmina & caduceum præfert; nonnunquam ſceptro vel digito monſtrat globum longius diſtantem.

PRVDENTIA. SAPIENTIA.

Prudentiæ typus cum prouidentiæ plane conuenit, Sapientiæ vero propria Palladis noctua.

CLEMENTIA. INDVLGENTIA

Tab. V n. 8. Clementia capite diademato repræſentatur, laurum, vel oliuæ ramum, ſceptrum etiam vel pateram præferens. Quip-

(a) Gruterus p. CI n. 6. (b) Liuius XXIV c. XVI

Quippe & hæc inter deas habita, cum in honorem Cæſaris templum extruxerint Romani, *ναὸν αὐτῷ τῇ ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ* (c)

CONCORDIA.

Concordiæ ſymbolum eſt cornix, vel duæ dextræ *Tab. I* coniunctæ; *coniugalis* typus eſt pauo. Quod ſi vero mi- *9.* litum, exercituum Prætorianorum, prouinciarum Concordiam & fidem in eligendo imperatore indicare volebant, id fiebat per matronam ſtolatam, inter duo ſigna militaria ſtantem, vel per duas manus coniunctas. Auguſtorum concordia per matronam ſedentem, ramum oleæ & caduceum tenentem deſignabatur. Eam ſic deſcribit Seneca (d):

aſperi
Martis ſanguineas quæ cohibet manus,
quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet diuite copiam,
donetur tenera mitior hoſtia.

AETERNITAS.

Vel Auguſtæ, vel Auguſti atque imperii dicebatur. Sedens fingebatur capite velato, manu tenens ſolis & lu- *Tab. V* næ capita, vel globum vel Phœnicem, vel ſceptrum, vel *10.* facem vel haſtam: phœnix ſæpe cum capite radiato eiusdem ſymbolum eſt.

FIDES

Inter virtutes diuinas hæc quoque culta, alia tamen a Deo Fidio vel Piſtio, cuius cultum Numa inſtituit, templum Poſthumius dedicauit. Hanc autem inter alias virtutes, quibus delubra conſtituta, numerat Cice-

(c) Dio *lib. XLIV p. m. 243.* Plutarchus *Cæſare p. m. 734.*
(d) *Medea v. 63.*

Cicero (e). Notabilis inter vtrumque deum differentia eſt in æde. Fidii quidem in colle Quirinali fuiſſe ſupra ex Ouidio (f) vidimus; noſtram autem Fidem, virtutem in Capitolio vicinam Ioui eſſe voluere Romani (g) Quippe eius ædem ab Attilio Calatino in Capitolio fuiſſe dedicatam docet Cicero (h). Dicitur & hæc fides publica, atque ſub figura matronæ cum cornu copiæ adparet. Fidem exercitus vel matrona inter duo ſigna militaria, vel milites ducem ſuum ſtrenue ſequentes repræſentant. *Tab. V n. 11.*

MENS

Mentem quoque ait Lactantius, (i) inter deos collocauit ſenatus, quem profecto ſi habuiſſet, eiusmodi ſacra nunquam ſuſcepiſſet. Cauſſam addit Cicero (k), quod a diis ad homines peruenerit, cultaque ideo, vt bonas redderet hominum mentes. Ei dicata inſcriptio apud Gruterum (l):

M. SEPTIMIVS. C. F.
MENTI. FIDEIQ. DEAE.
PRAESENTIBVS
EX. VOTO. S. P.

Origo cultus bello Punico ſecundo cœpit, de quo Ouidius (m)

mens quoque numen habet, menti delubra videmus
vota metu belli perfide Pœne tui.

PVDICITIA

Pudicitiam quoque vt Deam colebant, eamque vel *patri-*

(e) *III de N. D. c. XXXVI.* (f) *VI Faſt. v. 217.* (g) Cicero *III de Offic. c. XXIX.* (h) *II de N. D. c. XXIII.* (i) *lib. I c. XX.* (k) *II de N. D. c. XXXI.* (l) *p. XCIX n. 7.* (m) *VI Faſt. v. 240.*

Digitized by Google

patriciam vel plebeiam, quorum cognominum originem docet Liuius (n). *Coniugalem* tamen potius venerabantur pudicitiam. Ita & in Auguſtarum nummis decoro habitu muliebri in ſella ſedens, cuius imo duæ columbæ inſident, ſceptrum manu tenens, cum inſcriptione, pudicitia Auguſtæ, ſæpius viſitur. *Tab. VII. 12.*

PLEBS DEORVM

Infimam ſortem inter minorum gentium deos faciebat plebs deorum; quam Auguſtinus (o) vocat infimam turbam & (p) plebeiam, numinum multitudinem, minutis opuſculis deputatam; (q) turbam quoque plebeiorum deorum. Quo ſpectant omnes ruri præfectæ diuinitates, & omnes vel vilioribus, vel minoribus curis occupati dii, de quibus Ouidius (r):

Vos quoque plebs ſuperum Fauni, Satyrique
fluminaque & nymphæ, Semideumque genus.

DII RVSTICI

Eadem ratione, qua Romani duodecim conſentes colebant, deos Romanos dictos, duodecim quoque tanquam agricolarum duces venerabantur: Iouem & Tellurem, parentes magnos; ſolem & lunam, quorum tempora obſeruantur; Cererem & Liberum, quorum fructus maxime ad victum neceſſarii; Robigum & Floram vt omnia abſque detrimento defloreſcant; Mineruam & Venerem quibus procuratio olei & hortorum conuenit, vti nos docet Varro (ſ).

T PAN

(n) *X c. XXIII.* (o) *lib. VII de Ciu. D. c. IV.* (p) *c. II.* (q) *lib. IV c. XI.* (r) *in Ibin v. 81.* (ſ) *de Re Ruſt. c. I.*

PAN

Princeps ruſticorum deorum Pan erat, quem ſub nomine Fauni a Romanis, tanquam indigetum vnum ſacris honoratum & carminibus ſcribit Halicarnaſſenſis (t). Olim etiam Romanis *Lupercus* dictus (u), & *Inuus* (x). Figuram eius talem facit Silius Italicus (y).

pendenti ſimilis Pan ſemper & vno
vix vlla inſcribens terra veſtigia cornu.
Dextera laſciuit caſa Tegeatide capra,
verbera lenta mouens feſta per compita cauda,
cingit acuta comas, & opacat tempora pinus.
ac parua erumpunt rubicunda cornua fronte,
Stant aures, ſummoque cadit barba hiſpida mento.
Paſtorale deo baculum, pelliſque ſiniſtrum
velat grata latus, tenera de corpore dama.

Effingebatur enim facie caprina, rubro colore, hirtis cornibus, cum cauda curta, pedibus caprinis, vel vngulatis, [vti Minutius Felix (z) loquitur] altero incuruo, fiſtula etiam ſeptem calamorum ori admota. Fiſtula enim in ſpecie dicata erat, de quo Tibullus: (a) *Tab. V n. 13.*

pendebatque vagi paſtoris in arbore votum
garrula ſylueſtri fiſtula ſacra deo.

Paſtorum habebatur deus, ſyluarum venatorumque præſes, qui & fiſtula eum ſua canebant. Inde Virgilius: (b)

Mecum vna in ſyluis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere plures
inſtituit: Pan curat oues, ouiumque magiſtros.

Ab eo

(t) *lib. I p. m. 24.* (u) *lib. XLIII c. I.* (x) Liuius *I c. V.* Macrobius *Sat. I c. XXII.* (y) *de B. Pun. lib. XIII v. 322.* (z) *Octauio cap. XXI.* (a) *lib. II el. V.* (b) *ecl. II v. 31.*

Digitized by Google

Ab eo dicebantur terrores panici, qui ex improuiſo, nec iuſta ex cauſſa exoriuntur: ex eo forſan dicti, quod in ſyluis habitare dicebatur, in quibus ſtridentia ſæpe arborum folia nobis metum iniiciunt; & in ſyluis quoque dæmonum ope ſæpius varii horrendi ſonitus audiuntur. Quas Faunorum voces (c) nocturnos quosdam inanesque metus Cicero vocat (d): alias de terrore fruſtraneo commoueri πανικοῖς dicit (e). Hoſce autem terrores egregie deſcribit Valerius Flaccus (f) dum ita canit:

dant æthere longa
ſigna tubæ, vox & mediis emiſſa tenebris.
Hoſtis habet portus, ſoliti rediere Pelasgi.
Rupta quies, deus ancipitem lymphauerat vrbem,
Mygdoniæ Pan iuſſa ferens ſæuiſſima matris,
Pan nemorum bellique potens, quem lucis ad horas
antra tenent, patet ad medias per deuia noctes,
ſetigerum latus, & toruæ coma ſibila frontis.
Vox omnes ſuper vna tubas, qua conus & enſes,
qua trepidis auriga rotis, nocturnaque muris
clauſtra cadunt, talesque metus non Martia caſſis,
Eumenidumque comæ, non triſtis ab æthere gorgo
ſparſerit, aut tantis aciem raptaueris vmbris.
Ludus & ille deo, pauidum præſepibus aufert
cum pecus, & profugi ſternunt dumeta iuuenci.

Per eum quoque vniuerſæ ſubſtantiæ materialis dominum denotari, voluiſſe veteres teſtatur Macrobius (g). Sacra eidem pinus, immolabaturque hircus & capra hirſuta. Miniſtri erant Fauni, Satyri, Sileni, quibus eundem

(c) *II de N. D. c. II.* (d) *pro Cælio c. XV.* (e) *lib. XV ad Fam. ep, XXIII.* (f) *Argonaut. lib. III v, 43.* (g) *Saturn, I c. XXII.*

dem fere habitum dabant ; eosque incubos vocabant, quos mulierum pudicitiæ atque infantibus recens natis inſidiari putabant (h). Etiam inter Bacchi quoque comites ſatyri erant, Silenus inprimis ſenex decrepitus, aſello inſidens.

SYLVANVS

Vel idem cum Pane hic fuit, vel parum diſtinctus. Ruſticus erat deus, cui ſacra, poſt condita frumenta faciebant agricolæ; de quo Horatius (i) :

agricolæ priſci fortes, paruoque beati
condita poſt frumenta leuantes tempore feſto
corpus, & ipſum animum ſpe finis dura ferentem
cum ſociis operum, & pueris & coniuge fida
tellurem porco, Syluanum lacte piabant.

Ipſum quoque Syluanum porco placabant, vt canit Iuuenalis, (k) *cædere Syluano porcum.* Coronam e ferulis & liliis ei tribuit Virgilius (l) :

venit & agreſti capitis Siluanus honore
florentes ferulas & grandia lilia quaſſans

In lapidibus eiuſdem frequens fit mentio, ſalutaris, ſanctus, ſanctiſſimus & cuſtos (m) dictus. Lapis eſt SILVANAB. & QVADRIBIS (n) dicatus, qui ſine dubio minores ſyluarum præſides notat.

TERMINVS

Antiquiſſimus erat deus, cuius cultum vel Numa *Tab. V n. 14.* inſtituit (o), vel vt alii volunt, Tatius Sabinus. Fingebant eum barbata facie, manibus pedibusque truncum. Nonnun-

(h) Auguſtinus *de Ciu. D. lib. XV c. XXIII.* (i) *lib. II ep. I v. 139.* (k) *ſat. VI v. 48.* (l) *ecl. X v. 24.* (m) *p. LXIV n. 4. p. LXV n. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* (n) Spon *ſ. III n. 26.* (o) Halicarn. *lib. II p. m. 133.*

nunquam & vt ſolum ſtipitem vel lapidem quadratum eum efformabant, vti canit Ouidius (p) :

Termine, ſiue lapis, ſiue es defertus in agro
ſtipes ; ab antiquis tu quoque numen habes

Et de Termino Apuleius : (q) *vel enim colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibatus* : de quo more vngendi lapides terminales capite vndecimo dicetur pluribus. Finibus regundis maxime præerat; ab eodemque dicti termini & lapides arboresque terminales. Ideo deus pacis & iuſtitiæ cuſtos dicebatur. Huic litabatur ſub dio, nullum autem animal mactabant, ſed tantum Cerealia frugumque offerebant primitias, (r) quod tamen poſtea mutatum, & ſus atque agnus eidem immolatus (ſ).

BONVS EVENTVS

Hunc quoque Varro inter ruſticos numerat. Simulacrum autem eius dextra pateram, ſiniſtra ſpicam ac papauer tenens ab Euphranore fuiſſe efformatum, Plinius docet (t). Quali figura etiam in nummis conſpicitur. Rem autem aliquam adgredientes eum ſibi adoptabant propitium (u). *Tab. V n. 15.*

ROBIGVS

Sacrificabatur ei ſecundum ſegetes, ne rubigo eas

 occu-

(p) *Faſt. II v. 641.* (q) *Floridorum I ab initio.* (r) Halicarn. *lib. II p. m. 134.* Plutarchus *queſt. Rom. XV.* (ſ) Alexander ab Alexandro *genialium dierum lib. II c. XXII.* (t) *lib. XXXIV c. VIII.* (u) Gruterus *p. CL n. 7 8.*

occupet, inquit Varro (x), quod & confirmat Plinius (y): Auguſtino (z) dicitur dea rubigo.

MINORES DII RVSTICI

Alii erant minores & obſcuri ruris dii, ipſis Romanis ſæpe non ſatis noti: quorum officium & nomen ex Varronis libris hauſit Auguſtinus, (a) a quo nos ea mutuati. Deæ *Ruſinæ* rura dicata; iuga montium, deo *Iugatino*; collibus deam *Collatinam*; vallibus *Valloniam* præfecerunt. Nec ſaltem potuerunt, inquit Auguſtinus, vnam Segetiam talem inuenire, cui ſemel ſegetes commendarent: ſed ſata frumenta quamdiu ſub terra eſſent, præpoſitam voluerunt habere deam SEIAM: cum vero iam ſuper terram eſſent, & ſegetem facerent, Deam SEGETIAM: frumentis vero collectis atque reconditis, vt tuto ſeruarentur, Deam TVTILINAM præpoſuerunt: cui non ſufficere videtur illa Segetia, quam diu ſeges ab initiis herbidis vsque ad ariſtas aridas perueniret. Quare & Plinius (b) ait: *Seiam a ſerendo, Segeſtam a ſegetibus adpellabant: quarum ſimulacra in Circo videmus, tertiam ex iis nominare ſub tecto religio eſt.* Tertiam hanc alii τὸν διδυμον, alii terminum, alii deum Fidium eſſe volunt; quia tamen numina hæc ſexus primarii, & quod potiſſimum eſt, cum Seia & Segetia nihil habent commune, *Tutillinam* potius putamus, ſemper coniunctam; de qua Macrobius (c) docet, quod apud veteres qui nominaſſet ſalutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutilianam, ferias obſeruaſſet, ſeu diem illum fuiſſe feriatum. *Tutanus & Tutilli-*

(x) *de L. L. lib. V p. m. 33.* (y) *lib. XVIII c. XXIX.* (z) *lib. IV de C. D. c. XXI.* (a) *lib. IV de C. D. c. VIII.* (b) *lib. XVIII c. II.* (c) *Saturn. I c. XVI.*

tillina a tutando dicti, quod rebus ſubitis & periculoſis præeſſent, ſecundum Nonium Marcellum. Fortunam quoque Seiam dictam quidam volunt, idque ex corrupto & minus bene intellecto Plinii loco, (d) quem tamen cum Gyraldo (e) ita reſtituendum putamus, pro Seiam legendo Seiani : Nero *hoc* [marmore candido] *conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Seiani adpellauit, a Seruio rege ſacratam, aurea domo complexus.* Seruius enim fortunæ ædem dicauerat, vti docet Plinius (f), quam poſtea refecit, fortunamque Seiani adpellari voluit Nero. Præfecerunt ergo, pergit Auguſtinus, *Proſerpinam* frumentis germinantibus, geniculis nodisque culmorum deum *Nodotum*, de quo Arnobius (g) : *Nodutis dicitur deus, qui ad nodos perducit res ſatas.* Inuolumentis folliculorum deam *Volutinam* ; cum folliculi pateſcunt, vt ſpica exeat, deam *Patelenam.* Arnobius tamen binas facit *Patellanam* & *patellam*, e quibus vnam patefactis, patefaciendis alteram præſtitutam ait. Cum ſegetes nouis ariſtis æquantur, quia veteres æquare hoſtire dixerunt, deam *Hoſtilinam* : florentibus frumentis deam *Floram* : lacteſcentibus deam *Lactartiam.* matureſcentibus deam *maturam* ; cum runcantur, id eſt, a terra auferuntur, deam *Runcinam* implorabant. Deus *Spinienſis* vero edebatur vt ſpinas ex agris eradicaret (h). Arnobius alios addit. Putationibus arborum inquit, *Puta* præſto eſt : rebus petendis, *Peta.* Deus nemorum *Nemeſtrinus* eſt ; & quæ præeſt frugibus terendis, *Terenſis* dicitur. *Vitulina* deæ pro frugibus ſacra

cra

(d) *lib. XXXVI c. XXII.* (e) *ſynt. XVI p. m. 444.* (f) *lib. VIII c. XLVIII.* (g) *lib. IV p. m. 131.* (h) Auguſtinus *IV de C. D. c. XXI.*

cra fieri teſtatur Macrobius (i). *Populonia* idem mentionem facit (k), quod Iunonis alias cognomen. Auguſtinus (l) eandem coniungit cum *fulgora*, & ne populationes atque fulgora fierent, cultas fuiſſe coniectatur Gyraldus. Diuæ *Fruteſcæ* maxime ſacra faciebant, vt fructus vberrimos caperent (m). *Bubona* dea bobus præerat (n); *Hippona* equorum atque ſtabuli curam habebat: cuius ſimulacrum in ſtabulis conſecratum, (o) quod corollis roſeis & floribus aliis ornabatur (p); de quo & Iuuenalis (q):

iurat
Hipponam, & facies olida ad præſepia fictas.

Eadem mihi videtur cum Epona, de qua in lapidibus (r). *Fornacem* quoque deam eſſe factam arguit Ouidius (ſ):

Facta dea eſt fornax; læti fornace coloni
orant, vt fruges temperet illa ſuas.

Mellonia dea eſt pollens potensque in apibus, mellis curans cuſtodiensque dulcedinem (t). Montium deus *montinus* dicebatur. (u) De *Sterculino* ſupra iam ſub Saturno diximus, ſicut & de Priapo & Vertumno: de Flora, Pomona & Pale ſub nymphis dicemus.

DII

(i) *Saturn. III c. II.* (k) *Saturn III c. XI* Arnobius *lib. IV p. m. 118.* (l) *III de C. D. c. X.* (m) Auguſtinus *IV de C. D. c. XXI.* (n) Auguſtinus *IV de C. D. c. XXXIV.* (o) Tertullianus *apologetico c. XVI.* (p) Apuleius *lib. III Metam. f. LI.* Plutarchus *parallelis p. m. 312.* (q) *ſat. VIII v. 156.* (r) Gruterus *p. LXXXVII n. 4. 5. 6.* (ſ) *Faſt. II v. 525.* Lactantius *I c. XX.* (t) Arnobius *lib. IV p. 131.* (u) Arnobius *lib. IV p. m. 132.*

DII, QVI PARTVRIENTIBVS ET INFANTIBVS VEL IN VTERO VEL RECENS NATIS PRAEESSE CREDEBANTVR

Varro commemorare & enumerare deos cœpit a conceptione hominis, quorum numeros exorſus eſt a Iano, eamque ſeriem perduxit vsque ad decrepiti hominis mortem : & deos ad ipſum hominem pertinentes clauſit ad Næniam deam, quæ in funeribus ſenum cantatur. Deinde cœpit deos alios oſtendere, qui pertinerent non ad ipſum hominem, ſed ad ea, quæ ſunt hominis: ſicuti eſt victus, veſtitus & quæcunque alia, quæ huic vitæ ſunt neceſſaria; oſtendens in omnibus, quod ſit cuiuscunque munus, & propter quid cuique debeat ſupplicari. Cum ita Varronis libros non amplius habeamus ſuperſtites, potior horum deorum ratio ex Auguſtino & Tertulliano petenda. A Iano exorſum Varronem ſcribit Auguſtinus. Tertullianus autem (x) Deum *Conſeuium* primum facit, qui conſationibus concubitalibus præſit. Concordant vtrique, tum quod a Iano ſemper preces ſuas exordiri ſoliti fuere; tum vel maxime ex eo, quod Ianum etiam Conſeuium dictum teſtatur Macrobius (y) : & quidem a conſerendo, id eſt, a propagine generis humani, quæ Iano auctore conſeritur. Quare & Auguſtinus (z) aditum eundem aperire recipiendo ſemini ait. Ibi eſt & *Saturnus*, pergit Auguſtinus, propter ipſum ſemen. Ibi *Liber*, qui matrem effuſo ſemine liberat. Ibi *Libera*, quam & Venerem volunt, quæ hoc idem beneficium conferat fœminæ, vt etiam emiſſo ſemine liberetur. Omnes hi ex illis ſunt, qui ſelecti ad-

V pellan-

(x) *II ad nationes c. XI.* (y) *Saturn. I c. IX.* (z) *VII de C. D. c. II.*

pellantur. Sed ibi eſt & dea *Mena*, quæ menſtruis fluoribus præeſt; quamuis Iouis filia, tamen ignobilis. Et hanc prouinciam fluorum menſtruorum, in libro ſelectorum deorum ipſi Iunoni idem auctor adſignat, quæ in diis ſelectis etiam regina eſt, & hic tanquam *Iuno Lucina* cum eadem Mena priuigna ſua eidem cruori præſidet. [Iunonem enim Fluoniam, quæ Arnobio (a) Fluuionia dicitur, mulieres colebant, quod eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere dicerent, inquit Feſtus: adſtipulatur Tertullianus (b).] Ibi ſunt & duo, neſcio qui, obſcuriſſimi, *Vitumnus* & *Sentinus*, quorum alter vitam, alter ſenſus puerperio largitur. Verba hæc ſunt Auguſtini; idem dicit Tertullianus, qui addit: dehinc dieſpiter, qui puerum perducat ad partum [confirmat Auguſtinus, (c)] & candelifera, quoniam ad candelæ lumina pariebant, & quæ alias parturientium præeſſe nixibus dictæ; de quibus Feſtus, *nixi dii* inquit, *adpellantur tria ſigna in Capitolio ante cellam Mineruæ genibus nixa, velut præſidentes parentium nixibus*: peruerſe nato partu, *Poſtuerta*; recto Varro Proſæ, Carmentis eſſe prouinciam quoque ſcribit. Illuſtrat hæc ipſius Varronis verbis Gellius (d) *quando igitur*, inquit, *contra naturam forte conuerſi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri ſolent, ægriusque tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus, quarum altera Poſtuerta nominata eſt, Proſa altera, a recti, peruerſique partus & poteſtate & nomine*: Macrobius (e) quoque anteuortam & poſtuortam diuinitatis aptiſſimas comites a Romanis coli ait.

Ab

(a) *lib. III p. m. 118.* (b) *c. l.* (c) *IV de C. D. c. XI.*
(d) *noct. Att. XVI c. XVI.* (e) *Saturn. I. c. VII.*

Ab effatu dicebatur *Farnus* & aliis a loquendo *Locutius*. Reliquos alio loco recenſet Auguſtinus (f), cum ſub Ioue omnes diuinitates latere ex ſententia paganorum velit, vbi ait : *Ipſe præſit nomine Liberi virorum ſeminibus, & nomine Liberæ fœminarum. Ipſe ſit diespiter, qui partum perducat ad diem. Ipſe ſit dea Mena, quam præfecerunt menſtruis fœminarum. Ipſe Lucina, quæ a parturientibus inuocetur. Ipſe opem ferat naſcentibus, excipiens eos ſinu terræ, & vocetur Opis. Ipſe in vagitu os aperiat & vocetur Deus VAGITANVS*, [cuius & mentionem facit alibi,(g) eundem ibi adpellando *Vaticanum*, licet vtrumque recte dicatur. Gellius enim (h) verbis Varronis ita loquitur : *Vaticanus deus nominatus, penes quem eſſent vocis humanæ initia, quoniam pueri ſimulatque parti ſunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in vaticano ſyllaba eſt. Idcircoque vagire dicitur, exprimente verbo ſonum vocis recentis.*] *Ipſe leuet de terra & vocetur dea LEVANA. Ipſe cunas tueatur, & vocetur Dea CVNINA*, [quæ vti paullo ante (i) dixerat, cunas Romanorum adminiſtrat; ſiue vt Lactantius ait (k), quæ infantes in cunis tuetur, ac faſcinum ſummouet, alias & Cunaria dicta] *Non ſit alius, ſed ipſe in Deabus illis, quæ fata naſcentibus canunt, & vocantur Carmentes. Præſit fortuitis, voceturque Fortuna. In diua RVMINA mammam paruulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam. In diua POTINA potionem miniſtret. In diua EDVLICA eſcam præbeat* [educam & poticam alio loco eas adpellat (l). Arnobius (m) Victam

V 2 &Po-

(f) *IV de C. D. c. XI.* (g) *lib. IV c. VIII.* (h) *XVI. c. XVII.* (i) *cap. VIII.* (k) *lib. I c. XX.* (l) *lib. IV de C. D. c. XXXIV & lib. VI c. IX.* (m) Arnobius *lib. III p. m. 115.*

Digitized by Google

& Potuam vocat, quas victui potuique procurare ait.] *De pauore infantium Pauentia nuncupetur.* MANAM GENETAM ortui atque partui præeſſe ait Plutarchus (n), eadem apud Romanos ratione habitam eam addens, qua apud Græcos Hecate. Canis eidem immolabatur, votoque ab eadem petebant, ne quis domi natorum bonus fiat; cuius in cauſſas ſimul inquirit. *Egeria* quoque nymphæ ſacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile conceptam aluum egerere, vti inquit Feſtus. *Naſcio* quoque inquit Cicero (o) dea eſt, cui, cum fana circumibant, in agro Ardeati, rem diuinam facere ſolebant. Quæ quia partus matronarum tueatur, a naſcentibus Natio nominata eſt. *Oſſilago* memorabatur, quæ durat & ſolidat infantibus paruis oſſa (p), quæ & alias (q) *Oſſipagina* dicitur. *Nundina* Romanorum dea dicebatur, a nono naſcentium die nuncupata, qui luſtricus erat (r). *Statilinum* & *Statanum* pueritiæ præſides fecit Varro, ſecundum Nonium Marcellum (ſ). *Fabulino* vero ſacrificaſſe ait, cum primum fari cœperint. *Carnam* deam vitalibus humanis præeſſe credebant, cui Iunius Brutus pulſo Tarquinio, voti reus in Cœlio monte ſacra fecit (t). De Iunone autem & Diana, quæ partubus præ cæteris præeſſe dicebantur, latius iam ſupra diximus. Tandem quoque mulieri fœtæ ex Varrone Auguſtinus (u) poſt partum, tres deos cuſtodes adhiberi commemorat, ne Syluanus deus per noctem ingrediatur & vexet; eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſſa

(n) *quæſt. Rom. LI.* (o) *III de N. D. c. XVIII.* (p) Arnobius *lib. IV p. m. 131.* (q) *lib. III p. m. 118.* (r) Macrobius *Saturn. I c. XVI.* (ſ) *cap. XII.* (t) Macrobius *Saturn. I. c. XII.* (u) *VI de C. D. c. IX.*

cauſſa tres homines noctu circumire limina domus, & primo limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertio deuerrere ſcopis: vt his datis culturæ ſignis, deus Syluanus prohibeatur intrare: quia neque arbores cæduntur ac putantur ſine ferro: neque far conficitur ſine pilo: neque fruges coaceruantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos: *Intercidonum* a ſecuris interciſione: *Pilumnum* a pilo: *Deuerram* a ſcopis: quibus diis cuſtodibus contra vim dei Syluani, fœta conſeruaretur.

DII NVPTIALES

Matrimonium contrahentes quinque potiſſimum deorum ope indigere inquit Plutarchus (x): Iouis perfecti, Iunonis perfectæ, Veneris, Suadæ ac Dianæ. *Hymenæus* communis nuptiarum deus habebatur; de quo Claudianus (y),

hunc Muſa genitum legit Cytherea ducemque
præfecit thalamis: nullum iunxiſſe cubile
hoc ſine, nec primas fas eſt attollere tædas.

& alibi eius figuram ita deſcribit (z):

dulce micant oculi niueas infecerat igni
ſolque pudorque genas: dubiam lanuginis vmbram
Cæſaries intonſa tegit.

ideo in omni nuptiarum ſolennitate inuocabatur. Peculiares autem nuptiarum deos nemo melius nos docuit quam Auguſtinus (a), dum ait: Cum mas & fœmina inquit, coniunguntur, adhibetur Deus *Iugatinus*. Sed do-

V 3 mum

(x) *quæſt. Rom. II.* (y) *in epithal. Palladio dicto v. 31.* (z) *v. 41.* (a) *de Ciu. D. VI c. IX.*

mum eſt ducenda, quæ nubit, adhibetur deus *Domiduca*. Vt maneat cum viro, additur dea *Manturna*. Adeſt dea *Virginenſis*, vt virgini zona ſoluatur; adeſt deus *Subigus* vt viro ſubigatur: adeſt dea *Prema*, vt ſubacta ne ſe commoueat, prematur; dea *Pertunda* ibi quid agit? erubeſcat, eat foras, agat aliquid & maritus. Arnobius (b) hiſce addit *Tutunum*, cuius immanibus pudendis horrentique faſcino inequitare matronas auſpicabile docebant & optabant: quod & confirmat Lactantius (c), qui eundem vocat Mutinum. Hic autem nullus alius erat, quam ipſe Priapus, ſuper cuius immaniſſimum vti ait Auguſtinus, & turpiſſimum faſcinum, ſedere noua nupta iubebatur, more honeſtiſſimo & religioſiſſimo matronarum: atque clare explicat (d), Latinorum Mutinum apud Græcos eſſe Priapum. Addimus hiſce Deam *Viriplacam*, quæ a placandis viris nomen fertur adſecuta: veneranda quidem, & neſcio an præcipuis, ſed exquiſitis ſacrificiis colenda: vtpote quotidianæ ac domeſticæ pacis cuſtos, in pari iugo caritatis ipſa ſui adpellatione virorum maieſtati debitum ac fœminis reddens honorem. Quoties vero inter virum & vxorem aliquid iurgii interceſſerat, in ſacellum huius Deæ, quod erat in palatio, veniebant, & ibi inuicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum depoſita, concordes reuertebantur; vti hanc Deam optime nobis deſcribit Valerius Maximus (e). De *Cinxia* Iunone quæ in ſoluendo nouæ nuptæ cingulo præſto erat, ſecundum Feſtum, ſupra iamdum diximus. Vltima e diis nuptialibus eſt *Perfica*, vna e populo numinum, quæ

(b) *lib. IV p. m. 131.* (c) *lib. I c. XX.* (d) *IV. de C. D c. XI.* (e) *lib. II c. I.*

quæ obſcœnas & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffenſa procedere ſecundum Arnobium (*f*).

DII, QVI VARIIS HOMINVM ACTIONIBVS ET REBVS ALIIS PRAEFECTI.

Vti reliquis rebus, ſic & actionibus hominum fere omnibus certos præficiebant deos. De ſpe quæ venit, inquit Auguſtinus, (g) *Venilia*; de voluptate *Volupia*; de actu *Agenoria*; de ſtimulis, quibus ad nimium actum homo impellitur, dea *ſtimula* nominatur; *ſtrenua* dea eſt ſtrenuum faciendo; *Numeria* quæ numerare doceat; *Camœna* quæ canere. Deus *Conſus* præbet conſilia & dea *Sentia* ſententias inſpirat. Dea *Iuuentas* poſt prætextam excipit iuuenilis ætatis exordia. Hiſce addit & (h) deam *Murciam*, quæ præter modum non moueret ac faceret hominem murcidum, id eſt nimis deſidioſum. Inde Arnobius (i) eam vocat deam ſegnium. *Hortam* deam ab hortando dictam putat Plutarchus, (k) quæ ad honeſtas actiones hortaretur & incitaret. *Catius* deus colebatur vt cautos ſiue acutos redderet homines. Deæ *Adeonæ* commendabant adeuntes; *Abeonæ* abeuntes; deæ *Menti* vt bonam haberent mentem; deo *Volumno* & deæ *Volumnæ* vt bona vellent; deo *Honorino* vt honorarentur; deæ *Pecuniæ* vt pecunioſi eſſent: deo *Aeſculano* & filio eius *Argentino*, vt habeant æream argenteamque pecuniam ſecundum Auguſtinum (l); qui hos vltimos deos maxime ridet, dum ait: ***nam ideo patrem***

(f) *lib. IV p. m. 131.* (g) *IV de C. D. c. XI.* (h) *lib. IV de C. D. c. XVI.* (i) *IV p. m. 132.* (k) *quaeſt. Rom. XLV.* (l) *IV de C. D. c. XXI.*

trem Argentini Aeſculanum poſuerunt, quia prius aerea pecunia in vſu eſſe cœpit, poſt argentea. Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea ſubſecuta eſt. Quem deum iſti ſi haberent, ſicut Saturno Iouem, ita & patri Argentino & auo Aeſculano Aurinum praeponerent. Propter feſſos inuocabatur diua *Feſſonia*; propter hoſtes depellendos diua *Pellonia*; ab erroribus viarum dea dicebatur *Vibilia* liberare. In tutela ſunt *Orbonae* orbati liberis parentes, cui ara ad ædem larium conſtituta (m); in *Naenia*, quibus extrema ſunt tempora, inquit Arnobius (n). *Angerona* ſilentii dea habebatur, quæ ore obligato obſignatoque ſimulacrum habebat (o). Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac animorum ſollicitudines propitiata depellat. Iulius Modeſtus autem ideo ſacrificari huic deæ dicit, quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, præmiſſo voto, ſit liberatus. Quod vltimum & Feſtus confirmat (p). Lucrorum conſecutionibus præſidere credebant deos *Lucrios*; *Libertinam* & *Liburnam* libidinum ſupereſſe tutelis; *Limentinum* & *Limam* cuſtodiam liminum gerere & ianitorum officia ſuſtinere (q). Petendis rebus dea *Peta* præerat (r). *Forculus* foribus, & *Limentinus* limini: *Cardea* vero cardinem ſeruabat (ſ). *Cloacinae* ſimulacrum in cloaca maxima repertum Tatius conſecrauit, & quia cuius eſſet effigies ignorabat, ex loco illi nomen impoſuit (t). *Herem Marteam* anti-

(m) Plinius *II c. VII.* (n) *lib. IV p. m. 131.* (o) Plinius *III c. V.* (p) Macrobius *Saturn. I c. X.* (q) Arnobius *lib. IV p. m. 132.* (r) Arnobius *lib. IV p. m. 131.* (ſ) Auguſtinus *VI de C. D. c. VII & lib. IV c. VIII.* (t) Lactantius *I c. XX.* Minucius Felix *Octauio c. XXV.*

antiqui accepta hæreditate colebant, quæ a nomine adpellabatur hæredum, & eſſe vna ex Martis comitibus putabatur, ſecundum Feſtum. *Lauernam* deam dicit Nonius, cui ſupplicant fures ; cui adſtipulatur Arnobius (u) : inde Horatius (x) :

pulcra Lauerna
da mihi fallere

Ideo & lauerniones fures, antiqui dicebant, quod ſub tutela huius deæ eſſent; in cuius luco obſcuro abditoque ſoliti furta, prædamque inter ſe luere, hinc & lauernalis porta vocata eſt (y). *Furina* dea antiquiſſima erat, cui & ſacra inſtituta annua, & flamen attributus ; cultus tamen poſtea deſiit, cum iam Varro ſcribat, vix nomen adhuc paucis eſſe notum (z). *Vacuna* dea vacationibus præeſſe dicebatur, de qua Ouidius (a) :

nunc quoque cum fiunt antiqua ſacra Vacunæ
ante Vacunales ſtantque ſedentque focos.

Eius & mentionem facit Horatius (b). Porphyrio Horatii interpres Sabinorum deam putat, ſub incerta ſpecie formatam, aliis quidem Bellonam, aliis Mineruam, aliis Dianam dictam. Varro eandem eſſe ac Victoriam putat ; ſed cum nominis notationem ſequimur, propriam potius vti diximus, facimus deam. *Picum* quoque *Faunum* & *Tiberinum* Romulus Romanis deos conſtituit (c) ; quos tres Romanorum vernaculos vocat Cyprianus (d). *Picus* quidem Fauni pater, auguriorum habebatur peritiſſimus, qui a Circe adamatus, cum eius con-

X iugi-

(u) *lib. III p. m. 116.* (x) *lib. I ep. XVI. v. 61.* (y) Feſtus *hac voce.* (z) *lib. V de L. L. p. m. 34.* (a) *VI Faſt. v. 307.* (b) *I ep. X extr.* (c) *IV de C. D. c. XXIII & VI c. X.* (d) *de idol. vanitate p. m. 48.*

iugium ſperneret, mutatus fertur in auem ſui nominis; o figmento inde ducto, quia picis in auſpiciis ſuis olim maxime vtebantur (e). Huius filius erat *Faunus*, antiquiſſimus Latii deus (f). *Tiberinus* vero Capeti filius, & Albanorum Rex in vicino flumine ſubmerſus effecit, vt pro Albula Tiberis diceretur: Inde Tiberis fluuii præſes habebatur, & deus loci Virgilio dicitur (g). *Rediculi* fanum quoque extra portam Capenam fuit, ideo extructum, quod ſecundo bello Punico Annibal vrbem oppugnaturus, a diis iniecto metu receſſerit, ſecundum Feſtum. Quis non rideat deam (h) *Cacam*, quæ Herculi indicium fecit de furto boum. *Volturno* deo ſua ſacra faciebant, cuius ſacerdotem Volturnalem vocabant (i): Socer autem Iani habebatur (k). Notior tamen apud Hetruſcos cultus Volturnæ, [vt melius lego pro Voltumnæ] ad cuius fanum communia Etruriæ populorum conſilia agitari ſolita (l).

FERONIA.

Hanc Nympham Campaniæ dicit Seruius (m), alias Iuno Feronia dicta, vt eſt in lapide (n).

IVNONI. FERON
BARBIA. L. F. SECVNDA
AEDEM. SIGNVM. PORTICVS.
D. P. S. P.

Cultum tamen habuit peculiarem; quippe Virgilio (o) ſim-

(e) Arnobius *lib. V ineunte* (f) Lactantius *I c. XXII.* (g) *Aen. IV v. 31.* Varro *IV de L. L. p. m. 9.* (h) Lactantius *I c. XX.* (i) Feſtus *voce Volturnus.* Varro *VI de L. L. p. m. 52.* (k) Varro *lib. III p. m. 117.* (l) Liuius *IV c. XXI. XXIII & LXI.* (m) *ad VIII Aen. v. 564.* (n) Spon *ſect. III v. 23.*

(o) ſimpliciter dicitur *Feronia mater*. Ei templum ex voto in campis Italiæ Pometinis extruxere Lacones (p). Fanum iſtud Sabinis æque atque latinis ſumma religione colebatur; (q) in luco autem extructum, & quidem ſummis dotatum diuitiis; inde Silio (r) *diues vbi ante omnes colitur Feronia luco* & Virgilio (ſ)

viridi gaudens Feronia luco.

dicitur. Idem templum ex multo auro argentoque exornatum fuiſſe teſtatur Liuius (t). Libertorum habebatur dea, in cuius templo raſo capite pileum accipiebant, ſecundum Seruium (u). Inde cum donum Feroniæ eſſet dandum, pecuniam pro ſuis facultatibus conferebant libertinæ (x). Colebatur & flaminibus, qui conſtabant ex muliebri ſexu, vti teſtatur lapis priſcus apud Gruterum (y)

CAMVRENAE
C. F
CELERINAE
FLAM. FERON.

Ex quo & a Iunone plane fuiſſe diſtinctam videmus.

AIVS LOCVTIVS

Deus hic adpellatus eſt, & ara eidem ſtatuta in infima noua via, quod in eo loco diuinitatis vox edita erat, vti teſtatur Varro apud Gellium (z). Vox enim iſta nocturno tempore edita, nuntia cladis ante bellum Gallicum fuerat: cuius expiandæ cauſſa ara eidem extructa.

(o) *VIII Aen. v. 564.* (p) Halic. *lib. II p. m. 113.* (q) Halic. *lib. III p. m. 173.* (r) *Punic. lib. XIII v. 94.* (ſ) *VII Aen. v. 770.* (t) Liuius *XXVI c. XI* (u) *ad Aen. VIII v. 558.* (x) Liuius *XXII c. I.* (y) *p. CCCVIII n. 3.* (z) *XVI c. XVII.*

cta (a). Belle in rem Cicero (b). *Aius, inquit, iſte loquens, quando eum nemo norat, aiebat & loquebatur, & ex eo nomen inuenit, poſteaquam & ſedem & aram & nomen inuenit, obmutuit.*

MATVTA MATER

Matutam matrem antiqui ob bonitatem adpellarunt inquit Feſtus: Græcis dicta Leucothea, cui primus ædem poſuit Seruius Tullius, quam poſtea captis Veiis ex voto refecit Camillus (c). Matronarum habebatur dea, a qua nulla ſuis ſed ſororum tantum liberis bona precabantur; (d) atque aditu eius templi ſeruæ prohibebantur (e).

Ancillarum quoque dii deæque ferebantur *Anculi & Anculæ*, ſecundum Feſtum. Quin & ipſas humani corporis partes pro diis colebant: quo facit inſcriptio (f) apud Gruterum:

AVRIBVS
B. D. D
PETRVSIA
PROBA
MAGISTRA
GALGESTI
HERMEROT
& alia:
VIRIBVS
SACRVM

So-

(a) Cicero *I diuin. c. XLV.* Liuius *V. c. L.* (b) *II de diuin. c. XXXII.* (c) Liuius *IV. c. XIX & XXIII.* (d) Plutarchus *in Camillo p. [illegible] & quæſt. Rom. XVII* (e) *quæſt. Rom. XVI.* (f) *p. LXXXIX. n. 6. & ſeq.*

Somnum etiam inter deos maximos olim reputarunt; ſicuti diſcimus ex lapide priſco (g)

DIIS MAXIMIS
BACCHO ET SOMNO
HVMANAE VITAE
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIB
SACRVM

Fragilis enim, inquit Plinius (h), *& laborioſa mortalitas in partes iſta digeſſit, infirmitatis ſuæ memor, vt portionibus quiſque coleret, quo maxime indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus & numina in iiſdem innumerabilia reperimus.* Nec mirum, ad tam præcipitia lapſas fuiſſe gentes, mens enim vbi a Deo aliena, cœcutit; & animus qui non pura rectaque mente Deum colit, ad naturæ trahitur inſaniem.

DII AQVATILES.

Neptuno iungebantur dii aquatiles, quos Catullus (i) littorales deos vocat: de quo inſcriptio (k) apud Reineſium.

NEPTVNO ET
DIS AQVATILIB.

Quales dæmones aquatici erant Tritones, Neptuni miniſtri, quos ita depingit Virgilius (l):

hunc vehit immanis Triton & cærula concha
exterrens freta: cui laterum tenus hiſpida nanti
frons hominem prefert, in Priſtin deſinit aluus,
ſpumea ſemifero ſub pectore murmurat vnda.

 Eo-

(g) *p. LXVII n. 9.* (h) *lib. II c. VII.* (i) *carm. IV v. 22.* (k) *cl. I n. 96.* (l) *X Aen. v. 209.*

Eodem fere modo hiſpidum Tritonum corpus deſcribit Plinius, (m) qui & buccinam iisdem addit; atque Ouidius de Neptuno: (n)

cæruleum Tritona vocat, conchaque ſonanti
inſpirare iubet, fluctusque & flumina ſigno
iam reuocare dato, caua buccina ſumitur illi
tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo:
buccina, quæ in medio concepit vbi aëra ponto,
littora voce replet ſub vtroque iacentia Phœbo.

Nymphis quoque templa publica vota atque dedicata ſcribit Cicero: (o) quæ Neptuno adiunctæ, dicebantur Naiades & Nereides, & quinquaginta Nerei e Doride numerabantur filiæ; licet Catullus (p) centum numeret, dum ait:

O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ.

Auſonio (q) nymphæ natantes incolæque aquatiles adpellantur. Fontes enim nymphis inhabitari putabant, & frequenter easdem venerabantur; vt adparet ex variis inſcriptionibus (r) vt NYMPHIS SACRVM & NYMPABVS &

NYMPHIS LIMPHISQ. AVG.
DVLCISSIMIS
OB. REDITVM. AQVARVM
PLACIDE. PROSILIENTIVM

atque alia

NYMPHIS. LOCI
BIBE. LAVA
TACE

& a-

(m) *IX c. V.* (n) *Metam. I v. 333.* (o) *III de N D. c. XVII.* (p) *lib. III el. VI.* (q) *Moſella v. 170. 179.* (r) Gruterus *p. XCIII n. 7. 8. 12.*

& alia (ſ)

HVIVS. NYMPHA. LOCI. SACRI. CVSTODIA. FONTIS
DORMIO. DVM. BLANDAE. SENTIO. MVRMVR. AQVAE.
PARCE. MEVM. QVISQVIS. TANGIS. CAVA. MARMORA. SOMNVM
RVMPERE. SIVE. BIBAS. SIVE. LAVERE. TACE

Inter haſce fluuiatiles nymphas numeranda Iuturna, quæ iuuaret; & nymphæ Commotiæ ad lacum Cutilienſem a commouendo ſic dictæ; quod ibi inſula in aqua commoueatur ſecundum Varronem (t). Hiſce ſolennia vota reddebant agricolæ, qui & aquas ſuperſtitioſa votorum continuatione venerabantur (u). Fontes quoque & fluminum capita ſacra erant, de quo Seneca (x) *magnorum*, inquit, *fluminum capita veneramur : ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet : coluntur aquarum calentium fontes & ſtagna quædam vel opacitas vel immenſa altitudo ſacrauit*. Immo lauando illas turbare religioſum erat; cuius exemplum præbet Nero apud Tacitum (y). Inde Inſcriptio apud Gruterum FONTI DIVINO. ET GENIO. NVMINIS FONTIS. (z) Quare in augurum precatione Tiberinum Spinonem, Anemonem, Nodium & alia propinquorum fluminum nomina contineri innuit Cicero (a), quod diuinitatem arguebat, cum augurum eſſet conſecrare delubra.

DII AVERRVNCI

Auerrunci dicebantur, qui nocendi vim habebant; quos placabant, vt mala ab hominibus vel frugibus natis

(ſ) Spon *ſect. II art. 7 p. m. 37.* (t) *lib. IV de L. L p. m. 13.* (u) Virgilius *ecloga V.* (x) *ep. XLI.* (y) *Ann. IV c. XXII.* (z) Gruterus *p. XCIV n. 7.* (a) *III de N. D. c. XX.*

tis amoueantur, vti auctor eſt Gellius (b). Virgilius (c) læua numina adpellat, & Arnobius (d). Præcipuus inter hoſce erat deus *Auerruncus*, quem precari ſolebant, vt pericula auerteret (e). Deum quoque, qui non iuuandi poteſtatem ſed vim nocendi haberet, *Veiouem* adpellabant; dempta atque detracta iuuandi facultate. Aedes eidem extructa erat inter arcem & Capitolium; & manu ſagittas tenens pingebatur, tanquam ad nocendum paratas; immolabaturque illi humano ritu capra, vti diſcimus ex Gellio (f). Mentionem eius quoque facit Ouidius (g). *Pauori* atque *Pallori* fana, quæ ante, bello cum Fidenatibus vouerat Tullus Hoſtilius, extruxit (h). Mox a neſcio quo, *Febris* dedicata eſt, inquit Minutius Felix (i). Publice enim Febri fanum in palatio dicatum erat (k): quare Prudentius bene canit (l):

par furor illorum, quos tradit fama dicatis
conſecraſſe deas Febrem, Scabiemque ſacellis.

Hinc eidem pro liberatione, varie blandiebantur, vti exemplum extat apud Gruterum (m):

FEBRI. DIVAE. FEBRI
SANCTAE. FEBRI. MAGNAE.
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE. AFFECTO.

Huc quoque pertinet *Robigus*, de quo tamen ſupra iamdum diximus. *Tempeſtati* deæ ædem extra portam Capenam

(b) Gellius *V c. XII.* (c) *Georg. IV v. 7.* (d) *lib. III p. m. 115.* (e) Varro *de L. L. lib. VI p. m. 50.* (f) *lib. V c. XII.* (g) *III Faſt. v. 447.* (h) Liuius *I c. XXVII.* (i) *Octauio c. XXV* Valerius *Max. II c. V.* (k) Plinius *II c. VII* Cicero *III de N. D. c. XXV.* (l) *Hamartigenia v. 157.* (m) *p. XCVII n. 1.*

penam Kalendis Iunii dedicauit M. Marcellus, de quo Ouidius (n):

te quoque tempeſtas meritam delubra fatemur,
cum pene eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Immo Cincio quoque vento Auguſtus templum, cum in Gallia moraretur, & vouit & fecit. (o) Iouem autem tempeſtatum faciebant præſidem, vt eſt in lapide priſco: (p)

IOVI. O. M.
TEMPESTATIVM
DIVINARVM. POTENTI
LEG. III. AVG. DEDICANTE
Q. FABIO. CALVITINO
LEG. AVG. PR. PR.

Quin & ventis ſacra atque vota faciebant.

VINTIS
BONARVM. TEMPES
TATIVM. POTENTIBVS
LEG. III. AVG. DEDICANTE.
Q. FABIO. CALVITINO
LEG. AVG. PR. PR.

His autem tempeſtatibus immolabant quoque victimas vt canit Horatius: (q)

libidinoſus immolabitur caper
& agna tempeſtatibus

& Virgilius: (r)

meritos aris mactauit honores

(n) *VI Faſt. v. 193.* (o) Seneca *natur. quaſt. V c. XI.* (p) Spon *ſ. III p. 76.* (q) *epod. X.* (r) *III Aeneid v. 118.*

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo,
nigram hyemi pecudem, zephyris felicibus albam.

DEORVM ADIVNCTI.

Non ſingulis tantum actionibus certas præficiebant diuinitates Romani, ſed & cum vnum deum vnicuique rei non ſufficere poſſe putarent, alias hinc inde adiungebant diuinitates, quas in curarum partes dii vocarent.

BELLONA

Martis comes erat adſidua, ideoque bellorum dea; quæ Marti in bellum eunti equos curruſque pararet; hinc & eandem eam cum Minerua volunt, ſed plane alia attribuuntur. De ea ſic canit Silius Italicus (ſ):

ipſa facem quatiens, & flauam ſanguine multo
ſparſa comam, medias acies, Bellona pererrat.
ſtridit tartarea nigro ſub pectore Diua
lethiferum murmur.

Dicebatur hæc alias ſecundum Feſtum, bellorum dea, ante cuius templum erat columella, quæ bellica vocabatur, ſupra quam haſtam iaciebant, cum bellum indiceretur; quod etiam docet Ouidius (t). In eiuſdem ſacris ſacerdotes non alieno ſed ſuo cruore ſacrificabant. Sectis namque humeris & vtraque manu diſtrictos gladios exerentes currunt, efferuntur, inſaniunt, vti auctor eſt Martialis, (u) dum canit:

Alba minus ſæuis lacerantur brachia cultris
cum furit ad phrygios enthea turba modos.

& Lactantius (x). Eiuſdem Martis coniugem faciebant *Nerie-*

(ſ) *lib. V v. 220.* (t) *VI Faſt. v. 199.* (u) *lib. XI ep. LXXXV.* (x) *Lactantius I c. XXI.*

Nerienem (y) quam puellæ implorabant, vti liceat nuptiis propriis & proſperis vti, vtque eſſent, qui eas integras caperent, vnde liberos ſibi, ſuis poſteris, patriæ pararent, referente Gellio (z).

NEMESIS

Hæc etiam inter deas militares habita, & cultum atque venerationem apud Romanos conſecuta (a). Inde DEA NEMESIS dicitur apud Gruterum (b), & NEMESIS SANCTA & SANCTISSIMA; in alia:

VIRGINI. VIC
TRICI. SANCTAE
DEAE. NEMESI.

Alata pingebatur cum rota ante pedes. Vltricem eam facinorum impiorum, bonorumque præmiatricem adpellat Ammianus Marcellinus, (c) atque de eius ſimulacro & officiis pluribus agit.

CVPIDO

Veneris filius, nudus, ligatis ſæpe oculis, alatus quandoque cum pharetra & arcu fingebatur; eiusdemque officium erat, vt Venerem in conciliandis amoribus adminicularetur, quare eam mater ſic compellat (d):

nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus.

De Gratiis Veneri quoque adiunctis, infra ſub nymphis dicemus.

SALACIA

Neptuno collocabant Salaciam, (e) eamque infe-

 rio-

(y) Plautus *Trucul. actu II ſc. VI v. 34.* (z) *XIII c. XXI.* (a) Halic. *lib. II p. m. 134.* (b) *p. LXXX n. 1. 2. 3. 4. 5.* (c) *lib. XIV p. m. 30.* (d) *Aen. I v. 654.* (e) Gellius *XIII c. XXI.*

riorem maris partem tenere putabant (f). A ſalo autem ſic dicta, ſecundum Varronem, (g) & ſalum ciere ſiue mare mouere putabatur, ſecundum Feſtum.

CABIRI

Vulcano addebantur ſocii, deorum alias miniſtri, atque metallorum inuentores : quorum religio apud Samothracas maxima : hinc Samothracum initia vocat Curtius (h). Eosque putat Tertullianus (i) magnos potentes & valentes eſſe, quibus tres iſtæ aræ in circo maximo dicatæ. Vulcani vxor habebatur *Maia*, (k) quam tamen Mercurii matrem alias dicunt : inde reſtituimus Gellium, pro *Naiam Vulcani* legentes *Maiam Vulcani*.

LVA. HORA. IVRITES

Lua a luendo ſeu expiando ſic dicta videtur, (l) eamque Saturni dicit Gellius (m). *Horam* vero Quirini, quam alias iuuentutis deam Nonius dicit Marcellus (n). Ouidius Herſiliam Romuli coniugem poſt amiſſum maritum a Iunone in Horam mutatam ſcribit, atque canit (o):

priſcum pariter cum corpore nomen
mutat, Oramque vocat, quæ nunc dea iuncta Quirino eſt.

Eiusdem Quirini Iuritem idem facit Gellius.

LARES. LEMVRES

Genio bono adiungebant lares, malo miniſtrabant lemures. Dii itaque domeſtici erant, atque ab iis *Larari-*

(f) Auguſtinus *IV de C. D. c. X.* (g) *lib. IV de L. L p. m. 14.* (h) *lib. VIII c. III.* (i) *de ſpectaculis c. VIII.* (k) Macrobius *Saturn. I c. XII.* (l) Turnebus *aduerſ. XVI c. XX & XIX c. XI.* (m) Gellius *c. l.* (n) *cap. II n. 394.* (o) *Metam. XIV extr.*

rarium dicebatur locus iſte domus, in quo quilibet Deorum ſimulacra quos colebat, conſtituebat (p). Vocat autem ibi lares electos & animas ſanctiores. Lares enim effigies erant maiorum, quos, vti viui ſplendorem familiæ promouerant, defunctos etiam pro eadem curam gerere putabant. Quare eos pro ſalute & incolumitate domus implorabant, vti habet inſcriptio apud Gruterum. (q) Imagines autem plerumque fuiſſe aureas videmus ex Suetonio (r) vel argenteas (ſ). Nec tamen priuati ſolum erant lares, ſed etiam frequentes occurrunt inſcriptiones, laribus Auguſti vel Auguſtis & Cæſarum dicatæ: alia quoque ſic habet (t): *Tab. V n. 16.*

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM

Lares ergo publici, animæ erant defunctorum, qui dum viuerent, de republica optime meriti, quasque cœlo donatas ſingularem pro eadem curam gerere putabant. Quales erant in re Romana Romulus, Auguſtus & alii diui Principes, vti id optime declarat Boxhornius (u). Quare & Lares dicebantur præſtites (x):

Cauſſa tamen poſiti fuerat cognominis illis,
quod præſtant oculis omnia tuta ſuis,
Stant quoque pro nobis & præſunt mœnibus vrbis,
& ſunt præſentes auxiliumque ferunt.

Lares permarini præliis quoque naualibus præerant: quibus nauali prælio aduerſus Antiochi præfectos ædem vouit L. Aemilius, vndecim annos poſt a filio dedicatam

Y 3 (y).

(p) Lampridius *Alexandro Seuero c. XXIX.* (q) *p. CVI n. 13.* (r) *Vitellio c. II.* (ſ) Gruterus *p. CLXXIV n. 7.* (t) *p. CVI n. 4.* (u) *quaſt. Rom. VI.* (x) Ouidius *V Faſt. v. 133.*

(y). Dein lares quoque auctore Arnobio (z), vulgus vicorum atque itinerum deos eſſe arbitrabatur; indeque Plauto *viales lares*, & quod in compitis fixi, ibidemque culti, *compitales* quoque adpellati. Inde inſcriptio habet LARI VIALI ET GENIO LOCI (a). *Grundules* quoque lares a Romanis fuiſſe adoratos auctor eſt Arnobius (b), quos ad honorem porcæ, quæ triginta pepererat, fuiſſe conſtitutos docet Marcellus, & Diomedes (c). Ante larum pedes accubabant canes, cuius rationem reddit Ouidius (d), dum inquit:

ſeruat vterque domum domino quoque fidus vterque eſt,
compita grata deo, compita grata cani.

Ipſos vero lares publicos priuatosque ſolenni more coronare ſolebant, (e) vernis etiam floribus ornare atque æſtiuis (f). Quare & Euclio apud Plautum (g) inquit:

nunc tuſculum emi & haſce coronas floreas,
hæc imponentur in foco noſtro Lari.

PENATES

Laribus cognata erant numina, atque præſides & cuſtodes dii habebantur, vel totius generis humani, vel ſingularum etiam ciuitatum atque domuum. Quinam Penates fuerint, ipſi inter ſe diſcrepant veteres. Varro quidem (h) deos eſſe cenſet, qui ſunt introrſus, atque in intimis penetralibus cœli, nec eorum numerum, nec nomina ſciri. Nigidius Penates deos Neptunum eſſe atque

(y) Liuius *XL c. LII.* (z) *lib. III p. m. 124.* (a) Spon *ſect. III n. 95.* (b) *lib. I p. m. 15.* (c) *lib. I de dubia verb. poſit. p. m. 379.* (d) *V Faſt. v. 137.* (e) Plinius *XXI c. II.* (f) Suetonius *Aug. c. XXXI.* (g) *Aulul. actu II ſc. VIII.* Feſtus *voce donatica corona.* (h) Arnobius *lib. III p. m. 123.*

atque Apollinem prodidit, Cæſius Fortunam, Cererem, Genium Iouialem ac Palem. Alii eosdem ac Conſentes & complices faciunt (i). Macrobius (k) *Penates eſſe dixerunt*, ait, *per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus. Eſſe autem medium athera Iouem, Iunonem vero imum aëra cum terra & Mineruam ſummum atheris cacumen.* Nemo autem melius, quinam fuerint dii penates, nos docere poterit, quam Cicero, qui non vno loco eosdem adpellat deos patrios, eosque (l) ita compellat: *vos Penates patriique dii;* & alio loco (m): *vos dii patrii ac penates, qui huic vrbi atque huic imperio præſidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, populumque Romanum, qui hæc tecta atque templa veſtro numine auxilioque ſeruaſtis.* Immo eos vrbis ac reipublicæ præſides vocat (n), vt inde ſatis pateat, eosdem eſſe deos penates, ac deos patrios. Quare & Virgilius (o) eos vocat patrios penates, & Halicarnaſſenſis (p) eos Græcis dictos ait πατρώους, γενεθλίους, etiam μεγάλους. Inde Virgilius (q) penates & deos magnos coniungit. Ad quos ſpectat inſcriptio apud Gruterum (r):

DIIS DEABVS
PENATIBVS
FAMILIARIBVS
ET IOVI CETERIS
VE DIIBVS

Romanorum ergo Penates, erant dii iſti tutelares, quos ab ex-

(i) Arnobius *c. l.* (k) *Saturn. III c. IV.* (l) *pro Sextio c. XX.* (m) *pro Sylla c. XXXI.* (n) *pro domo c. LVII.* (o) *II Aen. v. 718.* (p) *lib. I p. m. 54.* (q) *III Aen. v. 12.* Macrobius *c. l.* (r) *p. II n. 9.*

ab excidio Troiæ in Latium ſecum attuliſſe dicebatur Aeneas. Nomen vero & ſacra ideo reticebantur, ne euocari poſſent, & cum iis ſimul, vti putabant, fortuna Romana. Religio horum erat maxima, vt in conſpectu eorundem fœdera pangerent (ſ). Figuram vero ex Timæo deſcribit Halicarnaſſenſis, quod fuerint caducea ferrea & ænea, Troianaque teſta fictilis. Ipſe vero ſe Troianorum deorum imagines vidiſſe ait, tanquam haſtatos duos iuuenes, habitu ſedentium, operis admodum antiqui. Alii erant certarum domuum penates, quos paruos vocat Virgilius (t), eosque flammis adolebant (u). Inde & Larem & penates coniungit & pro ipſa domo dicit Liuius (x).

MANES

Manes qui fuerint variæ ſunt ſententiæ, optime tamen inter deos inferos referuntur, qui animis demortuorum præeſſe dicebantur. Ita enim veteri iure Pontificio decretum: *deorum manium iura ſancta eſto, hos leto dato, diuos habento* (y): Quare & eos diis ſuperis contrarios facit Cicero (z). Hoſce etiam vt propitii eſſent, precabantur, vti Turnus apud Virgilium (a): *vos o mihi manes eſte boni*. Hisque & Telluri pro patria ſe deuouebant (b). Quemque autem ſuos pati manes (c) putabant, ideoque frequentiſſimum monumentis ſepulcralibus veterum inſcribi D. M. DIS MANIBVS VEL DIS INFERIS MANIBVS SACRVM. Alios enim deos ſepulcris non ſolebant præſcribere Romani.

NTM.

(ſ) Liuius *I c. I.* (t) *Aen. VIII v. 537.* (u) *Aen. I v. 694.* (x) *I c. XXIX.* (y) *II de LI c. IX.* (z) *Topica c. XXIII.* (a) *XII Aen. v. 686.* (b) Liuius *VIII c. IX & X c. XXVII.* (c) *VI Aen. v. 733.*

NYMPHAE

Nymphas Romani habebant varias, ad Græcorum imitationem. Nymphas quidem montium, Oreades dicebant: ſyluarum, Dryades: fontium, Hamadryades: camporum, Naiades: maris, Nereides (d). Ita aliæ adhuc erant nymphæ, quas a marinis numinibus, ad quæ fontium nymphæ ſpectabant, diſtinguit Halicarnaſſenſis (e), iisque prata & loca virentia conuenire tradit. Aliæ adhuc erant, quorum fana extare dicit, & quas apud Græcos ortas ait, vbi coniungit Nymphas, Muſas, Horas, Gratias (f). Et has communi nomine dictas nymphas putem, quibus publice vota atque dedicata templa ſcribit Cicero (g). Singulare eſt, quod de Clodio ait (h): *ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis tabulis publicis impreſſam exſtingueret.* Tabulæ ergo cenſoriæ publicæ in hac æde reponebantur, quod eo quidem factum eſſe ſunt qui velint, quod nymphæ arcendis incendiis præeſſe dicerentur; ſi tamen hæc fuerit ratio, in Vulcani potius templo tabulæ hæ fuiſſent repoſitæ. Hæc ergo potior mihi videtur, quod hæ nymphæ Romanorum rebus ſingulari quadam cura connexæ erant. Egeria Numæ familiaris: Anna Perenna in Numico amne Latii merſa: Carmenta canebat fata: Palis feſtum, Romæ natalitia: Acca Laurentia Romuli nutrix: A Flora lautam nacti hæreditatem: ab aliis alia. De ſingulis nunc dicemus ſpeciatim.

Z EGERIA

(d) Iſidorus *VIII Origg. c. fin.* Seruius *ad Virg. ecl. IX v. 62.* (e) *lib. I p. m. 30.* (f) *lib. VII p. m. 478.* (g) *de N. D. lib. III c. XVII.* (h) *pro Milone c. XXVII Paradox. c. I.*

EGERIA

Hanc finxit Numa Pompilius: qui cum pro continenda imperita multitudine, Deorum metum iniiciendum eſſet ratus, ſibi cum dea Egeria congreſſus nocturnos eſſe ſimulabat, cuius monitu quæ acceptiſſima diis eſſent, ſacra inſtitueret & ſacerdotes præficeret (i). Eam autem teſte Halicarnaſſenſi (k), Muſarum vnam fuiſſe, contendebant veteres, quam ob Numæ diſceſſum in fontem conuerſam eſſe fingebant (l).

ANNA PERENNA

Ab annali tempore ſic dicta; ſoror habebatur Didonis, quæ in Latium profuga facta, cum ad Numicium amnem nocte quadam oberraret, aquis merſa ad deos migraſſe atque inde perennis dicta eſſe credebatur. De ea canit Ouidius (m):

Ipſa loqui viſa eſt, Placidi ſum nympha Numici,
amne perenne latens, Anna Perenna vocor.

Licet & ipſi veteres de eadem dubitarint, quæ fuerit; quod idem docet Ouidius:

Sunt quibus hac Luna eſt, quia menſibus impleat annum:
pars Themin, Inachiam pars putat eſſe bouem.
Inuenies qui te nymphen Atlantida dicant,
teque Ioui primos Anna dediſſe cibos.

CARMENTA

Mercurii dicebatur eſſe pellex, ex qua ſuſtulit filium Euandrum. Fatidica habebatur mulier apud Romanos, quæ fata naſcentibus caneret; cui & publice quot-

(i) Liuius I c. XIX. (k) lib. II p. m. 122. (l) Ouidius XV Metam v. 485. (m) III Faſt. v. 653.

quotannis ſacrificabant Romani in ara ad Carmentalem portam erecta ſub Capitolio (n). Porrima quoque & Poſtuerta dictæ fuere Carmentæ (o), vti ſupra monuimus.

PALES

Armentorum & pecorum gregibus præeſſe dicebatur, dea paſtorum (p); quam precabantur, vt felices partus daret pecori, paſcua ſalubria & a lupis ac tabe immunia. Hinc Ouidius de ea (q):

pelle procul morbos, valeant hominesque gregesque
& valeant vigiles, prouida turba, canes.

In eius honorem celebrabantur Palilia, eique libabant lacte.

ACCA LAVRENTIA

Nutrix habebatur Romuli (r), de qua varia fabulabantur (ſ); diuinos tamen honores habitos omnes dicunt, ita vt ſacrificium eidem a flamine Quirinali publice fieret. Immo & fratrum arualium collegium eidem ſacrum, & feſtum dicatum, Larentalia.

FLORA

Numen habebatur antiquiſſimum (t); quod bene curare dicebatur, vt arua floreſcant. Nobiliſſimum tamen ſcortum fuiſſe teſtatur Lactantius (u), quam ob collatam in Romanum populum hæreditatem, habuerint diuinam.

(n) Halic. *lib. I p. m.* 25. (o) *VI Faſt. v.* 631. (p) Arnobius *lib. III p. m.* 113. (q) *Faſt. IV v.* 763. (r) Plutarchus *Romulo p. m.* 19. *& quaſt, Rom. XXXIV* Gellius *VI c. VII.* Macrobius *ſat I c. X.* (ſ) Gellius *c. l.* (t) Varro *IV de L. L p. m.* 20. (u) *I c, XX.*

POMONA

Hortis pomiſque præeſſe credebatur, nympha ſub Proca rege inter Hamadryades culta. Deſcribit eam Ouidius (x) :

Rege ſub hoc Pomona fuit, qua nulla latinas
inter Hamadryades coluit ſolertius hortos :
nec fuit arborei ſtudioſior altera foetus.
Vnde nomen: non ſyluas illa, nec amnes,
rus amat ; & ramos felicia poma ferentes.

Varroni (y) dicitur pomorum patrona, qui & ſingularem flaminem eidem attribuit, pomonalem dictum. Hanc cum Etruſcorum dea *Nortia*, cuius mentionem facit Liuius, (z) eandem faciunt, cum Aramee Nortia idem notet ac Pomonam ; (a) quod & facile concedi poteſt, cum Pomonam in Latio alias extra vrbem Romam fuiſſe cultam ex eo conſtat, quod via Oſtienſi in agro Solonio ad duodecimum lapidem, diuerticulo a milliario octauo, locus Feſto dicatur Pomonal, ab hac dea ſine dubio denominatus.

FVRIAE. PARCAE. GRATIAE

Tres mulieres veſtitæ Parcas notabant; nudæ horas. Gratiæ ex veſte pellucida; Furiæ ex additis facibus co-
Tab. V n. 17. gnoſcuntur. Gratiæ quidem Veneri adiungebantur numero tres; quas nudas potiſſimum & indiſſolubiles fingebant, vnam quidem auerſo corpore exprimentes, duas vero ad nos verſas ; easque gratiam hominibus conciliare putabant ; de quibus Seneca (b) *num dicam quare*

(x) *XIV Metam. v. 622.* (y) *VI de L. L. p. m. 52.* (z) Liuius *VII c. III.* (a) Beger *theſ. Brandenburg. p. I p. m. 46.* (b) *I de benef. c. III.*

re tres Gratiæ, & quare ſorores ſint, & quare manibus implexis, quare ridentes, iuuenes & virgines, ſolutaque ac pellucida veſte? alii quidem videri volunt vnam eſſe, quæ det beneficium: alteram quæ accipiat, tertiam, quæ reddat. Alii tria beneficiorum genera; promerentium, reddentium, ſimul & accipientium reddentiumque. Licet quidem fuerint, qui nudas eas fuiſſe pictas velint, iisdem tamen conſtanter contradicit non Seneca ſolum, ſed & Pauſanias, (c) qui & earundem inſignia apud Græcos monſtrat; vnam quidem roſam, talum alteram, myrti frondem exiguam tertiam præferre ait. *Parcas* tres eſſe (d) voluerunt, ait Lactantius, vnam quæ vitam hominibus ordiatur, alteram quæ contexat, tertiam quæ rumpat ac finiat, dictæ eodem ordine Clotho, Lacheſis, Atropos. Et quidem Atropos præteriti temporis fatum, quod ne Deus quidem faciat infectum. Futuri temporis Lacheſis a fine cognominata, quod etiam illis quæ futura ſunt, finem ſuum Deus dederit. Clotho præſentis temporis dicebatur habere curam, vt ipſis actionibus ſuadeat, ne cura, ſolers rebus omnibus deſit (e). Itaque vitæ mortique hominum proſpicere dicebantur, quibus & pro conſeruanda ſine dubio vita, ſæpius vota nuncupabant & ſoluebant; de quo varii teſtantur lapides, vt (f)

PARCIS. AVG. SACR.
L. CASSIVS. VERVICI. F
NIGRINVS. VI VIR. AVG
V. S. L. M

Martialis (g) vocat lanificas puellas, vbi canit:

(c) Pauſanias *lib. IX p. 596 & lib. VI p. m. 391.* (d) *lib. II c. X.* (e) Apuleius *de mundo p. m. 76* (f) Gruterus *p. XCVII n. 9. 10. 11. 12.* (g) *lib. IV ep. LIV.*

Lanificas nulli tres exorare puellas
contigit: obſeruant, quem ſtatuere diem.

Alia tria Parcarum nomina adducit Gellius (h), Nona, Decima atque Morta; quæ nomina enodat Voſſius (i), qui & fata eas adpellari ſolitas probat, quod ex Apuleio (k) alias atque Fulgentio (l) diſcimus. Tres itidem faciebant *Furias*, Plutonis miniſtras, nomine Alecto, Tiſiphone & Megæra; quas furoris deas exiſtimabant & ſcelerum vltrices. Tunicis ad talos demiſſis, cingulo pectus incinctis easdem deſcribit Strabo. Quali habitu etiam adparent in nummo Philippi æneo ab Antiochienſibus cuſo, manibus tenentes clauem, tædas, pugiones & ſerpentes, quæ ſemper iisdem adſignabantur. Similis eſt figura quam ſupra Dianæ Triuiæ attribuimus, idque auctoritate Michaelis Angeli Cauſſei (m). Nec tamen aberrabimus, ſi cum illuſtriſſimo Spanhemio (n), Seguino (o) atque Patino (p), eandem figuram ad furias adplicemus. Hecate enim inferorum dea æque furiis præerat, quare figura triformis Triuiam iſtam; additæ vero pugiones, tædæ, ſerpentes, furias denotant. Immo ipſæ furiæ forſan nihil aliud, quam Diana iſta triformis, quæ per cœlum, terram & inferos ſceleratos agitent. Summam hanc conuenientiam docet Dido apud Virgilium (q), dum exclamat:

Tab. V n. 18.

nocturnisque Hecate triuiis vlulata per vrbes:
& diræ vltrices;

vbi

(h) *III c. XVI.* (i) *II de idol, c. XLIV.* (k) *c. I.* (l) *lib. I. p. m. 164.* (m) *de deor. ſimul. tab. XIII.* (n) *ad Iulian. Caeſ. p. 54.* (o) *numiſm. ſel.* (p) *de nummis Imp. ex aere p. m. 388.* (q) *Aen. IV. v. 609.*

vbi Seruius: *Ecaten*, inquit, *cauſſa inuocat vltionis. Vnde etiam furias vocat: ſed vſurpatiue modo diras dixit. Nam dira in cælo, furia in terris, Eumenides apud inferos.* Habebantur autem deæ, quibus Athenis fanum & apud Romanos lucum fuiſſe conſecratum Cicero arbitratur. Ab inferis in terras miſſæ dicebantur, vt ſupplicium de mortalibus ſumerent, hinc ſcelerati furiis agitari, & per vniuerſum mundum agi credebantur, inde Cicero (r) *furia*, inquit, *deæ ſunt ſpeculatrices & vindices facinorum & ſcelerum*. Quod & alio loco (ſ) melius adhuc explicat, dum ait: *agitant, & inſectantur impios Furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ.* His Arnobius (t) quoque iungit diſcordias.

DII PEREGRINI

Peregrina ſacra ſecundum Feſtum alias dicuntur, quæ aut euocatis diis in oppugnandis vrbibus Romam ſunt collata, aut quæ ob quasdam religiones per pacem ſunt petita: vt ex Phrygia Matris magnæ, ex Græcia Cereris, Epidauro Aesculapii, quia coluntur eorum more, a quibus ſunt accepta. Peregrina hæc erant ſacra, quæ licet peregrino more colebantur, apud Romanos tamen erant recepta. Per peregrinos autem deos hic intelligimus eos, qui publice quidem a Romanis non recepti, a priuatis tamen quibusdam fuere culti; quorum memoria cum in nummis atque inſcriptionibus Romanis non infrequens occurrat, de iisdem quoque hic agere neceſſe erit. Per priuatos vti diximus, quosdam, horum cultus

(r) *III de N. D. c. XVIII.* (ſ) *II de LI c. XIV.* (t) *lib. III. p. m. 115.*

tus primum Romam irrepſit, qui fana hiſce priuata auctoritate extruxerunt, quæ tamen Senatus demoliri iuſſit, narrante Dione (u): reſtituta autem per aruſpices, ſed iterum deiecta (x); tandem ſub Auguſto denuo decreta (y).

ISIS. OSIRIS

Ab Aegyptiis ad Romanos priuatim ductus erat cultus Iſidis atque Oſiridis, Serapidis quoque dicti, quos in matris vtero corpora iamdum miſcuiſſe fingebant (z).
Tab. V n. 19. Pingebatur autem Iſis capite turrito vel cornuto, ſiſtrum dextra tenens, ſæpe & continuatis vberibus, vti & eius imaginem & habitum late deſcribit Apuleius (a). Singularem effigiem in pompa feſtiua præferri ſolitam idem exhibet: *Vrnula*, ait, *faberrime cauata fundoque rotundo miris extrinſecus ſimulacris Aegyptiorum effigiata. Eius orificium non altiuſcule leuatum: in canalem porrectum longo riuulo prominebat. Ex alia parte vero multum recedens ſpatioſa dilatione adherebat anſa: quam contorto nodulo ſuperſedebat aſpis ſquamea ceruicis ſtricto tumore ſublimis.* Hæc numinis veneranda effigies, vti eam adpellat, quæ in pompa ſacrorum poſt ciſtam ſecretorum capacem præferebatur. Qualem figuram deſcriptioni Apuleianæ adprime conuenientem exhibet inter deorum ſimulacra Cauſſeus (b).
Tab. V n. 10. Huius numen vnicum addit Apuleius, (c) multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multiiugo totus veneratur orbis. Macrobius de ea (d) inquit: *Iſis cuncta religione*

(u) *lib. XL p. m. 142.* (x) *lib. XLII. p. m. 196.* (y) *lib. XLVII p. m. 336.* (z) Plutarchus *de Iſide & Oſiride p. m. 356.* (a) *lib. XI ineunte Metam.* (b) *de deorum ſimulacris tab. 32. 33, 34, 35.* (c) *XI Metam. f. 188.* (d) *Satur. I c. XX.*

ne celebratur, quæ eſt vel terra vel natura rerum ſubiacens ſoli. Hinc eſt quod continuatis vberibus corpus deæ omne denſetur: quia vel terræ vel rerum naturæ alia nutritur vniuerſitas. Frugum habebatur, legumque inuentrix, immo vniuerſæ naturæ dea: vti adparet ex inſcriptione apud Diodorum Siculum (e). Quare & Iſis *fructifera* dicitur (f) & *exorata* alias, atque ob diuerſitatem nominum quæ eidem imponebantur, *myrionima*. Poëtis ſæpius *linigera*, idque ex eo, quod ſacra Iſidis in linea religioſaque veſte celebrarentur. Fratrem autem æque & maritum ſenem cum calatho in capite, fruges oſtendiſſe, leges tuliſſe, atque deorum cultum præcepiſſe dicebant. Medicinæ quoque præficiebant vtroſque, vt eſt in lapide priſco (g)

ISIDI. ET. SERAP
SACRVM
EX. VOTO
PRO FILIOLI. SALVTE
SVSCEPTA
SAVRANA. FECIT

Quare in alia inſcriptione DEVS MAGNVS SERAPIS dicitur, & alia (h):

I. S. I. P. D. M.
ISIDI SALVTARI
PRO. SALVTE. Q. VERGILII
MODESTI. CASSIA. MATER
V. S. D

In qua priores litteras Sponius explicat Ioui Sereno, Iu-

A a noni

(e) *lib. I p. m. 23.* (f) Gruterus *p. LXXXIII n. 9. 10. 11. 12. 13.* (g) Thomaſinus *de donariis cap. XXXIV p. m. 220.* (h) Spon *ſect. III n. 12.*

noni placidæ, Diis Magnis. Apollini iuncta eſt in monumento priſco apud Sponium (i), & dicitur *Clatra*. Cuius Clatræ etiam templum in colle Quirinali adgnoſcit P. Victor. Vox incognita quidem eſt, non tamen plane ignota. Clatrum enim priſcis dicebantur ligna vel ferramenta transuerſa, quibus muniuntur feneſtræ, vt eſt apud Horatium (k)

obiectos caueæ valuit ſi frangere clatros

& Columella (l) *feris transuerſis clatrare* dixit. Plautus (m) *feneſtram clatratam*. Quare a ſiſtro dicitur clatra, quod talibus conſtat ferramentis transuerſim poſitis, ita vt clatri figuram faceret. Sacra eius myſtica erant, vti infra ſub ſacerdotibus dicetur pluribus.

ANVBIS

Tab. V n. 21. Proles habebatur Oſiridis & Nephthyas, capite pingebatur canino, quare & Cynocephalus dictus Minutio Felici (n). Hinc Lucanus (o) eum adpellat *ſemideum canem*; Prudentius (p) *caniformem latrantemque Anubim*, Sedulius (q) *ſemihominem canem*, Virgilio (r) dicitur *latrator Anubis*

APIS. HARPOCRATES. CANOPVS

Tab. V n. 22. n. 23. n. 24. Bos vittatus flore inter cornua inſignitus *Apim* notabat. *Harpocrates* ſilentii deus, ex digito ori impoſito cognoſcebatur. *Canopus* hydriæ inſtar, ventre tumido, facie humana, cum flore in capite, in nummo Ottonis viſitur. Ruffinus enim (ſ) Canopi ſimulacrum hoc modo deſcribit, quod fuerit pedibus exiguis, attracto collo

(i) *ſect. III n. 33.* (k) *de arte poëtica v. 473.* (l) *IX de R. R. c. I.* (m) *mil. glor. actu II, ſc. IV v. 26.* (n) *Octauio c. XXII.* (o) *lib. VIII v. 832.* (p) *Apotheoſi v. 195.* (q) *in opere paſchali.* (r) *Aen. VIII v. 698.* (ſ) *hiſt. eccl. lib. XI c. XXVI.*

collo & quaſi ſigillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti. Hæc Romanorum numina ſatis quæ eorundem religio fuerit, arguunt. Quare deuota mente diuinam illam gratiam venerari nobis competet, quæ nos a tam cœca gentium ſuperſtitione liberos, Chriſtianorum ſacris imbui voluit. Mentem ergo animumque CHRISTO deo totum tradamus, nec nos ad idolorum, quæ mundus amat, cultum abduci patiamur.

* * * * * * * * * * *

CAPVT SECVNDVM

De

SACRORVM IVRE ET CAEREMONIIS.

IVs Sacrorum dicebatur olim *Ius Pontificium*, (t), & *ius Pontificale* (u), *ius religionis & ius cæremoniarum* (x). Quod ab Hetruſcis accepere Romani, cuius leges præcipuas Cicero refert (y). Ordinatum hoc a Numa, qui iuris pontificii erat peritiſſimus, qui & ſacerdotia inſtituit, ſacrorum ritus docuit, & omnia, quæ ad religionem ac cæremonias pertinent, octo libris iuxta totidem ſacrorum claſſes complexus eſt (z). Hæc autem prout in commentariis ſuis conſignauerat Numa,

 An-

(t) Macrobius *Saturn. III c. II.* Liuius *XXX c. I.* Cicero *pro domo c. XIV.* (u) Cicero *de LI. II c. XXII* (x) Cicero *pro domo c. XII.* (y) *II de LI c. VIII.* (z) Halic. *lib. II p. m. 124.*

Ancus Martius per Pontificem Maximum in album referri, & in publico proponere iuſſit (a). Qui exinde dicti *libri pontificales* (b), & Gellio (c) *libri ſacerdotum*; Tacito (d) *libri caeremoniarum.* Pontificatu enim ſtatas ſolennesque caeremonias contineri putabant (e). Et quidem cum nondum apud Romanos in vſu eſſent columnae aereae, quernis tabulis hos ſacrorum ritus fuiſſe inciſos teſtatur Halicarnaſſenſis (f): quae vero tandem vetuſtate abolitae, exactis vero regibus rurſus in vſum vocatae per ſummum pontificem C. Papirium. Longiſſimo tempore poſt, ſeptem latini totidemque graeci libri de Iure Pontificio ab eodem conſcripti, prope eius cadauer in arca lapidea reperti fuere, vti teſtatur Liuius (g). Qui tamen libri, cum pleraque diſſoluendarum eſſe religionum animaduerteretur, iuſſu ſenatus publice in comitio concremati ſunt (h). Agebat autem Ius Pontificium de religione, de rebus diuinis, caeremoniis & ſacris, de quibus ſolos pontifices & conſuli & ſcire voluerunt (i). Quae enim ad ſacra pertinebant, a pontificibus maxime, vt religione obſtrictos haberent multitudinis animos, ſuppreſſa (k). Fuere autem inter veteres, qui in ipſum hoc ius pontificium commentationes ſuſcepere. M. VARRO quidem, de quo iam ſupra, in antiquitatum diuinarum libris ſine dubio & Pontificalia pertractauit, cum inter ſe ſint commixta. De L. CAE-

SARE

(a) Liuius *I c. XXXII.* (b) Seneca *ep. CVIII.* Horatius *II ep. II v. 26.* (c) *XIII c. XXI.* (d) *Ann. III c. LVIII.* (e) Cicero *de aruſp. reſp. c. IX.* (f) *lib. III p. m. 178.* (g) Liuius *XL c. XXIX.* (h) Lactantius *I c. XXII.* (i) Cicero *pro domo c, XII.* (k) Liuius *VI c, I.*

SARE teſtatur Aurelius Victor (l), quod *Pontificalium libros* conſcripſerit. *Iulii* vero *Cæſaris* decimum ſextum *auſpiciorum librum* citat Macrobius (m), qui & FABIVM MAXIMVM SERVILIANVM Pontificem in libro duodecimo adlegat. TREBATII de religionibus libros ab eodem adlegatos videmus (n). Sic & circa res ſacras occupati fuere LABEO ANTISTIVS & ATTEIVS CAPITO (o). FENESTELLAM in pontificales libros commentarios compoſuiſſe teſtatur Seneca (p). FABII PICTORIS de iure pontificio libros citat Macrobius (q). RVTILII GEMINI libros pontificales idem adlegat (r) atque Fulgentius (ſ). CLOATII libros ſacrorum Feſtus (t) citat. Inter recentiores FRANCISCVS HOTTOMANNVS ſub nomine FRANCISCI VILLIBRII, elegantem conſcripſit tractatum, eumque rariſſimum *de religione Romanorum ex inſtituto Numæ*, *Geneuæ* 1553. 8 & *Argentinæ* cum Cardinalis Poli de eccleſia libro, ſecundum Geſnerum: in quo primas Romanæ religionis lineas pertractat. Egregii vero ſunt IACOBI GVTHERII *de Veteri Iure Pontificio libri IV*, *Pariſiis* 1612. 4 & nunc partem conſtituentes Tomi quinti Theſauri Græuiani. Quibus quæ ad pontificum curam, officium & dignitatem, templorum conſtitutiones & differentias, ſacrorum atque ſacrificiorum ritus, & cæremonias faciunt, erudite enodat; licet non plane ſine næuis eiusdem eſſe laborem ipſe Græuius in præfixa præfatione oſtenderit.

 Virum

(l) *de or. gent. Rom. p. m.* 480. (m) *Saturn. I c. XVI.* (o) *Saturn. II c. V & VII.* (o) Gellius *I c. XII & IV c. VI.* Feſtus *voce ſiſtere fana, & proſimurium.* (p) *ep. CVIII.* (q) *III Saturn. c. II.* (r) *Saturn. I c. XVI.* (ſ) *voce arvales fratres.* (t) *voce molucrum.*

Virum enim ait, diffuſæ lectionis, ſed qui nonnunquam non ſatis, quæ legerat, concoxerat, nec ſatis, antequam quæ excerpſerat & obſeruaret, chartis mandaret, expenderat. Suppoſititia ſunt, quæ CVRTIVS INGHIRAMIVS edidit *Hetruſcarum antiquitatum fragmenta, Florentiæ 1647. 4* quæ Scornelli prope Volaterras reperta, reliquias eſſe voluit a Syllano tempore antiqui iuris pontificii, a PROSPERO collecti. Sed acerrimum nactus eſt cenſorem, LEONEM ALLATIVM, qui *in eadem fragmenta animaduerſiones* dedit *Pariſiis 1640 & Romæ 1642. 4*, quibus Inghiramii fraudes detexit, luculenter probans, ea nec orthographia, nec characteribus, nec ſtylo antiquitatem ſapere, ritusque & vrbes in iis memoratas longe eſſe nouiores. Nec tamen ipſius Inghiramii fœtum eſſe, vult Voſſius (u), ſed eiusdem verum auctorem facit THOMAM FOEDRVM, qui vixerit anno CIↃ CCCCXC, aliis GVILIELMVM POSTELLVM auctorem creditum fuiſſe addens, licet Allatius Inghiramium pro vero auctore conſtanter habeat. Reſpondet quidem Inghiramius, in epiſtola Italica, quam tamen Allatius ſub nomine *Bennonis Durckbundurkhi Slaui*, alio tractatu *Coloniæ 1642. 12* edito, ridet. HENRICVS ERNSTIVS dein *in Inghiramium obſeruationes* publicauit *Amſtelodami 1693. 12*, quarum tamen auctorem *PAGANINVM GAVDENTIVM* facit Io. Rhodius. (x)

Religiones, ſacra & ſolennia coniungit (y) Cicero, quæ in communi ſacrorum iure apud Romanos obueniebant. Sacra quidem dicebantur ipſa ſolennia, quæ diis fiebant, feſta & ſacrificia, quæ deorum cultui deſtinata. Sacro-

(u) *de hiſt. lat. lib. I c. IX.* (x) *de ſcriptis ſuppoſit. p. m. 29.* (y) *de aruſp. reſp. c. V.*

Digitized by Google

Sacrorum ritus communi vocabulo olim dicebant cæremonias; diuinitatis autem cultum, religionem. Hanc definit Cicero (z) quod ſit, quæ ſuperioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam cæremoniamque adferat. Ita & in cultu deorum tam ſolliciti erant Romani, vt rite & inirentur & curarentur ſacra. (a) Nihil enim magis arguere deos putabant, quam neglectas cæremonias, intermiſſumue ſolenne. (b) Maxime vt patrio ſeu apud Romanos recepto more, ſuo quæque ritu ſacra fierent, curabant, cum hoc non obſeruato, ſi externi ritus fuerint introducti, nihil æque diſſoluendæ religionis eſſe putarent. (c) Quare in veteri Iure Pontificio ſcriptum: *ſeparatim nemo habesſit deos, neue nouos: ſed ne aduenas, niſi publice adſcitos, priuatim colunto.* (d) De Sacris autem & ſacrorum cæremoniis edicebat collegium Pontificum, cum Numa ſtatim ac crearet pontificem, eidem ſacra omnia exſcripta adſignataque traderet. (e) Et quidem vbi de interpretanda religione quidpiam obueniret, ad pontificum collegium ea referebat Senatus, in aliis rebus ſua auctoritate ordinabat omnia. De priori infra dicetur ſub pontificibus. De altero varia extant exempla. Ita portentorum procuratio reiecta fuit ad conſules (f) Iſidis atque Serapidis fana, quæ priuati extruxerant, demoliri iuſſit ſenatus. (g) Nouendiale ſacrum prætor Vrbanus ex Sc̄to edixit & piacularia ſacra ex Sc̄to facta. (h) Supplicationes

(z) *II de inuentione c. LIII.* (a) Varro *lib. VI p. m. 56.* (b) Liuius *V c. XVII.* (c) Liuius *XXXIX c. XVI.* (d) Cicero *II de LI c. VIII.* (e) Liuius *I c. XX.* (f) Gellius *IV c. VI.* (g) Dio Caſſius *lib. XL p. m. 142.* (h) Liuius *XLII c. III.*

Digitized by Google

nes decreuit ſenatus (i) atque dies Circenſibus addidit: (k) feſtos imperauit. (l) Maioribus, minoribusue magiſtratibus negotium dedit, vt curam haberent, ne qui alii quam Romani dii, neue alio more colerentur. (m) Huius enim rei potiſſimum curam habebat Senatus. Quare circa Bacchanalia in vrbem Romam priuatim introducta, patrum curam videmus. (n) De ſacris Aegyptiacis Iudaicisque quæ irrepſerant, factum patrum conſultum. (o) Ita vt in iis rebus maxime quæ ad ſeruandam religionem, inſtituta maiorum, & pontificum decreta facerent, curam ſuam interponerent atque auctoritatem. Tria autem in deorum cultu maxime conſideranda veniunt; quæ vel ante eum, vel in eodem, vel poſt hunc fieri conſueta. Antequam ad ſalutandos colendosue deos ingrediebantur, puritas requirebatur & ſanctimonia, & quidem vti dicebant, *puræ manus;* cum omnis præfatio ſacrorum eos, quibus non ſunt puræ manus ſacris arceat, vti inquit Liuius. (p) Quare & Alcumena apud Plautum (q) immortales manibus puris vt ſibi auxilium ferrent, inuocaſſe dicitur. Rem ita diuinam facturi abluebant manus pedesque; inde Plautus, (r)

nunc lauabo vt rem diuinam faciam,

& Ouidius (ſ)

bis

(i) Liuius *XXXI c. VIII.* (k) Cicero *Philippica II c. XLIII.* (l) Tacitus *Ann. II c. XXXII.* (m) Liuius *IV c. XXX & XXXIX c. XIV.* (n) Liuius *XXXIX c. XVIII.* (o) Tacitus *Ann. II c. LXXXV.* (p) *XLV c. V.* (q) *Amphitr. actu V ſc. I v. 41.* (r) *Aulul. actu III ſc. I.* (ſ) *IV Faſt. v. 775.*

his dea placanda eſt, hac tu conuerſus ad ortus
dic quater, & viuo perlue rore manus.

& Dionyſius Halicarnaſſenſis (t) cum ſacrorum pompam deſcribit, *χερνιψάμενοι* ait, *αὐτοὶ καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ περιαγνίσαντες ὕδατι lotis manibus ipſi & ſacris aqua pura expiatis.* Quare & Marius apud Plutarchum (u): *νιψάμενος τὰς χεῖρας καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχὼν ηὔξατο τοῖς θεοῖς poſtquam lauerat manus, eas ad cœlum attollens vota diis facit.* Malluuium latum autem in commentariis ſacrorum dicebatur, manus qui lauet: a quo malluuiæ dicuntur, quibus manus ſunt lautæ, perinde vt quibus pedes, pelluuiæ (x). Non autem ſolum manus pedesque, ſed integrum ſæpe corpus abluebatur. *Conſtat enim* inquit Macrobius (y), *diis ſuperis ſacra facturum corporis ablutione purgari. Cum vero inferis litandum eſt, ſatis actum videtur, ſi adſperſio ſola contingat.* De priori Virgilius canit (z):

donec me flumine viuo
abluero

& alio loco (a):

Annam cara mihi nutrix huc ſiſte ſororem
dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.

Caput tamen maxime abluebatur, de quo Iuuenalis (b)

ter matutino Tiberi mergetur, & ipſis
vorticibus timidum caput abluet.

& Perſius (c):

Tiberino in gurgite mergis
mane caput, bis terque.

B b atque

(t) *lib. VIII p. m. 478.* (u) *in vita p. m. 420.* (x) Feſtus *hac voce.* (y) *Saturn. III c. I.* (z) *II Aen. v. 719.* (a) *Aen. IV v. 634.* (b) *ſat. VI v. 524.* (c) *ſat. II v. 15.*

Digitized by Google

atque Apuleius ([illegible]), antequam adprecaretur matrem Deûm ait : *m[illegible] protinus purificandi ſtudio marino lauacro trado ſepties ſubmerſo fluctibus capite.* Inferis vero diis ſacra facientes adſpergebantur ramo laurus vel oliuæ. Ita Virgilius (e) Chorineum cum ſociis Miſeno iuſta ſoluentem funebria inducit, & addit :

idem ter ſocios pura circumtulit vnda,
ſpargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Poſtea vſi in ſacris adſpergillis, quibus & homines & vaſa aqua pura adſpergebant : & quidem locus iſte in quo circa templa ad vſum ſacrum incluſa erat aqua, dicebatur fauiſſa (f). Requirebatur autem aqua viua, vti Ouidius (g) dixit, *viuo rore.* Ita antiſtes Romanus apud Liuium (h), Sabinum, qui Dianæ bouem immolaturus erat, ita adloquitur : *quidnam tu hoſpes paras, inceſte ſacrificium Dianæ facere : quin tu ante viuo perfunderis flumine : infima valle præfluit Tiberis.* Ex quo etiam loco diſcimus, quid intelligatur per aquam viuam, fluens ſcilicet & fluuialis. Idque adpellabant pure lauare ; de quo Tibullus (i) :

quidue pie, dum ſacra colis, pureque lauari
te memini, & puro ſeccubuiſſe toro.

& *pure lautum* (k), quod explicat Feſtus, per aqua pura lauatum.

Sed & qui manus cæde atque ſanguine pollutas habebant, prius expiare easdem neceſſe erat. Ita Seneca Hercule Furente (l) canit :

nate

(d) *libro XI ineunte.* (e) *Aen. VI v. 229.* (f) Feſtus *hac voce.* (g) *IV Faſt. v. 776.* (h) Liuius *I c. XLV.* (i) *lib. I el. III v. 25.* (k) Liuius *XXXIX c. IX.* (l) *v. 918.*

nate manantes prius
manus cruenta cæde & hoſtili expia.

Quare & Ouidius (m) ſuos ridet, tanquam nimis faciles

qui triſtia crimina cædis
fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Arcebantur ergo a ſacris omnes profani, qui vel criminis, vel flagitii cuiusdam conſcii erant, atque iſti ad ſacra non admittebantur πρὶν ἀφοσιώσασθαι τὸ μίασμα *antequam expiatum eſſet crimen*, vti loquitur Halicarnaſſenſis (n). Hinc Virgilius (o) exclamat :

procul, o procul eſte profani
Conclamat vates : totoque abſiſtite luco.

Ita Tantalus apud Senecam (p) omnes monet,

ne ſacra manus
violata cæde, neue furiali malo
adſpergat aras.

Quod ſi autem tale quidpiam commiſſum, luſtratione opus erat per aquam viuam. Prohibebantur etiam ſacris quibusdam, arcanis non initiati, ſi ſacra eſſent myſtica. Quidam etiam vel ob ætatis vel dignitatis ſequiorem conditionem vt ſacris initiarentur prohibebantur, atque tales voce præconis ſubmouebantur. (q) Immo etiam ſacra myſtica aperire nefas habebatur, quin potius æternis cruciatibus talem garrulitatem puniri putabant, cuius exemplum præbet Tantalus, de quo Ouidius (r) :

quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus : hoc illi garrula lingua dedit.

(m) *II Faſt. v. 45.* (n) *lib. IV p. m. 323.* (o) *VI Æn. v. 258.* (p) *Thyeſte v. 93.* (q) Suetonius *Nerone c. XXXIV.* (r) *II Am. el. II v. 43.*

Caſtitatem etiam nocte ante ſacra ſeruare tenebantur, vti canit Iuuenalis (ſ):

ille petit veniam, quoties non abſtinet vxor
concubitu, ſacris obſeruandisque diebus,
magnaque debetur violato pœna cadurco

& Tibullus (t):

vos quoque abeſſe procul iubeo, diſcedite ab aris
queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Et egregie Cicero (u) *caſte*, inquit, *iubet lex adire ad deos*, addens; caſto corpore & animo debere adiri, *illud quidem vel adſperſione aquæ, vel dierum numero tolli, animi labem nec diuturnitate vaneſcere, nec manibus vllis elui poſſe.* Venere tamen polluti aqua viua ſe purgabant, de quo Perſius (x):

Hæc ſancte vt poſcas, Tiberino in gurgite mergis
mane caput bis, terque & noctem flumine purgas.

Immo & poſt ſomnia impura vel infauſta loto corpore expiare ſeſe ſolebant, quod diſcimus ex Silio Italico, qui (y) ita canit:

quæ dum abigo menti, & ſub lucem, vt viſa ſecundent,
oro cœlicolas, ac viuo purgor in amne.

& Virgilius (z)

nox Aeneam ſomnusque reliquit.
Surgit, & ætherii ſpectans orientia ſolis
lumina, rite cauis vndam de flumine palmis
ſuſtulit.

Veſtes hinc induebant puras (a)

caſta

(ſ) *ſat. VI v. 524.* (t) *lib. II el. I v. 11.* (u) *II de LI c. X.* (x) *ſat. II v. 15.* (y) *VIII Punicor. v. 124.* (z) *Aen. VIII v. 67.* (a) Tibullus *II el. I v. 13.*

caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite
& manibus puris ſumite fontis aquam.

Pura autem veſtimenta quæ ſint, explicat Feſtus, ſcilicet non obſita, non fulgurita, non funeſta, non maculam habentia. Seruius (b) *eſt* inquit, *pura veſtis linea & purpurea. Purpura maris vicem ad piandum præbet, linum vero fluminis, quia cum vere primum in Oriente flumen inundaſſet, ſponte ſua linum natum eſſe, Plinius Secundus dicit. Ideo magiſtratus & ſacrificaturi togam prætextam habent & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant.* Pauperes quidem veſtes abluebant, ditiores vtebantur veſte feſtiua immaculata & alba. Huc facit Ouidius (c):

More patrum Græco velatæ veſtibus albis
tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.

& Silius Italicus (d)

ante aras ſtat veſte ſacerdos
effulgens niuea.

atque Ouidius (e)

ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris

Ideo dicebantur candidati, coronatique & thura libantes (f). Præterea requirebantur vaſa pura, vinum, far purum, hoſtiæ puræ, de quibus infra ſub ſacrificiis.

Loti dein atque expiati, corpus habitu modeſto componebant, de quo Seneca (g): *Sin intramus*, inquit, *templa compoſiti, ſi ad ſacrificia acceſſuri, vultum ſubmittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur.* Pænulas quoque deponebant, de quo Ter-

B b 3 tullia-

(b) *ad Virgilii XII Aen. v. 169.* (c) *III Am. el. XIII v. 27.* (d) *lib. III v. 695.* (e) *II Am. el. XIII.* (f) Suetonius *Aug. c. XCVIII.* (g) *VII nat. quaeſt. c. XXX.*

Digitized by Google

tullianus (h) *vt eſt*, inquit, *quorundam poſitis pænulis orationem facere : ſic enim adeunt ad idola nationes.*

DE CAEREMONIIS, QVI IN IPSO DEORVM CVLTV OBSERVABANTVR.

Generales iſtæ erant cæremoniæ, quibus ſe ad omnia ſacra præparabant quicunque ad ea acceſſuri. Aliæ in ipſo cultu, dum ad deos iam accederent, quocunque modo honorem iis habituri, erant ſolennes. Dum enim magiſtratus vel ſacerdos rem diuinam faceret, ſacrorum miniſter publice exclamabat, HOC AGE. Cuius moris origo petenda eſt a Numa, qui Pythagoricorum more, vt ſacra abſque omni ſtrepitu deuote fierent, cenſuit, vti latius deſcribit Plutarchus (i), eiusque rei veſtigium remanſiſſe addit, quod dum pontifex maximus auſpicaretur vel immolaret, miniſtri exclamarent, HOC AGE. Quo ipſo vt attenti ad rem corpore & animo præſentes rem ſacram tractarent, innuebatur.

Antiquiſſimum etiam erat, dum rebus diuinis, quæ publice fierent, vt *fauerent linguis* imperabatur, vti ait Cicero, (k) quod non, vti plerique exiſtimant, a fauore trahi, ſed imperari ſilentium teſtatur Seneca. (l) Quæ formula apud poetas frequens. (m)

Variæ autem voces in deorum cultu apud Romanos erant receptæ. Diis enim *litare* idem erat ac eosdem placare: *propitiare*, *libare*, *thura dare*, *adolere* in ſacrificiis locum habebat: *honores* vero *diis habere* dicebatur, dum vel victima, vel feſtis diebus alioque honore colebantur: *adorare* de precibus dicebatur: *implorare* pro præſtan-

(h) *de oratione c. XII.* (i) *in Numa p. m. 69.* (k) *I de diuin. c. XLV.* (l) *de vita beata c. XXVI f.* (m) Briſſonius *de formulis p. m. 8.*

ſtando auxilio. Boni ominis erant verba ſalutare deos, iisque grates agere. *Salutare* quidem religionis erat, & vel de cultu quotidiano, tum in templa euntes horis præſertim matutinis ſalutatum deos venire dicebantur; vel de cultu feſtiuo intelligebatur. Hinc Scipio apud Liuium (n) ait: *in Capitolium ad Iouem Optimum Maximum, Iunonemque & Mineruam, ceterosque deos, qui Capitolio atque arci præſident, ſalutandos ibo.* *Grates* vero *agere* pro præſtito dicebatur auxilio, quibus ſæpe etiam addebant ſacrificia. Huc facit Liuius, (o) vbi poſt ſedatum bellum Punicum ſecundum prætorem edixiſſe refert, vt æditui ædes ſacras omnes tota vrbe aperirent, circumeundi ſalutandique deos, agendique grates per totum diem populo poteſtas fieret.

Stantes quidem deos ſalutabant, quod innuit Martialis: (p)

multis dum precibus Iouem ſalutat,
ſtans ſummus reſupinus vsque in vngues.

Dein capite operto, quod *capite velato* olim dicebatur, quaſi velo obducto. Hinc Plutarchus: (q) τοὺς θεοὺς προσκυνοῦντας ἐπικαλύπτονται τὴν κεφαλήν. Quare & in monumentis ſacrorum, Veſtales, ſacrorum miniſtri, aliique ſacrificantes capite velato vel veſte ad aures adducta adparent. Cuius moris originem ad Aeneam refert Virgilius. (r) Saturnum tamen & Honorem aperto capite venerabantur; cuius rei rationes quasdam adfert Plutarchus. (ſ) Idem & Herculi fiebat, vti teſtatur Macrobius, (t) addens rationem, ne quis in æde dei habitum

(n) *XXXVIII c. L.* (o) *XXX c. XVII.* (p) *XII ep. LXXVIII.* (q) *quæſt. Rom. X.* (r) *III Aen. v. 405.* (ſ) *quæſt. Rom. XI & XIII.* (t) *Saturn. III c. VI.*

bitum eius imitetur, cum ipſe operto ſit capite. Mulieres ſolutis & demiſſis crinibus, quod nudis paſſisque crinibus dicebant, in certis & extremis neceſſitatibus maxime publicis, diis ſupplicabant. Ita Virgilius (u) Phrygias mulieres crinibus paſſis templum Dianæ adiuiſſe ait, & Silius (x) Italicus:

funditus immiſſus gemitu, precibusque per altos
ad cœlum muros clangor, ſparſæque ſolutis
crinibus exululant matres, atque vbera nudant.

Inde corpus circumagebant quod a Numa inſtitutum, τὸ προσκυνεῖν περιστρεφομένους, (y) de quo ritu paſſim apud veteres. Dextrorſum autem fiebat hæc verſio, de quo Plinius (z) *in adorando*, ait, *ad dextram oſculum referimus, totumque corpus circumagimus.* Proinde Palinurus ad verba Phœdromi, *quo me vertam neſcio*; feſtiue reſpondet, *ſi deos ſalutas, dextrouerſum cenſeo.* (a) Sic & Suetonius (b) de Lucio, qui Cæſarem adorare inſtituerat, ait, *non aliter adire auſus eſt, quam capite velato, circumuertensque ſe deinde.* Pluribus de hoc ritu agit Aloyſius Nouarinus, electorum libro ſecundo, quem inſcripſit circuitum ſacrum.

Et cum antiquiſſimus ſit Solis cultus, atque in omni idololatria ſine dubio primus, in omni dein Theologia gentili verſio ad ſolem Orientem orta, de qua Virgilius: (c)

ſurgit

(u) *Aen. I v. 469.* (x) *lib. XII v. 594.* (y) Plutarchus *in Numa p. m. 69.* (z) *XXVIII c. II.* (a) Plautus *Curculione actu I ſc. I v. 69.* (b) *Vitellio c. II.* (c) *Aen. VIII v. 68.*

ſurgit & atherii ſpectans orientia ſolis
lumina, rite cauis vndam de flumine palmis
ſuſtulit, ac tales effudit ad athera voces

& alio loco: (d)

illi adſurgentem conuerſi lumina ſolem,
dant fruges manibus ſalſas,

Diſerte Latinus Pacatus in panegyrico Theodoſio dicto (e) *non vt diuinis*, inquit, *rebus operantes, in eam cœli plagam ora conuertimus, a qua lucis exordium eſt.*

Receptum quoque apud veteres erat, vt deorum ſimulacra oſcularentur; rarius quidem os atque mentum, quod Herculis ſimulacro factum teſtatur Cicero (f); frequentius pedes, genua, quibus religionem quandam ineſſe putabant, (g) & manus, has quidem dextras, de quo Lucretius (h):

tum portas propter abena
ſigna, manus dextras oſtendunt attenuari
ſape ſalutandum tactu praterque meantum.

& Lucianus (i) ὁ δὲ πένης, ἱλάσατο τὸν θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξιάν *pauper quidem deum, eius tantum dextram exoſculatus, ſibi reddit propitium.* De pedibus teſtatur Apuleius (k), dum inquit: *exoſculatis veſtigiis dea, qua gradibus harebat argento formata, ad ſuos diſcedunt lares.* Quidam autem, cum profano ore ipſos deos attingere vererentur, vel dum ob ſimulacra deorum in baſi conſtituta, illud non liceret, capita ſubmittebant & dextram ori admouentes labiis premebant & oſculabantur,

Cc

(d) *Aen. XII v. 172.* (e) *c. III.* (f) *IV in Verrem c. XCIV.* Plinius *XI c. XLV.* (g) Plinius *c. l.* (h) *lib. I v. 317.* (i) περὶ θυσιῶν *p. m. 357. ed. Bened.* (k) *lib. XI Metam. p. m. 269.*

tur, de quo Plinius (l), *in adorando*, inquit, *ad dextram oſculum referimus*: & clarius Minutius Felix (m): *Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato* [*vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admouens, oſculum labiis impreſſit*. Hieronymus (n): *qui adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere*. Apuleius (o); *admouentes oribus ſuis dexteram, primore digito in erectum pollicem reſidente, vt ipſam prorſus deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur.* Quod manu venerari deos dicebant, indeque vox adorare orta fuiſſe videtur (p). Dicebatur etiam hoc *oſcula iacere* (q) & *iactare baſia* (r). Vocabaturque oſculum labratum, quod gloſſæ veteres interpretantur φίλημα βασιλικὸν & ἀσπαστικὸν βασιλέως. Idque etiam moris erat, cum fanum quodpiam præterirent, vti de Aemiliano teſtatur Apuleius (ſ): *nulli deo ad hoc æui ſupplicauit: nullum templum frequentauit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere.* Sæpe quoque tacitas preces, cum anteirent aram, concipiebant, hoc effato vtentes, *faueas mihi.* Ouidius (t):

ipſe ducem dederat, cum quo dum paſcua luſtro,
ecce lacu medio ſacrorum nigra fauilla
ara vetus ſtabat tremulis circumdata cannis.
Reſtitit, & paruo, faueas mihi, murmure dixit.
dux meus: & ſimili, faueas mihi, murmure dixi.

Procumbebant etiam in adorationibus, more apud omnes

(l) *l. c.* (m) *Octauio c. II.* (n) *I adu. Ruffinum cap. V.* (o) *lib. IV Metam. p. m. 155 ed. Elmenh.* (p) Lipſius *elect. II c. VI.* Pithœus *aduerſ. ſubceſ. lib. I c. VII.* (q) Tacitus *hiſt. I c. XXXVI.* (r) Iuuenalis *ſat. IV v. 118.* (ſ) *apol. priore p. m. 310.* (t) *VI Metam. v. 325.*

omnes gentes ſemper in diuinis recepto, vel in ge ıua, vel vnico tantum genu, altero flexo, & planta in terra poſita. Immo & in extremis neceſſitatibus vel aliis, vt pœnas darent violatorum ſacrorum, iniunctum fuiſſe videtur, vt genubus tellurem perreperent, caput poſti illiderent, terram & limina ſolumque templorum oſcularentur; de quo Tibullus (u):

non egò tellurem genibus perrepere ſupplex
& miſerum ſancto tundere poſte caput:
non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis
& dare ſacrata oſcula liminibus.

Ouidius (x):

vt templi tetigere gradus, procumbit vterque
pronus humi, gelidoque pauens dedit oſcula ſaxo.

Viri ſæpe barbis, mulieres crinibus humum verrebant, de quo Liuius (y): *ſtrata paſſim matres crinibus templa verrentes, vt ſcilicet irarum cœleſtium finem expoſcerent.* Atque alio loco (z): *Vndique matronæ in publicum effuſæ circa deûm delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras verrentes, nixæ genibus, ſupinas manus ad cœlum ac deos tendentes.* Arnobius (a): *cum per omnia ſupplices orent templa, cum deorum ante aras proſtrati, limina ipſa conuerrent oſculis.* Ita Lucanus de matronis (b):

hæ lacrymis ſparſere deos: hæ pectora dura
afflixere ſolo: laceraſque in limine ſacro
attonitæ fudere comas.

& Claudianus (c):

C c 2 numi-

(u) *lib. I el. V 41.* Lucanus *II v. 28.* (x) *I Metam. v. 375.* (y) *III c. VII.* (z) *XXVI c. IX.* (a) *lib. I p. m. 29.* (b) *II v. 30.* (c) *de laudibus Serenæ v. 224.*

numinibus votiue vacas, & ſupplice crine
verris humum.

Polybius Hannibalem ad portas deſcribens (d), ait: αἱ γυναῖκες περιπορευόμεναι τοὺς ναοὺς, ἱκέτευον τοὺς θεοὺς, πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη. τοῦτο γὰρ αὐταῖς ἔθος ἐστὶ ποιεῖν, ὅταν τις ὁλοσχερὴς τὴν πατρίδα καταλαμβάνῃ κίνδυνος. *mulieres vero circa deum delubra diſcurrunt, ſupplicia diis faciunt, ædium ſacrarum pauimenta crinibus paſſis mundant. Is namque illis mos eſt, quoties in aliquo inſigniore & grauiore periculo patria verſatur.* Ad aras autem aduoluebantur ſupplices, vt Seneca canit (e):

affuſus aris, ſupplices tendo manus
matura poſcens fata.

& Propertius (f):

nunc o Bacche tuis humiles aduoluimur aris.

DE CAEREMONIIS POST CVLTVM.

Finitis precibus & deorum cultu, conſidere conſueuerant Romani, idque ex inſtituto Numæ, inter cuius præcepta Plutarchus (g) quoque refert, τὸ καθῆσθαι προσκυνήσαντας; cauſſamque reddit hanc, quaſi actionibus explicatis prioribus, conſideant coram diis, vt auſpicentur ab iisdem alias. Quod & in Chriſtianis carpit Tertullianus (h) *item*, ait, *quod adſignata oratione adſidendi mos eſt quibusdam, non perſpicio rationem.* Inter preces autem, vt quidam putant, nunquam ſedebant, ſed poſt easdem, & finito demum cultu. Singulare tamen quid erat in ſacris matris magnæ deûm, cui ſedentes vota concipiebant, vti ait Macrobius (i).

Quod

(d) *lib. IX p. m. 758.* (e) *Oedipo v. 71.* (f) *III el. XV.* (g) *in Numa p. m. 69.* (h) *de oratione dominica c. XII.* (i) *Saturn. I c. X.*

Quod ſi in cæremoniis hiſce quidpiam neglectum, prætermiſſum dicebatur; ſi quid vero perperam factum, commiſſum: vti infra capite quarto, vbi de expiatione ſermo erit, dicetur pluribus.

* * * * * * * * * *

CAPVT TERTIVM

De

PRECIBVS ROMANORVM

AD cultum diuinum rite, vti diximus, præparati, adque ſolem Orientem verſi preces inibant. Aras autem tangebant & amplectebantur, cum ſacras res tangere iamdum pars religionis eſſet. Litare enim ſola non poterat oratio, niſi & is, qui deos precatur, etiam aram manibus adprehendat; inquit Macrobius. (k) Habebant autem aræ anſulas quas tenebant, hinc Virgilius: (l)

talibus orantem dictis araſque tenentem
audit omnipotens.

vbi Seruius *neceſſe erat*, ait, *anſas a ſacrificantibus teneri, quod niſi facerent, grata diis ſacrificatio non eſſet.* Ita & Plautus: (m)

Venus alma, ambo te obſecramus,
aram amplexantes hanc tuam

& Horatius: (n)

Immunis aram ſi tetigit manus,
nam ſumptuoſa blandior hoſtia

C c 3 *molli-*

(k) *Saturn. III c. II.* (l) *IV Aen. v. 219.* (m) *Rudente: actu III ſc. III.* (n) *III ode XXIII.*

Digitized by Google

mollibit auerſos penates
farre pio, & ſaliente mica.

Pellici tamen ex Numæ lege prohibitum erat, *aram Iunonis ne tangat, & ſi tangat, Iunoni crinibus demiſſis agnum fœminam cædat*, adlegante Feſto. Menſas quoque tangere dicuntur, vti Ouidius canit: (o)

tange manu menſam, tangunt quo more precantes.

quod de menſis domuum quotidianis plerumque intelligunt, ad aras tamen potius referendum, quas etiam menſas adpellabant. Deinde & deorum ſigna tangere conſueuerant & quidem ſimulacrorum genua, atque pedum plantas tangebant; de quo Arnobius. (p) *Ita enim non videtis hæc ſigna, quorum plantas contingitis & contrectatis orantes?* & Prudentius: (q)

perfidus ille Deo, quamuis non perfidus vrbi,
Auguſtum caput ante pedes curuare Mineruæ
fictilis, & ſoleas Iunonis lambere, plantis
Herculis aduolui, genua incuruare Dianæ.

Habitus autem orantium ſic eſt, *vt manibus extenſis in cœlum precemur*, inquit Apuleius. (r) Sic Camillus apud Liuium (ſ) precatus eſſe dicitur manus ad cœlum tollens. Horatius (t) cœlo ſupinas manus ferre dicit, quod alias manibus elatis precari dicebant: de quo frequens occurrit mentio apud poetas. (u) Hinc Seneca inquit: (x) *non ſunt ad cœlum eleuandæ manus; nec exorandus eſt adituus, vt nos ad aures ſimulacri, quaſi magis*

(o) *I Amor. el. IV.* (p) *lib. VI p. m. 202.* (q) *apotheoſi v. 522.* (r) *de mundo p. m. 73.* (ſ) *V c. XXI.* (t) *lib. III ode XXIII.* (u) Briſſonius *de formulis p. m. 39.* (x) *ep. XLI.*

magis exaudiri poſſimus, admittat. Prope eſt a te Deus, tecum eſt, intus eſt. Et quidem vultu recto (y)

hoc recto vultu, ſolum hoc & pallidus optas.

oculis ad ſidera latis: (z)

at pater Anchiſes oculos ad ſidera lætus
extulit, & cælo palmas cum voce tetendit.

palmis etiam paſſis ſiue patentibus: (a)

at pater Anchiſes paſſis de littore palmis
numina magna vocat.

Ad aras quoque manus extendebant, de quo Tertullianus: (b) *alius ad cœlum ſupplices manus tendit, alius ad aram fidei*, quam in Capitolio Ioui Optimo Maximo olim vicinam eſſe voluerunt. (c) Expanſis ergo manibus precabantur, non vt quidam volunt, in crucis formam contractis. Complicatas item in cœlum tollere conſueuiſſe ex eo Virgilii (d) probare volunt, dum canit:

duplices tendunt ad ſidera palmas.

Deos autem inferos contrario geſtu, manibus pronis, ſiue ad terram demiſſis adoraſſe patet ex loco Macrobii, (e) quo de diis euocandis agens, ita concludit: *cum tellurem dicit: manibus terram tangit, cum Iouem dicit: manus ad cœlum tollit: cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit.* Atque huc forſan facit Virgilius (f)

ſubmiſſi petimus terram.

In ipſis his precibus deos in genere vocabant patres, de quo Lactantius (g) *itaque* ait, *Iupiter a precantibus*

(y) Iuuenalis *ſat. X v. 188.* (z) Virgilius *Aen. II v. 688.* (a) Virgilius *Aen. III v. 263.* (b) *apologetico c. XXIV* (c) Cicero *III de Officiis c. XXX.* (d) *Aen. I v. 93.* (e) *III Saturn. c. IX.* (f) *III Aen. v. 93.* (g) *IV c. VIII.*

Digitized by Google

tibus pater vocatur & Saturnus & Liber & cæteri deinceps dii : deas autem vocabant matres. Sic & illos deos ſanctos, bonos, pulcros, magnos, dominos: Deas almas ſæpius dicebant, de quibus plura apud Briſſonium. (h)

Religio etiam Romanis erat maxima, deum deamue iuſto nomine ſuo compellare, dum votum ſe, niſi hoc obſeruato, obtinere non poſſe putarent. Hinc ſi de iuſto dei nomine dubitarent, edicere illud quieſcebant, ne alium pro alio nominando falſa religione populum adligarent, vti ait Gellius. (i) Et tunc dicebant ſæpe quisquis es, (k) vt Virgilius: (l)

ſequimur te ſancte deorum quisquis es:

vel dubitantes loquebantur, vt eſt apud Virgilium: (m)

an Phœbi ſoror, an nympharum ſanguinis vna

Quandoque officii tantum nomen exprimebant, vti Inſcriptio antiqua apud Reineſium (n) habet:

DEO. QVI. VIAS.
ET SEMITAS COM
MENTVS EST

Immo & tali formula vti conſueuerunt, SI DEVS SI DEA EST: (o) vel ſiue tu deus es, ſiue dea (p). Immo & de cognomine quoque ſolliciti erant: hinc varia adducebant deorum cognomina, addebantque tandem, ſeu quo alio nomine inuocari volueris. Ita Catullus

(h) *de formulis p. m. 44.* (i) *II c. XXVIII.* (k) Plinius *II c. VII.* (l) *IV Aen. v. 576.* (m) *I Aen. v. 319.* (n) *p. m. 171.* (o) Macrobius *Saturn. III c. IX.* Gellius *II c. XXVIII.* (p) Arnobius *lib. III p. m. 104.* Cato *de Re ruſtica c. XXIX.*

Digitized by Google

lus poſt varia quæ adduxerat Dianæ cognomina, tandem concludit: (q)

ſis quocunque tibi placet ſancta nomine.

Non infrequens quoque erat

DIS DEABVS vel DIS
DEABVS OMNIBVS, DIS
DEABVS PENATIBVS, DIS
DEABVS TVTELARIBVS

vel alius rei peculiaris vota facere, de quo paſſim teſtantur inſcriptiones: quæ dicebantur comprecationes deorum, quia plures dei ſimul implorabantur. (r)

FORMVLAE PRECVM.

Formulas autem precum ſolennes maxime adhibebant, eas a Iano ſemper auſpicati (ſ), de quo Arnobius (t) *Ianum* inquit *in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* Cauſſam reddit ipſe Ianus apud Ouidium (u):

mox ego. Cur quamuis aliorum numina placem,
Iane tibi primum thura merumque fero.
vt poſſis aditum per me, qui limina ſeruo
ad quoscunque velis, inquit, habere deos

In Veſta vero omnis & precatio & ſacrificatio extrema erat (x).

Precum autem formulæ pro modo rerum & temporum variant. Decius Conſul pro exercitu ſe deuouens apud Liuium (y) ita precatur: *Iane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, Diui Nouenſiles, Dii indigetes, Diui, quorum eſt poteſtas noſtrorum, ho-*

D d *ſtium.*

(q) *in hymno Dianæ XXXV.* (r) Gellius *XIII c. XXI.* (ſ) *II de N. D. c. XXVII.* (t) *lib. III p. m. 117.* (u) *I Faſt. v. 171.* (x) Cicero *c. l.* (y) *VIII c. IX.*

Digitized by Google

ſtiumque, diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, & M. Manlius apud eundem (z) : *Iupiter optime maxime, Iunoque regina, ac Minerua, cæterique dii deæque, qui Capitolium arcemque incolitis.* Sæpius coniungebant precor, quæſoque. Ita Scipio in Africam traiiciens, ita precatur (a) : *Diui diuæque, qui maria terrasque colitis, vos precor quæſoque ; vti quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanæ, ſociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam ſectam, imperium, auſpiciumque terra, mari, amnibusque ſequuntur, bene verruncent.* Aliam ad Martem habet Cato (b) : *Mars te precor quæſoque, vti ſies volens, propitius, mibi, domo familiæque noſtræ.* Vocem etiam imploro, inuoco atque obteſtor, adhibebant. Ita Cicero in Verrem (c), cum potiores deos nominatim compellaſſet, addit *cæteros deos deasque omnes imploro atque obteſtor.* Sic & Velleius (d) : *Iupiter Capitoline, Gradiue Mars, perpetuorumque cuſtos Veſta ignium, vos publica voce obteſtor.* Singularis eſt precationis formula Bruti apud Halicarnaſſenſem: (e) *Iupiter*, inquit, *diique omnes, quibus cordi ſunt res mortalium.* Et alia apud Apuleium: (f) *Regina cæli ſiue tu Ceres ſeu tu cæleſtis Venus, ſeu Phœbi ſoror, ſeu nocturnis vlulatibus horrenda Proſerpina, quoque nomine, quoque ritu quaque facie te fas eſt inuocare: tu meis iam nunc extremis ærumnis ſubſiſte.* Aliam agricolarum in luſtrandis agris vſitatam precum formulam, videmus apud Catonem. (g) Has

(z) *VI c. XVI.* (a) Liuius *XXIX c. XXVII.* (b) *de Re Ruſtica c. CXLI.* (c) *lib. VII c. f.* (d) *II exeunte.* (e) *lib. IV p. m. 265.* (f) *Metam. XI ineunte.* (g) *de R. R. c. CXLI.*

Has vero preces non propalam ſemper effundebant, ſed taciti ſæpe preces in templo deis adlegabant, vti loquitur Apuleius. (h) Cauſſam reddit Seneca: (i) *vota* ait, *homines parcius facerent, ſi palam facienda eſſent: adeo etiam deos, quibus honeſtisſime ſupplicamus, tacite malumus & intra noſmetipſos precari.*

Varia autem precabantur, quantum quemque neceſſitas vrgebat, quemuis deum deamue pro officio ſuo, vti pluribus ſuperius egimus. In genere autem vt dii ſint volentes atque propitii, vt dexter atque volens adſit deus, vt veniant, adſint, audiant placidi precantes, accipiant preces, faciant quod quisque optauerat, cœptis votisque adnuant & placido vultu precantes reſpiciant, omnia bene eueniant, atque verruncent, ſeruarent, ferrent opem. Exinde & in ſermone frequenter vtebantur hac formula, *diis bene iuuantibus*, (k) quæ apud Liuium ſæpius occurrit. Sæpe & quod actum eſt vt dii adprobent, precabantur. (l) Ita & deorum auxilium implorabant hac formula, dii immortales *obſecro veſtram fidem*, (m) ſæpe & conciſe *dii veſtram fidem.* (n) Immo dei cuiusdam in ſpecie fidem implorabant, vt *tuam fidem Venus:* (o) *Iuno Lucina tuam fidem* (p). In calamitatibus publicis maxime pacem veniamque deûm expoſcebant, orabant etiam vt parcerent. De his & ſingulis precum formulis pluribus agit Briſſonius (q). Auerrun-

(h) *de deo Socratis p. m. 44. apol. p. m. 309.* (i) *de beneficiis II c. I.* (k) Liuius *XXVIII c. XXXII.* (l) Cicero *II ad Fam. ep. XV.* Liuius *X c. XIII.* (m) Plautus *Amphitr. actu I. ſc. I.* (n) *Captiu. actu II ſc. III.* (o) *Curcul. actu II ſc. II.* (p) *Aulul. actu IV.* (q) *de formulis p. m. 76. & ſeqq.*

Digitized by Google

runcos deos ita implorare ſolebant: *te precor quæſoque, vti ſies volens propitius mihi, familiæque noſtræ, vti tu morbos viſos inuiſosque: viduertatem vaſtitudinemque, calamitates, intemperantiasque prohibesſis, defendas, auerruncesque.* (r)

Ipſis precationibus peractis, non tantum quæ precati fuerant, vt rata eſſent, rogabant, ſed & ſæpe blanditias addebant, vtendo formula ſic. Exemplum habet Martialis: (ſ)

ſac rata vota patris, ſic te tua diligat vxor;
gaudeat & certa virginitate ſoror.
Perpetuo ſic flore mices: ſic denique non ſint
tam longe Bronio quam tibi, Phœbe, comæ.

Et ſi prima vice a diis ſe non exaudiri putarent, augebant preces, vt Horatius de Diana. (t) *ter vocata audis.* Vota quoque, ſi optata impetrauerint, faciebant, ſe Deum illum in primis culturos, templa eidem ædificaturos, dona oblaturos, & alia: quod Perſius (u) *preces emaces* vocat & (x)

aut quidnam eſt qua tu mercede deorum
emeris auriculas.

Cum vero res e voto non ſuccederet, conuitiis petebant deos, vt eſt apud Statium: (y)

alio tibi perſide pacto
Iupiter hunc crinem voti reus ante dicaram:
ſi pariter virides nati libare dediſſes
ad tua templa genas. ſed non ratus ore ſacerdos
damnatæque preces. ferat hac quæ dignior vmbra eſt.

Ita

(r) Cato *de R. Ruſt. c. CXLII.* (ſ) *lib. I ep. CXXV.* (t) *lib. III ode XXII.* (u) *ſat. II v. 3.* (x) *v. 29.* (y) *Theb. VI v. 196.*

Ita de morte Germanici teſtatur Suetonius: (z) *quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa, ſubuerſæ deûm aræ, lares a quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expoſiti.*

* * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT QVARTVM

De

VARIIS PRECATIONVM GENERIBVS, COMPRECATIONIBVS, DEPVLSORIIS, OBSECRATIONIBVS, POSTVLATIONIBVS, PROCVRATIONIBVS ET SIMILIS GENERIS.

PRecatio a precibus differt, & magis ſolennis erat apud Romanos. Precationes enim dicebantur de omnibus precibus ſacerdotum atque magiſtratuum publicis, quæ ſolenni more fierent. Qua ratione ſolennis Comitiorum precatio (a) dicitur, quæ comitiis præmittitur. Augurum quoque erat precatio publica (b), & vota Tacito (c) dicuntur precationes fauſtæ. Ita precationem & ſacrificationem coniungit Cicero (d), quas in ea dea, quæ eſt rerum cuſtos intimarum, in Veſta ſcilicet, deſinere dicit. In omnibus autem hiſce & ſacrificiis dici Romanis mos erat, Populo Romano Quiritibusque (e). Dicebatur alias ſolennis deorum *comprecatio* (f), vel ſolen-

Dd 3

(z) *Calig. c. V.* (a) Cicero *pro Murena ab initio.* (b) Cicero *II de diuin. c. XX.* (c) Tacitus *Ann. IV c. IX.* (d) Cicero *II de N. D. c. XXVI.* (e) *Feſtus voce dici.* (f) Liuius *XXXIX c. XV.*

lenne carmen precationis, quod præfari, priusquam populum adloquantur, magiſtratus ſolebant, cum omnium rerum initia a diis immortalibus facienda veteres vellent, vti ſupra dictum. Comprecationes quidem dictæ videntur, quod plures deos ſimul comprehenderent. Eam enim de qua Liuius agit, populum admonere ait, hos eſſe deos, quos colere, venerari, precarique maiores inſtituiſſent; quas & in libris ſacerdotum & in plerisque antiquis orationibus expoſitas eſſe ait Gellius; qui & Sabinorum comprecationis formulam quandam obſoletam adducit. Præmiſſis autem deorum nominibus, precabatur magiſtratus: *vt ea res mihi, magiſtratuique meo, populo plebique Romanæ bene atque feliciter eueniret*, vti ex Cicerone (g) diſcimus. Sic & cum Philippo Macedoniæ regi bellum eſſet indictum, Senatus decreuit, vt conſules maioribus hoſtiis rem diuinam facerent, quibus diis ipſis videretur, cum precatione ea: (h) *quam rem ſenatus populusque Romanus de republica, deque ineundo nouo bello in animo haberent, ea res vti populo Romano ſociisque ac nomini Latino bene ac feliciter eueniret.* Augures quoque tali comprecatione fuiſſe vſos ex Cicerone (i) diſcimus, qui *in augurum precatione fluminum nomina videmus*, ait. Precatio vero maxima Seruio (k) eſt, *cum plures deos, quam in ceteris partibus auguriorum precatur, euentusque rei bonæ poſcitur, vt in melius iuuet*, quod *his verbis oſtenditur: eſtq nunc ſol teſtis, & hæc mihi terra precanti.* Harum igitur precationum publicarum atque ſolennium variæ erant ſpecies, quarum præcipuas a Plinio (l) memoratas videmus, dum ait:

(g) *pro Murena ab initio.* (h) Liuius *XXXI c. V.* (i) *II de diu, c. XX.* (k) *ad XII Aen. v. 176,* (l) *XXVIII c. II.*

ait: *victimas cædi ſine precatione non videtur referre, nec deos rite conſuli. Præterea alia ſunt verba impetrantis, alia depulſoris, alia commentationis.* Gutherius (m) locum mendoſum adgnoſcit & in eodem reſtituendo vltra modum anxius eſt; facilem tamen ex antiquitate admittit emendationem atque interpretationem. Victimas enim ſine precatione cædere non referre ait; ſiue non conducere, non eſſe pium atque legitimum. Dein tres precationum ſpecies adducit, alia verba eſſe ait impetrantis, alia depulſoris, alia commendationis. Eaſdem ſpecies monſtrat Valerius Maximus (n), qui & alias addit, dum ait: *priſco etiam inſtituto rebus diuinis opera datur, cum aliquid commendandum eſt, precatione: cum expoſcendum, voto: cum ſoluendum, gratulatione: cum inquirendum vel extis vel ſortibus, impetrito: cum ſolenni ritu peragendum, ſacrificio. Quo etiam oſtentationum ac fulgurum denuntiationes procurantur.* Commendationis verba vti Plinius vocat, in precatione conſiſtere ait Valerius. Preces hæ erant conſuetæ, cum diis vel populum Romanum Quiritium, vel varias neceſſitudines ſuas commendarent; vti diis immortalibus quidpiam commendare olim quoque non inconſuetum, & Ciceroni dictum (o). Huic contraria erant verba depulſoris, quæ portentorum depulſa vocat Valerius, atque hæc *ſacra* dicebantur *depulſoria* (p), quibus diis ſupplicabant ob portenta, quæ euenerant, vt dii eadem quæ minati fuerant, depellerent atque auerruncent. Quale ſacrum depulſorium erat cum Romæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro boario ſub terram viui demiſſi in

(m) *de Vet. I pont. lib. IV c. XIV.* (n) *lib. I. c. I.* (o) *pro Murena c. I.* (p) Ammianus Marcellinus *lib. XXV c. V.*

Digitized by Google

in locum ſaxo conceptum (q). In cuius ſacri precatione præiuit Quindecim virûm collegii magiſter, quod in omnibus depulſoriis inde factum crediderim. Atque hæc quoque *obſecratio* dicta videtur. Claudius enim Imperator, (r) vt ob dira viſa obſecratio haberetur, edixit, quam ipſe, iure max. pontificis, commonito pro roſtris populo, præiuit ; ſacra enim depulſoria ob dira alias inſtituebantur, vti diximus. Eadem ratione Cicero (ſ) procurationes eſſe inſtituendas & obſecrationem ait, cum agri terræ motu quodam nouo contremiſcunt, & inuſitato aliquid ſono, incredibilique prædicunt. Ita & ob ingraueſcentem morbum, terrores atque prodigia obſecrationem a populo, duumuiris præeuntibus, eſſe factam teſtatur Liuius (t). Sic & Faliſcorum metu, matronarum in templis obſecrationes factas idem ait (u), precibus a diis petentes, vt exilium ab vrbis tectis templisque ac Romanis manibus arcerent. Hæ autem obſecrationes vel in vnum vel plures dies populo fuere indictæ (x). Communiter quidem obſecrationes cum ſupplicationibus pro vnis iisdemque habentur, ſed contrarium patet ex Liuio (y), qui ait : *ea prodigia hoſtiis maioribus procurata, & ſupplicatio circa omnia puluinaria & obſecratio in vnum diem indicta.* Alio loco (z) ſupplicationes ab obſecratione diſtinguit, atque obſecrationes circa omnia puluinaria factas ait, ne quid prætermitteretur, quod aliquando factum eſſet. Differentia in eo maxime ſtetiſſe videtur, quod ſupplicationes eſſent

(q) Liuius *XXII c. LVII.* Plinius *XXVIII c. II.* (r) Suetonius *Claudio c. XXII.* (ſ) *de Aruſp. reſp. fin.* (t) *IV c. XXI.* (u) Liuius *V c. XVIII* (x) Liuius *XXVI c. XXIII.* (y) Liuius *XXVII c. XI.* (z) *XXXI c. IX.*

ſent feſtiuæ, quibus ſupplices fierent diis, ad eos placandos, his autem adderentur obſecrationes, quæ in ipſis precibus conſtabant, vt dii iram auerterent, vt Feſtus inquit: *ob vos ſacro in quibusdam precationibus eſt, pro vos obſecro, vt ſub vos placo, pro ſupplico.* Quod magis adhuc patet ex Liuio, (a) vbi ait: *obſecratio a populo duumviris praeeuntibus facta.* Erant ergo preces publicæ, & verbis conceptis fiebant.

Cum obſecratione in quibusdam conuenire videntur *poſtulationes*, quas in cæremoniis rebusque diuinis adgnoſcit Arnobius (b). Ob oſtenta enim & portenta, vel ſi quid in ſacris prætermiſſum, aut commiſſum, decernebantur. De quo Cicero (c) *exauditus in agro propinquo & ſuburbano eſt ſtrepitus quidam reconditus & horribilis fremitus armorum, de ea re ſcriptum eſt, poſtulationes decretas eſſe Ioui, Saturno, Neptuno, Telluri, diis cœleſtibus.* Sic & (d) ob oſtentum quoddam Telluri poſtulationem deberi ait. Quare & fulmina poſtulatoria Seneca dicit (e), quibus ſacrificia intermiſſa, aut non rite facta repetuntur. Ab hac diſtincta erat *poſtulio*, non vti Iac. Gutherius putat (f), vt hæc inferis diis competeret, ſuperis poſtulatio, ſed vt poſtulio ſit illud ipſum, quod ad expiandos deos præſtabatur, ſiue hoſtia, ſiue donum, ſiue ſimile quid; poſtulatio vero conſiſteret in precibus pro auertendo malo. Videmus hoc ex Varrone (g) *a Procilio* inquit, *relatum, in eo loco [vbi tunc lacus Curtius] debiſſe terram, & ex Scto* ad

E e

(a) *IV c. XXI.* (b) *lib. IV p. m. 148.* (c) *de aruſp. reſp. c. X.* (d) *c. XIV.* (e) *II Nat. quaeſt. c. XLIX.* (f) *de vet. Iure Pontif. lib. IV c. XV.* (g) *lib. IV de L. L p. m. 25.*

ad haruſpices relatum, eſſe reſponſum, deum Manum poſtulionem poſtulare, id eſt, ciuem fortiſſimum eodem mitti. Liuius (h) explicat, deos quæſitos expoſcuiſſe id, *quo plurimum populus Romanus poſſet.* Hoc ergo erat poſtulio, illud ipſum quod dii piaculi loco poſtulabant.

Diſtinctæ ab his erant *procurationes*, & magis generales, quæ quidquid ad placandos deos decretum, ſub ſe comprehendebant, vti Liuius hac voce vtitur (i). Sic *prodigia maioribus hoſtiis procurata* ſcribit Liuius (k) & quod idem eſt, *hoſtiis maioribus expiata* (l). Hinc & nouendiale ſacrum edictum, & aliis procurandis prope totam ciuitatem operatam fuiſſe ait (m), concluditque: *hæc procurata.* Ex quo ſatis clare coniicimus, omnia ea, quæ ad placandam iram deûm fuere celebrata, ſub generali procurationis notatione fuiſſe comprehenſa, ita vt procurare nihil aliud ſit quam expiare, vti hæc bina coniungit Cicero (n). Singularem procurationis ſpeciem videmus apud Gellium (o), quæ fiebat contrariis religionibus, quod tamen inuentum primo ſuo auctori male ceſſit. Totam rem verbis Gellii exponamus: *Statua*, inquit, *Romæ in comitio poſita, Horatii Coclitis fortiſſimi viri de cœlo tacta eſt. Ob id fulgur piaculis luendum, haruſpices ex Etruria acciti, inimico atque hoſtili in populum Romanum animo, inſtituerant eam rem contrariis religionibus procurare, atque illam ſtatuam ſuaſerunt in inferiorem locum perperam tranſponi, quem ſol oppoſitu circum vndique aliarum ædium nunquam illuſtraret. Quod cum ita fieri perſuaſiſſent, delati ad populum proditique ſunt:*

(h) *VII c. VI.* (i) *XXVII c. XXV.* (k) *XXVI c. XXIII & XXX c. II.* (l) Liuius *XXX c. XXXVIII.* (m) *XXI c. LXII.* (n) *II de diuin. c. LXIII.* (o) *IV c. V.*

ſunt ; & cum de perfidia confeſſi eſſent, necati ſunt : conſtititque eam ſtatuam, proinde vt veræ rationes poſt comperta monebant, in locum editum ſubducendam, atque ita in area Vulcani ſublimiori loco ſtatuendam : eaque res bene & proſpere reip. ceſſit. In eo ergo conſtabat, vt ſolito plane contrarius admitteretur ritus cultusque, vt dum diis ſuperis in elatiori loco ſacra fierent, ea dein in loco inferiori haberentur ; quod tamen Romani tanquam infauſtum reiecere.

Alia precatio erat, quæ fiebat conceptis verbis, de qua Plinius (p): *vidimus*, inquit *certis precationibus obſecraſſe ſummos magiſtratus. Et ne quid verborum prætereatur, aut præpoſterum dicatur, de ſcripto præire aliquem rurſusque alium cuſtodem dari qui attendat, alium vero præponi, qui fauere linguis iubeat : tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur : vtraque memoria inſigni, quoties ipſæ diræ obſtrepentes nocuerint, quotiesue precatio errauerit : ſic repente extis adimi capita vel corda, aut geminari victima ſtante.* Et quidem pontifex maximus præcipue verbis ex tabulis præibat, vt in deuotione Decii, factum (q). Quales precationes etiam in obſecrationibus factæ (r). Sic Heluidio prætori in dedicatione Capitolii verbis præiuit Pontifex (ſ). Id quod ſolennes preces dicit Ouidius, & ſolenni voce in vota ſuperos vocare Seneca (t). In his præcipue precibus ſolennibus dici moris erat Populo Romano Quiritibusque, ſecundum Feſtum, vel populo Romano Quiritium (u).

Vitulatio pontificum erat, quam late deſcribit Ma-

 cro-

(p) *XXVIII c. II.* (q) Liuius *VIII c. IX.* (r) Liuius *IV c. XXI.* (ſ) Tacitus *hiſt. IV c. LIII.* (t) *Oedipo v. 304.* (u) Liuius *VIII c. IX.*

crobius (x). *Vitulari dicit, eſt voce lætari, Varro enim in libro quinto decimo rerum diuinarum ita refert; quod pontifex in ſacris quibusdam vitulari ſoleat, quod Græci παιανίζειν vocant. Has tot interpretationis ambages quam paucis verbis docta eloquentia Maronis expreſſit :*

Lætumque choro pæana canentes.

Vitulationem ergo dicit ſacrificii nomen eſſe ob lætitiam facti. Qua ratione & Plautus (y), *lubens vitulor meritoque*, dixit pro omni gaudio adfectus ſacra facio ; & Feſtus vitulans explicat, quod ſit *lætans gaudio vt prato vitulus.* Vitulam enim quam tamen victoriam eſſe volebant, quidam etiam faciebant deam, quæ lætitiæ præſit (z).

Conſecratio apud Romanos varia erat ; vel dum ex hominibus deos facerent, vel ſimulacrorum diuinorum, vel bonorum. Quidquid in ſacrum vſum transferebatur, dicebatur conſecrari. Ita conſecrabant Romani templa & delubra (a), deorum ſimulacra (b), aras (c); dii quoque qui publice recepti, conſecrari atque dedicari; (d) donaque quæ diis offerebantur, conſecrari dicebantur (e), idque fiebat per pontifices. Præter hæc cum bona, poſſeſſiones, pecunia, quæ hoſtium, ciuiumue damnatorum fuiſſent, diis addicerentur, conſecrari dicebantur ; quod fiebat per tribunos. Ita Scipionem Africanum, Carthaginem de conſilii ſui ſententia conſecraſſe dicit Cicero (f), vt veſtigia calamitatis oſten-

(x) Macrobius *ſat. III c. II.* (y) Perſa *actu II ſc. III. v. 1.* (z) Macrobius *c. l.* (a) Cicero *II de N. D. c. XXIII.* (b) Cicero *I de diuin. c. XXIII.* (c) Cicero *II de diuin. c. XXXII pro domo c. LIII.* (d) Cicero *II de N. D. c. XXIV & XXXI. II de LI c. XI.* (e) Cicero *IV in Verrem c. XXIX.* (f) Cicero *II agr. c. XIX.*

ſtenderet. Agrum Tarquiniorum, qui inter vrbem ac Tiberim fuit, Marti conſecrabant, inde campum Martium dictum, ita vt & religioſum haberetur, ſegetem in illo natam conſumere, vt eam potius deſectam cum ſtramento in Tiberim funderent (g). Non ſecus ac agrum ab hoſtibus captum diis quoque conſecrare moris erat (h). Sponte vero agrum conſecrare ius pontificium prohibebat (i): *ne quis agrum conſecrato, auri argenti ſacrandi modus eſto.* Quod ipſe Cicero ex Platone ita explicat (k) *terra vt focus domicilium ſacrum omnium deorum eſt. Quocirca nequis iterum idem conſecrato. Aurum autem & argentum in vrbibus & priuatim & in fanis inuidioſa res eſt.* Ciuium præterea damnatorum & caput & bona conſecrari ſolebant. Caput quidem eius, qui contra leges fecit, conſecrari ſolitum fuiſſe apud Ciceronem (l) videmus. *Sacroſanctum*, inquit, *eſſe nihil poteſt, niſi quod populus plebsque ſanxiſſet: deinde ſanctiones ſacrandæ ſunt aut genere ipſo aut obteſtatione & conſecratione legis aut pœna, cum caput eius, qui contra facit, conſecratur.* Sacroſanctum fieri hic Cicero dicit, quod conſecratur: Lex Papiria autem vetabat iniuſſu plebis ædes, terram, aram conſecrare (m). Lata hæc a Q. Papirio tribuno plebis, quam Cicero autem de ipſa ſacrarum ædium atque ararum conſecratione intelligit, non de priuatorum vel damnatorum domiciliis, addit enim: *neque id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat cauſſa, cur prohibendo non tam deterrere videretur quam admonere.*

Ee 3 At-

(g) Liuius *II c. V.* (h) Cicero *pro domo c. XLIX.* (i) Cicero *II de LI c. IX.* (k) *II de LI c. XVIII.* (l) *pro Balbo c. XIV.* (m) Cicero *pro domo c. XLIX.*

Atque hoc eſt quam ſacrorum deteſtationem dicit Gellius, eamque comitiis calatis fieri ait (n). Nonius enim Marcellus ſacrum deteſtabile & conſecratum dici auctor eſt. Licet poſteriori tempore C. Lectorii domus partem, propria auctoritate conſecrauerit Senatus (o), quia ſcilicet priuati cuiusdam fuerat poſſeſſio. Et quidem ſacroſanctæ quædam res erant, ipſo genere, quales ædes ſacræ; vel fiebant obteſtatione. Obteſtatio hæc erat tibicinis, vti eam vocat Cicero (p). Moris enim erat, vt dum ciuium damnatorum bona aliqua Cereri vel diis conſecrarentur, foculo poſito in roſtris, adhibitoque tibicine, per tribunum plebis id fieret (q), qui ſimul verbis vtebatur priſcis atque ſolennibus (r). Conſecrabantur autem bona eorum, qui quouis modo tribunum plebis interpellaſſent vel in ordinem coegiſſent. Ita P. Rutilius tribunus plebis Tiberii Gracchi bona conſecrauit, quod in mulcta pignoribusque eius, qui tribunum adpellaſſet, interceſſioni non parendo, ſe in ordinem coegiſſet (ſ). Sacræ enim leges dicebantur, quæ tribunorum corpora & tribunitiam poteſtatem ſacro ſancta & inuiolata eſſe iubebant; ſi quis contra fecerit, ſacer erat, & bona eius Cereri conſecrabantur, τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερὰ (t). Nemo ergo tribunos inuitos cogere poterat, aut prohibere, ne cognitionem de lege perferrent ad populum (u), ni pœnæ iſti obnoxius fieri vellet. In iure militari eadem ratione ſacrata lex

(n) *XV c. XXVII.* (o) Suetonius *Aug. c. V.* (p) *pro domo c. XLVIII.* (q) *c. XLIX.* (r) *c. XLVII.* (ſ) Liuius *XLIII c. XVI.* (t) *Halic. lib. VI p. m. 410. & lib. X p. m. 658.* Plutarchus *Gracchis p. m. 832.* (u) *Halic. lib. X p. m. 667.*

Digitized by Google

lex dicebatur (x), cuius transgreſſores diis ſacri ac diris deuoti eſſe iubebantur. Sacroſanctum ergo erat vel genere, vel obteſtatione tibicinis, vel conſecratione legis, quales erant leges ſacratæ, vel pœnæ in transgreſſores qui ſacri fiebant. Mos enim erat Romanis, vt quos vellent impune occidi, eorum corpora deuouerent deo cuipiam, ὁτῳδήτινι, præcipue diis inferis, vt eſſet Diti ſacer, θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός (y). In ipſis vero bonis, quæ diis ſacrata, alia conſecratio erat, dedicatio alia: Conſecratio quidem bonorum dicebatur ciuium damnatorum, quæ exinde religioſa fieri dicebantur (z). Dedicatio templorum, ararum, ſimulacrorum, & quæcunque diis donabantur; vti hæc bina expreſſe diſtinguit Cicero (a). Alia ratio conſecrandorum animalium erat. Ita lucum Iunonis Laciniæ paſcua habuiſſe media Liuius (b) narrat, quibus omnis generis ſacrum deæ paſcebatur pecus, ſine vllo paſtore, ex quo magnos fructus factos ait, columnamque inde auream ſolidam factam atque ſacratam. Simili religione Cæſar equorum greges in traiiciendo Rubicone conſecrauit, quos vagos & ſine cuſtodia dimiſit. Tales erant anſeres, quibus cibaria publice locabantur, & canes qui alebantur in Capitolio (c), vt ſignificent, ſi fures venerint.

Solennes præterea erant *exſecrationes*, quæ dum publicæ erant tum priuatæ. De publicis quidem exemplum in Craſſo habemus ſingulare, quem ad bellum Parthicum euntem Ateius tribunus plebis cum retinere non poſſet,

(x) Liuius *II c. XI & VII c. XLI.* (y) Halicarn. *lib. II p. m. 84.* (z) Cicero *de aruſp. reſp. c. XV.* (a) *pro domo c. XLVIII.* (b) *XXIV c. III.* (c) Cicero *pro S. Roſcio c. XX.*

ſet, focum ad portam accendit, quo cum perueniſſet Craſſus, thure iniecto, factisque libaminibus Atteius diras capiti eius atroces & horrendas imprecatus eſt, immanes deos & tetros inuocans atque adpellans. Has autem Romani, teſte Plutarcho, arcanas & vetuſtas habebant, tanta vi præditas putantes, vt nemo aduerſus quem conceptæ, euitare illas queat, nec bene etiam concipientibus eas cedere (d). Idem fiebat, cum eos, quos hoſtes patriæ iudicarent, diis inferis deuouerent, vti Maximino cum filio a ſenatu accidit (e). Priuatæ vero erant, cum aliquem diris execrationibus inceſſerent (f), vel in caput alicuius minas periculaque deteſtarentur (g). Ita populus ob periculum ab elephantorum ſpectaculo diras Pompeio pœnas fuit impecratus (h). Druſus morti vicinus meditatas compoſitasque diras imprecabatur (i). De Merula Velleius Paterculus (k): *inciſis venis, ſuperfuſoque altaribus ſanguine, quos ſæpe pro ſalute reip flamen dialis precatus erat, deos in execrationem Cinnæ, partiumque eius tum precatus, optime de rep. meritum ſpiritum reddidit.* Deuotionibus quoque aliquem impugnare dicebant (l), licet deuotiones hæ magicis artibus fuerint factæ. Quare deuotiones & veneficia ſæpius coniunguntur (m) & coniugium deuotionibus petere dicebatur (n). Quare inter ſacra magica, impios deos inuocare, deuotiones & infelices

(d) Plutarchus *Craſſo p. m. 55.* (e) Capitolinus *Gordiano c. XI.* (f) Suetonius *Claudio c. XII.* (g) Liuius *XXXIX c. I.* (h) Plinius *VIII c. VII.* (i) Tacitus *Ann. VI c. XXIV.* (k) *lib. II cap. XXII.* (l) Suetonius *Caligula c. III.* (m) Tacitus *Ann. III c. XIII. IV c. LII.* (n) Tacitus Ann. *XII c. LXV.*

lices preces referuntur (o). Certis autem verbis & carminibus conſtabant (p). Quod Plinius exprimit defigi diris imprecationibus (q).

Id autem quod religione ſoluebatur, dicebatur *reſecrari*. Ita enim Feſtus: *reſecrare, ſoluere religione. vtique cum reus populum comitiis orauerat per deos, vt eo periculo liberaretur, iubebat magiſtratus eum reſecrare.* Plautus (r)

reſecroque, mater, quod dudum obſecraueram.

& (ſ) *obſecro te, reſecro.* Cum enim per verbum obſecro quem adloquerentur antiqui, iuramento eum quaſi adſtringebant, quo cum defungi forſan non poſſet, reſecrabant, ne religione teneretur. Liuius (t) exſoluere religione animos dicit, cum voti ſcilicet religione tenerentur, qua dein liberabantur, vt in deuotionibus fiebat. Ab hac reſecratione ad id ducimur, qua ratione res liberatæ fuerint religione. Quæ quidem iniuſſu populi dedicata, ſacra plane non erant (u). In aliis & quidem mobilibus rebus, ſacrorum alienatio fieri poterat, de qua Cicero (x). *An quibus verbis ſacrorum alienatio fiat, docere boneſtum eſt, vt eſt: quibus ipſa ſacra retineri, defendique poſſint, non boneſtum eſt:* de quo tamen infra capite nono, cum de priuatis ſacris ſermo erit, dicemus pluribus.

Expiatio publica erat, & locum habebat, cum piaculum

(o) Tacitus *Ann. XVI c. XXXI.* (p) Tacitus *Ann. II c. LXIX & IV c. XXII.* (q) *XXVIII c. II.* (r) *Aulul. actu V ſc. III v. 4.* (ſ) *Perſa actu I ſc. I v. 49.* ibi & Taubmannus. Turnebus *adu. XIX c. XXV.* Pithœus *adu. I c. X.* (t) *VIII c. IX.* (u) Cicero *pro domo c. LIII.* (x) *de Orator, c. XLII.*

culum diceretur eſſe commiſſum. *Piaculi autem dicebatur contracta eſſe commiſſio*, inquit Arnobius (y), *ſi per imprudentiæ lapſum, aut in verbo quispiam, aut ſimpuuio deerrarit, aut ſi curſu in ſolennibus ludis, curriculisque diuinis: commiſſum omnes ſtatim in religiones clamatis ſacras, ſi ludius conſtitit, aut tibicen repente conticuit: aut ſi patrimus ille qui vocitatur puer, omiſit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.* Tunc enim ſi in quopiam erratum fuerit, repente extis adimi capita vel corda credebant, quo litare non poſſent (z). Piaculum ergo dicebatur commiſſum, ſi quid in ſacris vel prætermiſſum, vel contra morem & præter religionem ſacrum fuerit peractum; vel vt Liuius (a) loquitur, vbi neglectas cæremonias, intermiſſumue ſolenne Dii arguerent. De hoc vero lex extat in iure pontificio (b): *ſacrum commiſſum, quod neque expiari poterit, publici ſacerdotes expianto:* Commiſſa ergo piacula expiare neceſſe erat per piacularia. Quod dicebatur *ſacrum piaculare* (c) vel ſacrificium piaculare (d), vel piacularia (e). Fiebat id per certas hoſtias & cæremonias, per pontifices præſcriptas. *Publicus* enim *ſacerdos* ex iure Pontificio inquit Cicero (f), *imprudentiam conſilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet, atque impiam iudicet.* Quare & pontifex maximus piacula iræ deûm conquirere iuſſus. Ita qui ferias imprudens polluiſſet, porco piaculum dare de-

(y) *lib. IV p. m. 148.* (z) Plinius *XXVIII c. II.* (a) Liuius *V c. XVII.* (b) *II de LI c. IX.* (c) Liuius *XXIX c. XIX.* (d) Liuius *XXIX c. XIX.* (e) Liuius *I c. XXI.* (f) *II de LI c. XV.* Liuius *XL c. XXXVII.*

Digitized by Google

re debebat, prudens vero expiare non poterat (g). Sæpius quidem ſi piaculum commiſſum, reiterare ſacra neceſſe erat, quod in feriis latinis factum videmus. Et ſi quid in creatis magiſtratibus neglectum, vitio factum dicebatur, cuius expiatio in eo conſtabat, vt abdicarent ſe tales magiſtratu & auſpicia repeterentur (h). Quandoque & ne quid prætermitteretur, obſecrationes factæ (i). Vt plurimum piaculi luendi cauſſa hoſtiæ mactabantur, piaculares dictæ (k) vel victimæ piaculares (l).

Alia expiatio erat *infelicibus lignis vrere:* de qua Macrobius (m) *arbores*, inquit, *quæ inferûm deorum auertentium in tutela ſunt, eas infelices nominant, quibus portenta prodigiaque mala comburi iubere oportet.* Factum hoc pro placandis diis auerruncis, quibus lignis quæ ipſis deſtinata, ſacra faciebant, pacemque expoſcebant. Statius (n) belle exprimit, vbi canit:

Triſtibus interea ramis, teneraque cupreſſo
damnatus flammæ thorus:

Aliæ adhuc erant *luſtrationes*, Romanis æque atque aliis gentibus vſitatæ. Generales quidem erant quæ fiebant aqua pura, qua & expiari credebant crimina, vti dictum, ſed alia adhuc erant quæ magis ſolennia. Primum quidem, exercitum luſtrare moris fuit apud Romanos, quod dicebatur *ſacrificium luſtrale.* Hoc Tullus Hoſtilius poſt deuictos Albanos inſtituit (o). Ita Seruius Tullius perfecto cenſu exercitum inſtructum in cam-

(g) Macrobius *Saturn. I c. XVI.* (h) Liuius *V c. XVI.* (i) Liuius *XXXI c. IX.* (k) Arnobius *lib. VI p. m. 190.* Varro *VI de L. L p. m. 53.* (l) Plinius *Panegyrico c. XXXIV.* (m) Macrobius *Saturn. II c. XVI.* (n) *VI Theb. v. 54.* (o) Liuius *I c. XXVIII.*

campo Martio ſuouetaurilibus luſtrauit (p). Quod dein continuo ſeruatum, vt cenſu perfecto vrbs luſtraretur per cenſores. Ante expeditionem quoque luſtrabatur exercitus, vti nos docet Halicarnaſſenſis (q), quod ante bellum cum Sabinis, conſules antequam contra hoſtem profecti, luſtrauerint exercitum, *καθήραντες τὸν στρατόν.* Idem poſt victoriam de Latinis reportatam a Poſthumio factum (r) ait. Noui conſules ſtatim poſt eiectos reges vrbem luſtrarunt *ποιησάμενοι καθαρμοὺς τῆς πόλεως* (ſ). Simile poſt interemtos patriæ proditores (t) bellumque inteſtinum factum (u). Ex quo etiam videmus, luſtrationes haſce purgationis cauſſa fuiſſe inſtitutas, quo ſanguis aliaue crimina, vel quidquid delicti inhæreret ciuibus, expiaretur purgareturue. Luſtrabantur ergo diis, vti Virgilius canit (x):

luſtramurque Ioui, votisque incendimus aras

vbi Seruius: *aut luſtramur, id eſt, purgamur, vt Ioui ſacra faciamus.* Cum ſacra facere non poſſent, ſi vel polluti vel quopiam eſſent inquinati. Templi quoque aream luſtrare moris erat. Immo ambarualia tale piamentum luſtrale erat; atque paſtores armenta ſua luſtrabant Palilibus, vti ſub feſtis dicetur.

Deuotiones publicæ erant, cum ſe pro patria & populo Romano Quiritium deuouerent. Primum deuotionis Romanæ argumentum reperimus ſub aduentum Gallorum Senonum in vrbem Romam, vbi Romani M. Fabio pontifice maximo præfante carmen, deuouerunt

ſe

(p) Liuius *I c. XLIV.* Halic. *lib. IV p. m. 225.* (q) *lib. IX p. m. 613.* Liuius *XXXVIII c. XII.* (r) Halic. *lib. VI p. m. 354.* (ſ) *lib. V ineunte.* (t) *lib. V p. m. 323.* (u) *lib. X p. m. 643.* (x) *III Aen. v. 289.*

ſe pro patria Quiritibusque Romanis (y). Sic & M Curtius iuuenis egregius, poſtquam ſe diis deuouerat, in patentem terræ hiatum ſe præcipitauit (z). Sæpe & ipſi Conſules pro populo Romano ſe deuouebant, vti exemplum in Decio reperimus apud Liuium,(a) qui & ipſum deuotionis ritum deſcribit: Cum enim Decius Valerium pontificem maximum inclamauerat, vt verbis præiret, quibus ſe pro legionibus deuoueret, pontifex eum togam prætextam ſumere iuſſit, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exerta, ſuper telum ſubiectum pedibus ſtantem, deuotionis carmen effari, & quidem præmiſſa precatione, vt populo Romano victoriam dii proſperent, & hoſtes terrore, formidine, morte adficiant, hæc quoque fuere addita verba: *ſicut verbis nuncupaui, ita pro republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones auxiliaque hoſtium mecum diis manibus tellurique deuoueo.* Quibus verbis dictis, Decius incinctus cinctu Gabino, armatus in equum inſiluit, ac ſe in medios hoſtes immiſit. Non autem ſemper neceſſe erat, vt conſul, dictator vel prætor, cum legiones hoſtium deuouerent, ſeipſos, ſed quem velint ex legione Romana ſcripta, ciuem deuouere. Moris enim erat Romanis, vt poſtquam euocata eſſent numina, vrbes quas oppugnabant, vel exercitus hoſtiles deuouere; vti formulam talis deuotionis videmus apud Macrobium (b), in qua reperimus, quod ſicuti hoſtilem exercitum diis manibus deuouebant, ita & certos quosdam ex ſuo exercitu, quos Macrobius vicarios vocat, pro ſe, fide, magiſtratuque ſuo, &

(y) Liuius *V c. XLI.* (z) Liuius *VII c. VI.* (a) *VIII c. IX.* (b) *Saturn. III c. IX.*

& pro pop. Romano, exercitibus, legionibusque Romanis dabant ac deuouebant Imperatores & dictatores, & ſe, ſuamque fidem, imperium, legiones, exercitumque qui in rebus gerendis ſunt, bene ſaluos ſinant eſſe addentes.: *Si hæc ita faxitis, vt ego ſciam, ſentiam, intelligamque: tunc quisquis votum hoc faxit, vbi faxit, recte factum eſt, ouibus atris tribus, Tellus mater, teque Iupiter obteſtor.* Atque hæc verba ſolennia Ciceroni (c) dicuntur verba certa. Poſteriori tempore, quos hoſtes iudicabant publicos, deuouebant diis inferis vel exſecrabantur; quod Maximino cum filio accidiſſe diximus. Hæc tamen inter vtramque erat differentia, vt iſta voluntaria eſſet, & pro Romanorum republica fieret: quare & vota pro hiſce fiebant, & dona frugesque ſuper talem a multitudine virorum ac mulierum congeſta, quod Curtio factum Liuius (d) ſcribit; illa autem patriæ hoſtibus fiebat & cum conſecratione conueniebat. Ex hoc igitur veteri deuotionis ritu originem duxit, vt deinceps ſe pro Auguſtorum ſalute deuouerent priuati. De Sexto Pacuuio enim ait Dio Caſſius (e), quod ſe in pleno ſenatu ad morem Hiſpanorum καθωσίωσε καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευε τοῦτο ποιῆσαι, *conſecrauerit, vel deuouerit potius, & aliis exemplum dederit ſimile faciendi.* Ex quo more inde tractum ait Caſſius, quod Imperatores ſibi propitios reddere volentes, iisdem ſe dicant eſſe deuotos. Ita Caligula (f) aliquem qui ſe pro ſalute ipſius deuouerat, cunctantem, pueris tradidit verbenatum, infulatumque qui votum repoſcentes, per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere. De hoc etiam intelligen-

(c) *II de N. D. c. III.* (d) *VII c. VI.* (e) *lib. LIII p. m. 510.* (f) Suetonius *Caligula c. XXVII.*

ligendus Suetonius, vbi de Caligula inquit. g) : *vt vero in aduerſam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt, qui depugnaturos ſe armis pro ſalute agri, quique capita ſua titulo propoſito vouerent.* Hæc adulatio frequens occurrit in inſcriptionibus his verbis : DEVOTVS NVMINI MAIESTATIQVE EIVS (h) quod per haſce litteras initiales ſæpe & exprimebant D. N. M. Q. E.

Vltimo loco inter precationes ſolennes referendæ ſunt *euocationes* deorum, vel ad ſacrificia, vel ex oppugnatis vrbibus. In ſacrificiis quidem Iouem cœlo deuocare conabantur, qui exinde dicebatur Elicius. Solenni carmine ad id fuere vſi, cuius formula in Numæ commentariis continebatur. Rite tamen iniri neceſſe erat (i). Tullus enim Hoſtilius cum non rite initum aut curatum id ſacrum eſſet, iram Iouis ſollicitati praua religione expertus, fulmine ictus, cum domo conflagraſſe dicebatur. Præſtigia ergo magica erant, cuius auctores facti illiciti iuſtas luerunt pœnas. Aliæ ex vrbibus oppugnatis deorum erant euocationes, de quibus Plinius ita loquitur : *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia ſolitum a Romanis ſacerdotibus euocari deum, cuius in tutela id oppidum eſſet : promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumue. Durat in pontificum diſciplina id ſacrum : conſtatque ideo occultatum, in cuius dei tutela Roma eſſet, ne qui hoſtium ſimili modo agerent.* Addit Macrobius (k) rationes, quod aut aliter vrbem capi

(g) *Caligula c. XIV.* (h) Gruterus *p. CCLXXII.* (i) Liuius *I c. XXXI.* Plinius *XXVIII c. II.* (k) *Saturn. III c. IX.*

Digitized by Google

capi poſſe non crederent, aut ſi poſſet, nefas æſtimarent, deos habere captiuos. Ipſum euocationis carmen idem adducit Macrobius: *Si deus ſi dea eſt, cui populus ciuitasque Karthaginienſis eſt in tutela, teque maxime ille, qui vrbis huius populique tutelam recepiſti, precor, veneror que, veniamque a vobis peto, vt vos populum ciuitatemque Karthaginienſem deſeratis, loca, templa, ſacra, vrbemque eorum relinquatis, absque his abeatis, eique populo ciuitatique metum, formidinem, obliuionem iniiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis, noſtraque vobis loca, templa, ſacra, vrbs acceptior probatiorque ſit, mihique populoque Romano, militibusque meis præpoſiti ſitis, vt ſciamus intelligamusque ſi ita feceritis, voueo vobis templa ludosque facturum.* Atque ab his euocationibus orti dii nouenſiles, vti ſupra dictum fuit.

* * * * * * * * * *

CAPVT QVINTVM

De

VOTIS ROMANORVM

INter particulares antiquitatum Romanarum ſcriptores non minime æſtimandus eſt IACOBVS PHILIPPVS THOMASINVS, cuius elegantiſſimus *de donariis ac tabellis votiuis* tractatus *Patauii 1654. 4* editus; in quo præter generalia, ipſas votorum ſpecies, pro variis hominum neceſſitatibus & differentiis vtpote nubentium, ægrotantium, nauigantium, agricolarum, magiſtratuum & ſimilium, & quæ ſingulorum vota atque donaria fuerint, egre-

egregie illuſtrat: extat & in tomo duodecimo Theſauri Græuiani. HENRICVS NORISIVS, e familia Auguſtiniana, nunc Cardinalis, ſingularem edidit diſſertationem *de votis decennalibus Romæ 1684*, qua varios errores Chronologicos in hiſtoria alias receptos ex ipſa votorum, ſub imperatoribus, conſtitutione emendat. Idem quoque plenius adhuc egit ANTONIVS PAGVS in *diſſertatione hypatica, ſeu de Conſulibus Cæſareis, Lugduni 1682. 4* edita, qua Auguſtorum conſulatus, regulis ex decennalibus plerumque deſumtis firmat, veramque chronologiam reſtituit. CAROLVS DV FRESNE in diſſertatione *de inferioris æui numiſmatibus*, tempus quo & ſuſcepta & ſoluta vota accurate definit, & quæ ad nummorum votiuorum intellectum faciunt, dilucide declarat.

Maxime apud Romanos ſolenne erat vota concipere, ſuſcipere vel nuncupare. Origo quidem antiquiſſima a Romulo, qui in bello contra Sabinos fugæ ſuorum ſiſtendæ cauſſa, Ioui Statori templum vouit (l). Erant ea vel publica vel priuata. Priuati quidem in omni neceſſitate, pro quacunque adimplenda conditione vota nuncupabant; vtpote pro felici euentu nuptiarum, facilitando partu, pro reditu, pro felici frugum prouentu, pro ſua & ægrorum ſalute ac ſimilibus, de quibus Thomaſinus. Illudque quod vouebatur, dicebatur votiuum: hinc tabellæ votiuæ, aræ votiuæ, templa votiua, ludi votiui, clypeus votiuus, donum votiuum. Ex eo ortæ & tabellæ votiuæ, quæ vel inſcriptum votum continebant, vel poſtquam voti compotes facti, ex voto ſuſpenſæ, in quibus deſcripta fortuna alicuius, vti Horatius canit (m):

Gg vto-

(l) Liuius *I c. XII.* (m) *II ſat. I v. 33.*

Vt omnis
Votiua pateat, veluti deſcripta tabella,
vita ſenis.

In iſtis tabellis autem vota, ſeu quidquid a diis precabantur, notatum erat, addita & mercede, quam votorum compotes facti pollicebantur: quod Cicero (n) voti ſponſionem vocat, quo obligamur Deo. Teſtis eſt de eo Lucianus, qui in philopſeude (o) de quadam ſtatua agit, quæ nonnunquam baſi ſua relicta, noctu per ædes ambulauerit, addens : πολλοὶ ἤ δ' ὅς ἐκείνε ὀβολοὶ πρὸς τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ, καὶ ἄλλα νομίσματα ἔνια ἀργυρᾶ πρὸς τὸν μηρὸν, κηρῷ κεκολλημένα, καὶ πέταλα ἐξ ἀργύρου εὐχαί τινος, ἢ μισθὸς ἐπὶ τῇ ἰάσει, ὁπόσοι δι αὐτον ἐπαύσαντο πυρετῷ ἐχόμενοι *multi ante pedes eius oboli iacebant, item alia quoque nomiſmata nonnulla argentea cera eius cruri adfixa. Laminæque ex argento, Vota alicuius, aut merces reſtitutæ ſanitatis eorum, quos ille febre liberarat.* Quas tabellas obſignatas ad genua dein ſimulacrorum dei cuiusdam, cuius officii eſſet res petita, adfigebant, quod *figere vota* Iuuenali dicitur (p). Et cum easdem tabulas cera adfigerent, vti ex Luciano vidimus, Iuuenalis (q) *genua incerare deorum* id adpellat. Indeque Apuleius in apologia priori (r) ita ait : *votum in alicuius ſtatuæ femore adſignaſti.* Turnebus quidem (ſ) ipſa deorum ſimulacra cera illinita fuiſſe contendit, & tum voti verba inſcripta, contra quem tamen agit Ianus Rutgerſius (t), qui hanc votorum adſignationem iuſtius explicat. Priuati quidem plerumque vouebant templa, vti adparet ex inſcriptione apud Gruterum (u).

MER-

(n) *II de LI c. XLI.* (o) *p. m. 482.* (p) *ſat. IX v. 159.* (q) *ſat. X v. 57.* (r) *p. 309.* (ſ) *lib. XXX aduerſ. ſubceſ. c. XIX.* (t) *var. lect. lib. V c. V.* (u) *p. XXXII n. 5.*

MERCVRIO
TEMPLVM
EX VOTO SVS
SCEPTO. CL. AV
GVSTANVS
L. L. M.

Aras: (x)

IOVI
OPTIMO MAXI
MO. SERVATORI
CONSERVATORI
P. AELIVS. CHRESTVS
EX. VOTO. SVSCE
PTO. ARAM CONSA
CRAVIT

ſtatuas & ſigna; quo faciunt frequentes inſcriptiones EX VOTO SIGNVM CVM BASE D. D. L. M. (y) Porticus (z): aurum quoque & argentum, variaque vaſa & iisdem confecta, vti ſub donariis infra dicemus, atque ſimilia. Frequentiſſimæ autem erant hoſtiæ, quas in plerisque votis reperimus. Ita Virgilius (a) Aſcanium his verbis inducit:

Iupiter omnipotens audacibus annue cœptis.
Ipſe tibi ad tua templa feram ſolennia dona,
Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum
candentem.

Votis autem nuncupatis, voti rei; impetratis vero his, quæ petierant, votorum compotes atque

Gg 2 damna-

(x) Gruterus *p. XVIII n. 6.* (y) Gruterus *p. XVIII n. 5.*
(z) Gruterus *p. LXIX n. 4.* (a) *X Aen. v. 625.*

Digitized by Google

damnati eſſe dicebantur, atque tunc vota ſoluere tenebantur. Sic Virgilius (b)

Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
conſtituam ante aras, voti reus.

Macrobius quidem (c) voti reum vocari ait, qui ſuſcepto voto ſe numinibus obliget, damnatum autem, qui promiſſa vota non ſoluat: Liuio tamen (d) votorum damnari idem eſt, ac votorum reum eſſe. Atque dum vota ſoluere, ponere, reddere, perſoluere, exequi tenebantur. Hinc inſcriptio apud Reineſium (e)

EX VOTO
DONVM POSVIT

idque per conſuetas has litteras V. S. L. M. *Votum Soluit Lubens Merito*, notabant. Huc facit inſcriptio (f)

DEO. MAG.
NO. AETERN.
L. STATIVS. DI
ODORVS. QVOT
SE. PRECIBVS
COMPOTEM
FECISSET
V. S. L. M.

& alia (g)

L. SERVIL. SPERATVS
DOMINO. INVIC. DON.
LIBENS. ANIMO POSVIT
ARA. MERCVRII.

Votii

(b) *V Aen. v. 236.* (c) *III Saturn. c. II.* (d) *XXVIII c. XLV.* (e) *p. m. 26.* (f) Gruterus *p. XVII n. 7.* (g) Gruterus *p. LIII n. 4.*

Voti ita damnati, quidquid vouerant, diis offerebant atque præſtabant. Extruebant templa, aras & porticus, erigebant ſtatuas, mactabant hoſtias, offerebant aurum, argentum & varia pretioſa, quæ dicebantur dona, vel vti Thomaſinus contendit donaria (h); licet & loca, in quæ hæc dona reponantur, donaria dicta velit Gellius (i) atque Iſidorus (k). Fictilia & teſtacea primitus fuiſſe hæc dona Thomaſinus probat (l), quod de antiquiſſimo concedimus tempore, omnis luxus experte, quo & ſtatuæ pleræque ex fictili materia conſtabant; ſecus de ſequiori, cum & in religionem luxus irreperet. Tabellas autem donis ſuis in accepti beneficii memoriam addere ſolebant, & quidem in iſtis tabulis ſæpe ſuperati periculi caſum & varia fata depingi curabant: vti de picta naufragii tabula teſtatur Iuuenalis (m)

merſa rate naufragus aſſem
dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur

& Perſius (n)

& cantet, ſi naufragus, aſſem
protulerim? cantas cum fracta te in trabe pictum
ex humero portes?

De quo & Cicero (o) *tu*, inquit, *qui deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalui peruenerint.* Hiſtoriæ inſcribebant titulum, Dei deæue nomen, vouentium item; locum, tempus & voti oc-

G g 3

(h) *I de donariis cap. VI & ſeqq.* (i) *II c. X.* (k) *XV Origg. c. V.* (l) *cap. II.* (m) *ſat. XIV v. 302.* (n) *ſat. I v. 88.* (o) *III de N. D. c. XXXVII.*

ti occaſionem, mercedem etiam, ſeu quidquid diis vouerant, continentes, de quo Propertius (p) :

pro quibus optatis ſacris me carmine damno,
ſcribam ego, per magnum eſt ſalua puella Iouem.

& Ouidius (q) :

ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris,
ipſe feram ante tuos munera vota pedes.
Adiiciam titulum, ſeruata, Naſo, Corinna,
tu modo fac titulo muneribusque locum

Sæpe & addebant veſtimenta, in quibus ſeruati, vincula, & ſimilia, de quo Horatius (r) :

me tabula ſacer
votiua paries indicat vuida
ſuſpendiſſe potenti
veſtimenta maris deo.

Ex quo loco videmus naufragos poſtquam naufragio euaſerant, præter tabulam, veſtimenta quoque Neptuno ſuſpendiſſe. Idem circa curationes morborum moris erat, vt in tabella mali auxilium notarent, eamque in templo eius dei, quem ſibi opitulatum fuiſſe putabant, ſuſpenderent ; cuius rei memoriam in inſcriptione videmus Aeſculapio dicata, quam adducit Gruterus (ſ). Partes autem adfectas ex ære vel fictili fieri curabant & templis adfigebant, vti ex ipſis veterum monumentis probat Thomaſinus (t). Suffigebantur hæc dona templorum parietibus vel columnis, vti videmus ex Liuio, (u) vbi de Marco Aemilio cenſore : *ædem Iouis in Capitolio, columnasque circa poliendas albo locauit, & ab his colu-*

(p) *III el. XXVIII v. 43.* (q) *II Amor. el. XIII v. 23.* (r) *lib. I ode V v. 13.* (ſ) *p. m. LXXI.* (t) *p. 19. & 77.* (u) *XL c. LI.*

Digitized by Google

columnis, quæ incommode oppoſita videbantur, ſigna amouit: clypeaque de columnis & ſigna militaria adfixa omnis generis demſit, & Virgilius (x).

> *dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,*
> *ſuſpendiue tholo, aut ſacra adfaſtigia fixi.*

Ex quo Virgilii loco etiam tholis ſuſpenſa fuiſſe dona videmus. Tholum autem Iſidorus (y) explicat, quod ſit *veluti ſcutum breue, quod in medio tecto eſt, in quo trabes coëunt.* Lactantius Placidius autem (z) tholum in media templi camera locum eſſe ait, in quo vouentium primitiæ aut exuuiæ figebantur. Videtur ſane fuiſſe locus elatior, eminens, ita diſpoſitus, vt quæ dona ſuſpenſa, facilius conſpici poſſint. Varie autem in templis ornatos fuiſſe hos tholos ex Arnobio diſcimus (a), qui multa templa tholis aureis & ſublimibus elata eſſe faſtigiis ait. Templorum parietibus tabellæ non adfigebantur ſolum, ſed ſæpe etiam inſerebantur. Pericula etiam quæ euaſerant; vti Domitianus e periculo, quod a Vitellianis impenderat, liberatus, patre rerum potiente, modicum ſacellum Ioui conſeruatori aramque poſuit, caſusque ſuos in marmore expreſſit (b). Immo etiam prælia, aliaque terra marique feliciter exacta parietibus penicillo vel ſcalpro effingebantur. Sic M. Valerium tabulam picturæ prœlii, quo Carthaginienſes & Hieronem in Sicilia deuicerat, in latere Curiæ Hoſtiliæ propoſuiſſe: L. Scipionem tabulam victoriæ ſuæ in Capitolio poſuiſſe: Auguſtum duas tabulas impreſſiſſe parieti &c.

(x) *IX Aen. v. 407.* (y) *XIX Origg. c. XIX.* (z) *ad lib. II Theb. Statii v. 734.* (a) *lib. VI p. m. 193.* (b) Tacitus *hiſt. III c. LXXIV.*

ti & alia ſimilis argumenti tradit Plinius (c). Nonnunquam & loco tabularum adfigebantur clypei, votiui dicti, qui a rotunditate quam præferunt, hoc nomen adepti: qualem clypeum nobis exhibet Reineſius (d). Immo clypeos ſuos ipſi ſæpe dedicare ſolebant, quod docet Inſcriptio (e).

NESTORI
AVG. NEPETE
HIC. LVDOS. FECIT.
ET. DEDICATIONE
STATVAE. PATRONI
QVAM. IPSE. POSVIT
ET· CLYPEI. SVI. ITERVM
MVNICIPIBVS. NEPESINIS
EPVLVM DEDIT

In variis quidem templis & locis ſacris ſuſpendebantur hæ tabellæ, frequentiſſimam tamen Iſidis videmus mentionem factam. Exinde pictores ab Iſide paſci feſtiue dicit Iuuenalis (f), quia tabellis pingendis victum quærebant.

ſi quando poëtica ſurgit
tempeſtas. genus ecce aliud diſcriminis audi,
& miſerere iterum, quanquam ſint cætera ſortis
eiuſdem, pars dira quidem, ſed cognita multis,
& quam votiua teſtantur fana tabella
plurima, pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

Quamuis enim, qui naufragio euaſerant, caſum pictum in

(c) *XXXV c. IV.* Thomaſinus *de donariis c. VII.* (d) *p. m. 441.* (e) Gruterus *p. CCCCXLI n. 7. & p. CCCCXCVI n. 4.* (f) *ſat. XII v. 23.*

Digitized by Google

in templo Neptuni figerent, vt innuit Britannicus ad dictum Iuuenalis locum; de recepto tamen more, ex Aegyptiorum ſuperſtitione, in templo quoque Iſidis, cuius ſacra præcipua veneratione in vrbe colebantur, tabellas ponebant, tanquam quæ mari periclitantibus opitularentur. Quare & Tibullus (g) Iſidem ita adloquitur:

nunc dea, nunc ſuccurre mihi, iam poſſe mederi
picta docet templis multa tabella tuis.

Quare & in nummo quodam veteri, conſpicitur Iſis cum ſiſtro, addita inſcriptione, Vota Publica (h). Arboribus ſacris quoque adfigebantur dona, de quo Virgilius (i):

forte ſacer Fauni foliis oleaſter amaris
hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
ſeruati ex vndis vbi figere dona ſolebant
Laurenti duo, & votas ſuſpendere veſtes.

Atque hoc dicebatur vota debita ſoluere, reddere & quidem merentibus diis lubens meritoque. Vti autem vota rata valere, ſic irrita cadere dicebantur; de quibus & aliis votorum formulis prolixe agit Briſſonius (k).

VOTA MAGISTRATVVM.

Iisdem fere ritibus conſtabant vota, quæ nuncupabantur atque ſoluebantur a magiſtratibus. Vel enim pro felici euentu belli vota nuncupabant, ſi bellatum proſpere eſſet (l), vel pro valetudine populi, pro qua ædem Apollini votam teſtatur Liuius (m). Sic & valetudinis cauſſa Conſul Apollini, Aeſculapio, Saluti dona vouit (n). Atque talia vota ex Senatus conſulto, con-

 ceptis

(g) *lib. I el. III v. 27.* (h) Choulius *de religione p. m. 272.* (i) *XII Aen. v. 766.* (k) *lib. I de formulis p. m. 95. & ſeqq.* (l) Liuius *XXII c. IX.* (m) *LV c. XXV.* (n) Liuius *XL c. XXXVII.*

ceptis verbis nuncupabantur. Quale votum M. Anicius Glabrio conſul, præeunte Licinio pontifice maximo nuncupauit (o): *Si duellum, quod cum Antiocho rege ſumi populus iuſſit, id ex ſententia ſenatus populique Romani confectum erit; tum tibi Iupiter populus Romanus ludos magnos dies decem continuos faciet: donaque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam ſenatus decreuerit. Quisquis magiſtratus eos ludos quando vbique faxit, hi ludi recte facti, donaque data recte ſunto.* Quod votum erat conceptis verbis, quod in omni quoque deuotione, de qua capite priori diximus, ſolenne erat. Atque talis voti exempla reperimus & apud Liuium (p), vbi ludos Ioui donumque vouere conſulem iuſſit Senatus, cui prouincia Macedonia eueniſſet, cui voto cum Licinius pontifex maximus intercederet, ex pecunia incerta voueri non licere adſerens; licere tamen pontificum collegium decreuit, votaque præeunte pontifice maximo ſuſcepta. Sæpe & in medio belli diſcrimine Imperatores dubio Marte pugnantes templa plerumque & ludos diis vouebant, quoniam tum præcipuus votorum locus, cum ſpei nullus eſt (q). Exemplum Romuli in pugna cum Sabinis Ioui Statori templum vouentis adfert Liuius (r). Idem & Appium Claudium in bello contra Samnites ita precantem inducit (ſ): *Bellona, ſi hodie nobis victoriam duis, aſt ego templum tibi voueo.* Quod votum niſi poſtliminio comprobaretur, vel de manubiis vel de proprio ſoluendum erat. Maxime vero ſolenne votum erat, cum cenſores luſtrum conderent vt ſolito ſacrificio, præeunte ex tabulis pontifice, dii rogaren-

(o) Liuius *XXXVI c. II.* (p) *XXXI c. IX.* (q) Plinius *VIII c. XVI.* (r) *I c. XII.* (ſ) *X c. XIX.*

garentur, vt populi Romani res meliores facerent, quod Scipio Africanus cenſor factus mutauit, & cum ſatis magnas bonasque eas putaret, precatus, vt eas perpetuo incolumes ſeruent (t). Sed præter hæc cenſorum vota, alia erant, quæ Dictatores, conſules & prætores cum in prouincias proficiſcebantur, nuncupabant, eaque non ſolum conceptis verbis nuncupabantur, ſed & in tabulas præſentibus multis referebantur, ſecundum Feſtum. Nec enim niſi votis rite nuncupatis, in prouincias proficiſci mos erat. Quare arguebatur C. Flaminius, quod non auſpicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde ad prouinciam (u). Et Cicero Antonio exprobrabat, quod neque ſacrificiis ſolennibus factis, neque votis nuncupatis profectus eſſet paludatus (x). Et quidem vel hoſtias maiores, vel ludos, vel certam pecuniæ ſummam, aliaque dona vouebant, ſi per quinquennium reſp. in eodem ſtatu fuiſſet (y). Dicta hæc vota quinquennalia (z), ab iis tamen, quæ Imperatorum tempore fieri ſolita, diſtincta. Eodem modo & ex decreto Senatus ludi vouebantur Ioui, donaque circa omnia puluinaria dari, ſi respublica decem annos in eodem ſtatu ſtetiſſet (a). Inter alia autem ſummis neceſſitatibus adducti, *Ver Sacrum* vouere ſolebant, de quo tamen populus prius conſulendus erat. Singula hæc deſcribit Liuius (b); *L. Cornelius Lentulus pontifex maximus, conſulente collegium prætore, omnium primum populum conſulendum de vere ſacro cenſet: iniuſſu populi vo-*

 ueri

(t) Valerius Maximus *lib. IV c. I n. 10.* (u) Liuius *XXI extremo.* (x) *Philipp. V c. IX.* (y) Liuius *XXX c. XXVII.* (z) Liuius *XXXI c. IX.* (a) Liuius *XLII c. XXVIII.* (b) Liuius *XXII c. X.*

ueri non poſſe. Regatus in hac verba populus : Velitis iubeatisne hoc ſic fieri, ſi res publica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, ſicut velim eam, ſalua ſeruata erit hiſce duellis, datum donum duit populus Romanus Quiritium, [quod duellum populo Romano cum Carthaginienſi eſt, quæque duella cum Gallis ſunt, qui cis Alpes ſunt] quod ver attulerit ex ſuillo, ouillo, caprino, bouillo grege, quæque profana erant, Ioui fieri, ex qua die ſenatus populusque iuſſerit. Qui faciet, quando volet, quaque lege volet, facito : quo modo faxit, probe factum eſto. Si id moritur, quod fieri oportebit, profanum eſto, neque ſcelus eſto, ſi quis rumpet occidetue inſciens, ne fraus eſto ſi quis clepſit, ne populo ſcelus eſto, neue cui cleptum erit. ſi atro die faxit inſciens, probe factum eſto. ſi ante id ea ſenatus populusque iuſſerit fieri ac faxit, eo populus ſolutus, liber eſto. Videmus hinc, ver ſacrum fuiſſe pecus natum inter Kalendas Martias & pridie Kalendas Maias (c). Feſtus explicat, quæ proximo vere nata eſſent animalia. Qui etiam liberos eo contineri putat, quod tamen cum crudele videretur pueros ac puellas interficere, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines ſuos exigebant. Idque a Græcis hauſere Romani, docente id Briſſonio (d).

VOTA PVBLICA

Prima vota publica vniuerſa Italia pro ſalute Pompeii, cum in Campania grauiſſima tentaretur valetudine, ſuſcepit (e). Quod & Iuuenalis innuit, dum ita canit (f) :

proui-

(c) Liuius *XXXIV c. XLIV.* (d) *lib. I de formulis p. m. 58.* (e) Velleius Paterculus *II c. XLVIII.* Dio Caſſius *lib. XLI p. m. 155.* (f) *ſat. X v. 283.*

prouida Pompeio dederat Campania febres
optandas, ſed multæ vrbes, & publica vota vicerunt.

Ex quo dein originem traxit vt pro Cæſarum ſalute vota publice nuncuparentur. Pontifices quippe & ſacerdotes, immo & vniuerſus ſenatus vota pro incolumitate principis ſuſcipiebat (g). Vota autem hæc alia quotannis nuncupabantur, alia ſingulis luſtris vel decenniis. Prima nuncupabantur principio anni (h), ſeu poſt Kalendas Ianuarii die tertio, vti docet Caius (i); & quod idem eſt, pro more veterum loquendi, tertio Nonas Ianuarii, connumeratis ipſis Kalendis. Eadem die qua Cicero natus eſt ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νεῶν καλανδῶν, ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται, καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος, *poſt diem tertium Kalendarum, quo die nunc magiſtratus pro principe vota nuncupant & ſacrificant*, vti inquit Plutarchus (k). Capitolinus (l) inquit, *ante tertium Nonarum diem, votis ipſis, milites Maternum Laſciuium, ſenatorem nobilem ducere in caſtra voluerunt.* Ipſe enim dies adpellabatur vota. Clarius id patet ex inſcriptionibus fratrum arualium apud Gruterum (m), quæ teſtantur Kl. Ianuarii Sulpicium Camerinum Magiſtrum Collegii Fratrum Arualium, immolaſſe in Capitolio pro ſalute Neronis varias hoſtias, ſubſequitur:

ISDEM. COS. III. NONAS. IANVAR
SVLPICIVS. CAMERINVS. MAGISTER. COLLEGI. FRATRVM. ARVALIVM. NOMINE. VOTA. NVNCVPAVIT
PRO. SALVTE. NERONIS. - - - -

(g) Tacitus *Ann. IV c. XVII & XII c. LXVIII.* (h) *XVI Ann. c. XXII.* (i) *l. CCXXXIII § 1 de V. S.* (k) *in vita Ciceronis ab initio* (l) *Pertinace c. VI.* (m) *p. m. CXVIII.*

- - - - - - - - - - - - ET OCTAVIAE. CONIVGIS. VICTIMIS. IMMOLATIS. IN. CAPITO LIO. QVAE. SVPERIORIS. ANNI. MAGISTRI. VOVE RANT. PERSOLVIT. ET. IN. PROXIMVM. ANNVM. NVNCV PAVIT. PRAEEVNTE. M. APONIO. SATVRNINO

Kalendis itaque Ianuarii, quibus ab Auguſti temporibus & in acta principis iurabatur (n), vota ſoluebantur, quæ III Nonas Ianuarii ante annum erant nuncupata. Exinde incipientis anni ſolennia hæc vocat Tertullianus (o). Quare & Kalendas Ianuarii & vota, ſeu ipſum votorum diem, expreſſe diſtinguit Suetonius: (p) duplicem autem quantum ad loca, votorum nuncupationem facit Tertullianus: primam in principiis, ſecundam in Capitoliis. In principiis dicebantur, quæ in caſtris nuncupabantur; cum principia diceretur ille locus, qui religioni & iudiciis ſacer. In Capitoliis, ea quæ in vrbe Roma ſolennis erat. Addimus & tertiam ſpeciem, dum curante commilitonum & prouincialium pietate, vota ſuſcipiebat proconſul vel proprætor (q). Addebantur hiſce votis ſequiori tempore ex omni imperio Romano dona, quæ ſolidis obryziacis, vel auri maſſa conſtabant, illudque dicebatur *aurum oblatitium* (r). Alia vota ſingulis luſtris ſuſcipiebantur, de quibus Suetonius (ſ) ait: *vota quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt.* Originem huius ab Auguſto ducit Dio (t), cui per luſtra imperium prorogatum: *διὰ τοῦτο* inquit Dio, *καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, καίτοι μηκέτ' ἐς ῥητὸν χρόνον, ἀλλ' ἐς πάντα καθά-*

(n) Dio *lib. LVII p. m. 607.* (o) *de corona militis, cap. LII* (p) *Nerone c. XLVI.* (q) Plinius *X ep. CI.* (r) *lege vnica Codicis de votorum oblatione.* (ſ) *Aug. c. XCVII.* (t) *lib. LIII p. m. 506. 507.*

καθάπαξ τὸν βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονείαν αὖθις τότε ἀνανεούμενοι καὶ τοῦτο καὶ νῦν γίγνεται) quam ob cauſſam poſteriores quoque imperatores, etſi non ad certum tempus, ſed per omne vitæ ſpatium iis imperium deferatur, tamen ſingulis decenniis feſtum pro eius renouatione agunt, quod hodie etiam fit. Ea tamen differentia, vt non imperium ſibi, exacto decennio, Scto confirmari peterent, ſed vltro adſererent. Quod de Tiberio firmat Dio Caſſius (u), de cuius imperii anno viceſimo, ait: *οἱ δ' ὕπατοι Λούκιός τε Οὐιτέλλιος καὶ Φάβιος Πρίσκος τὴν δεκετηρίδα ὠνόμαζον, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονείαν αὖθις αὐτῷ κατὰ τὸν Αὔγουστον διδόντες. Conſules vero Lucius Vitellius & Fabius Priſcus decennalia nuncuparunt quaſi & ipſi vti Auguſto imperium prorogarent.* Ita Seuerus poſtquam decennium attigit principatus ſui, congiario populo & prætorianis militibus dato, eis tot aureos dedit, quot annos imperauerit (x). Decennalia quoque in Gallieno Salonino memorat Trebellius Pollio (y). Ceſſerunt ergo in locum votorum, quæ Cenſores libera republica pro felici ſtatu reipublicæ nuncupauerant. Non enim pro ſolis imperatoribus vota fiebant, ſed etiam pro ſtatu publico *ὑπέρ τε τοῦ αὐτοκράτορος καὶ ὑπὲρ τοῦ δημοσίου* vti inquit Dio (z) & Plinius (a), cum prioribus ſolutis, noua vota nuncupata Traiano nuntiauerat, addit: *precati deos, vt te remque publicam florentem & incolumem ea benignitate ſeruarent, quam ſuper magnas plurimasque virtutes pracipua ſanctitate conſequi deorum honore meruiſti.* Precabantur autem imperatoribus vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam,

(u) *lib. LVIII p. m. 636.* (x) Dio *lib. LXXVI ab initio*, (y) *in vita c. III* (z) *lib. LVIII.* (a) *Cep. CI.*

ram, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum (b). Votaque faciebant his verbis: TVNC TIBI IVPITER BOVE CORNIBVS AVRO DECORATIS VOVEMVS ESSE FVTVRVM (c). Quod idem docet inſcriptio fratrum Arualium apud Gruterum & inſcriptio alia (d)

VOTA. FAVENTINVS. BIS. DENI.
SVSCIPIT. ORBIS
VT. MACTET. REPETENS. AVRATA. FRONTE. BICORNES.

vbi per vota bis deni orbis vota vicennalia intelliguntur. Idque etiam per tabulas olim agebant; quod verba Suetonii notant (e), vbi Auguſtus ſe, *quanquam conſcriptis paratisque iam tabulis negauit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus.* Docent id quoque tabellæ votiuæ, quarum aliquas expreſſas videmus apud Briſſonium, (f) & Plinius qui epiſtolam (g) ſuam ad Traianum ita finit: *precati deos vt velint ea ſemper ſolui ſemperque ſignari.* Priora enim ſoluenda erant, antequam noua ſuſciperentur. Quo facit alia Plinii epiſtola, (h) vbi ad Traianum: *Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres lætique perſoluimus, nouaque rurſus curante commilitonum & prouincialium pietate ſuſcepimus.* M. Antonini & ſucceſſorum temporibus in nummis reperimus PRIMI DECENNALES, SECVNDI DECENNALES, VOTA SOL. DECENN. II, VOTA SVSCEP. DECENN. III. Prima primo imperii anno inibantur, ſecunda decimo imperii anno ineunte, tertia vigeſi-

(b) Tertullianus *apologetic. c. XXX.* (c) *de corona c. XII.* (d) *p. XXVII n. 4.* (e) *Auguſto c. XCVII.* (f) *de formulis lib. II p. m. 104.* (g) *lib. X ep. XLIV.* (h) *lib. X ep. CI.*

mo imperii anno : primis enim decennalibus ſolutis ſecunda ſuſcipiebantur. Vicennaliorum alia erant vota alia vicennalia edita. Nuncupabantur decimo imperii anno, ſoluebantur vigeſimo Hinc in M. Antonini nummis tria reperimus decennalia, tertia enim decennalia nuncupata quidem fuere, non æque ſoluta, quia per viginti quatuor tantum annos imperium tenuit. Non raro vota quoque multiplicabantur, de quo Tacitus (i), *ſenatus* ait, *verum Poppaa commendauerat diis, votaque publice ſuſceperat, qua multiplicata exſolutaque.* Hinc poſteriori maxime tempore ſæpius in nummis, vel coronæ vel labaro vel cippo inſcripta videmus VOT. X MVLT. XX *votis decennalibus, multiplicatis vicennalibus.* In aliis SIC X SIC XX & SIC XX SIC XXX. Cum enim decennalia feliciter peracta eſſent, eandem felicitatem quoque vicennalibus adprecabantur. Quo facit & lapis priſcus

TIBERII AVG. CAES. PRIMA
DECENNALIA. FACTA. VOTA
VICENNALIA. SVSCEPTA.

Hæc autem vota omni lætitiæ publicæ genere nuncupabantur atque ſoluebantur; immo mactabantur pro ſalute principis hoſtiæ, edebantur Circenſes, celebrabantur feſta cum pompa ſplendidiſſima, liberabantur captiui (k), magna argenti vis inter populum diſpergebatur (l). Focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu aboleſacere, vino lutum cogere tunc ſolenne erat inquit Tertullianus (m). Vltimis

(i) *Ann. XV c. XXII.* (k) Euſebius *hiſt. eccl. VIII c. XII & XXVI.* (i) *de vita Conſtantini III c. XXI.* (m) *apologetico c. XXXV.*

mis Imperatorum temporibus, ob decennalia hæc, munera quoque fuiſſe addita ex Symmacho diſcimus, qui ad Theodoſium ita ſcribit (n): *Diuis parentibus tuis ob decennium ſingulis minor ſumma decreta eſt. Etiam Diuus frater manſuetudinis veſtræ cum tertium luſtrum aui Imperialis exigeret, parciore munificentia bonoratus aſſeritur. Nunc in amorem tuum ſtudia noſtra creuerunt. Nam mille ſexcentas auri libras, decennalibus Imperii tui faſtis deuotus ordo promiſit, vrbanis ponderibus conferendas, id eſt, trutinæ largioris examine.* Ex quo etiam, dum de luſtris agit Symmachus, videmus, per ſingula decennia vota quidem fuiſſe nuncupata, quolibet autem quinquennio ob donorum oblationem quam adpetebant Imperatores, fuiſſe ſoluta. Quare & Nazarius in panegyrico ſuo de Conſtantino: *quintum decimum annum maximus princeps ſalutaris imperii degit, ſed auguramur iam vicennalia, & venturi fidem ſuperiorum felicitate ſancimus:* qui & de votis Licinii, Criſpi & Conſtantini Cæſarum hæc ſubdit: *quinquennalia beatiſſimorum Cæſarum occupatos in gaudiis habent, ſed in deſtinatis decenniis iam vota properantia & ſpes volucres conſliterunt, horum dehinc compotes propagabimus optabilis boni ſeriem* (o). Succeſſu temporis natales quoque & quo ſuſceperant imperium, dies celebrabatur (p), quo & iuſiurandum a militibus & prouincialibus præſtabatur, & vota publica fiebant (q), quod etiam ex tabula votiua docet Briſſonius (r). Inde pro qualibet fere neceſſitate in Imperatorum fauorem vota nuncupa-

(n) Symmachus *X ep. XXVI.* (o) Carolus du Freſne *in diſſert. de infer. aui numiſm. n. 4.* (p) Plinius *X ep. LX & CIII.* (q) Plinius *X ep. LX.* (r) *lib. II de formulis p. m. 104.*

Digitized by Google

cupabantur publica, vt pro ſalute itus ac reditus (ſ). Hinc Ammianus de Iuliano Cæſare (t): *Cum eum profectum deduceret multitudo promiſcua, itum felicem, reditumque glorioſum exoptans.* Sic ludi votiui pro reditu Auguſti ex SCto facti (u). Sed & pro ipſorum, qui ex domo Auguſta erant, ſalute atque incolumitate vota referebant, quod de Germanico teſtatur Tacitus (x). Nero autem grauiter tulit, quod pontifices Neronem quoque & DruſumCæſ. diis commendarent,& æquarentur adoleſcentes ſenectæ ſuæ (y). Inde quoque cœpit, vt in omnibus epiſtolis vota facerent ſecundum Dionem (z), & priuatim alias pro Principum ſalute vota ſoluerent: quo facit inſcriptio apud Reineſium (a);

IN. H. D. D. GENIO MARTIS
GNAIVS. VINOONIVS. MESSOR
V. S. L. L. M.

in qua litteræ in H. D. D in honorem Domus diuinæ notant. Immo non pro ſe ſolum ſed ſuis etiam priuati vota faciebant atque ſoluebant, quod docet lapis priſcus (b)

EX VOTO DONVM
POSVIT. C. TETTIVS
FESTVS. PRO. SE
ET. SVIS. L. D. D. D.

(ſ) Gruterus *p. II n. 12.* Suetonius *Caligula c. XIV.* Briſſonius *c. l.* (t) Ammianus *lib. XXIII p. m. 339.* (u) Gruterus *p. XI n. 1.* (x) *Ann. II c. LXIX.* (y) Tacitus *Ann. IV c. XVII.* (z) *lib. LVII p. m. 608.* (a) *p. m. 122.* (b) Thomaſinus *de donariis p. m. 124.*

Immo pro aliis :

IOVI O. M.
TERTIVS BIWO
PRO SALVTE
PETRONII MERVLAE
P. PETRONII F.
V. S.

* * * * * * * * * * *

CAPVT SEXTVM

De

IMPETRITO, SCIENTIA AVGVRALI, HARVSPICVM DISCIPLINA, ORACVLIS, PRODIGIIS, SORTIBVS ET SACRIS MAGICIS.

INter Veteres qui ad Oraculorum & magiæ naturalis apud Romanos notitiam faciunt, ſcriptores habemus aliquot, pleroſque tamen deperditos. VERANII quidem *Augurales libros* citat Feſtus (c), vti & APPII PVLCHRI *libros auguralis diſciplinæ* (d). Scripſerat hunc librum Appius ad Ciceronem, de quo ipſe teſtis eſt Cicero (e). Et pro eo grates agit, eumque ad commune otium ſeruare iubet (f). Vti autem pontifices ſuos habebant pontificales, ita & augures ſuos habebant augurales, in quibus omnis eorum ſcientia perſcripta erat, ad quos prouocat Cicero (g) & Seneca (h). Alii vero erant, qui

(c) *voce paludati.* (d) *voce ſolliſtimum.* (e) *III ad Fam ep. IV.* (f) *III ad Fam. ep. IX & XI.* (g) *I de diuinatione c. XXXIII.* (h) Seneca *ep. CVIII.*

qui ad haruſpicum diſciplinam faciebant, Etruſcorum *haruſpicini, fulgurales* & *rituales* libri, quos idem adducit Cicero. Fulguralium quidem mentionem quoque facit Ammianus Marcellinus (i), qui & libri exercituales aruſpicum eidem dicti, atque de tonitruum & fulgurum ſignis iudicabant. *Rituales* autem, ait Feſtus, *nominabantur Etruſcorum libri, in quibus perſcriptum, quo ritu condantur vrbes, aræ, ædes ſacrentur, qua ſanctitate muri, quo iure portæ, quo modo tribus, curiæ, centuriæ diſtribuantur, exercitus conſtituantur, ordinentur, cæteraque eiusmodi ad bellum ac pacem pertinentia*, quos & adlegat Cenſorinus (k). CORNELII LABEONIS *de oraculo Apollinis Clarii* librum citat Macrobius (l). *Sibyllini* atque fatidici libri in cura erant Quindecim virorum ſacris faciundis. Notior eſt hiſtoria, quam vt eam hic adducamus, de anu quam Sibyllam nuncupabant, quæ nouem ſecum ferens libros, Tarquinium Superbum, [male apud Lactantium (m) Priſcum] adierit, immenſum pro iisdem expoſcens pretium; deriſa mulier in focum qui prope erat, tres de iisdem proiiciens, pretio tamen reliquorum ſex non imminuto; & cum nihilominus pro delira haberetur, alios tres in flammam proiiciens, idem pro tribus reliquis, quod de omnibus nouem antea, pretium expoſcens. Inuſitata res tanquam diuinitus miſſa accipiebatur, emebantur libri, pretio quod poſtulauerat anus; atque in ſacrarium condebantur, vti totam hanc rem narrat Gellius, (n) atque Halicarnaſſenſis (o). Vtebantur autem iis ex Scto, ſi quando ſeditio-

(i) *lib. XXIII p. m. 245. 246.* (k) *de die natali c. XI & XVII.* (l) *l. c. XVIII.* (m) *l. c. VI.* (n) *l. c. XIX.* (o) *lib. IV p. m. 259.*

ditionibus turbaretur ſtatus reipublicæ, vel funeſta clades accepta, vel prodigia atque portenta adparuerant atque tunc deos conſulere iubebantur XVuiri. Quare etiam libri fatales dicti Romanis (p), vti Liuius (q) quos modo Sibyllinos dixerat, ſtatim fatales adpellat: *tetra prodigia nuntiata ſunt, decemuiri libros Sibyllinos adire iubebantur, qui inſpectis fatalibus libris, retulerunt patribus.* Alii ergo ſine dubio fuere & priuati Etruſci libri fatales, quibus ex Varrone ætatem hominis duodecim hebdomadibus deſcribi ait Cenſorinus (r). Adſeruati vero fuere vsque ad bellum Marſicum in cella ſubterranea templi Capitolini, incluſi arcæ lapideæ, tandem vero cum Capitolio concremati, aliique ſubſtituti ex aliis vrbibus partim adlati, partim deſcripti (ſ). Dicit enim Lactantius (t) ex FENESTELLA, quem diligentiſſimum ſcriptorem de XVuiris facit, reſtituto Capitolio, retuliſſe ad ſenatum C Curionem Coſ. vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent: itaque miſſos eſſe P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium, qui deſcriptos a priuatis verſus circa mille Romam deportarunt. Cum vero multi ſupponerentur, in his quoque delectum habuit Auguſtus (u). Horum librorum inſpectionem poſteriora tempora ſilent, reduxit tamen vſum Aurelianus (x), & poſt eum Iulianus (y). Demum palam abdicati a Theo-

(p) Liuius *I c. XIV. XXII c. LVII.* (q) *XXII c. IX.* (r) *de die natali c. XIV.* (ſ) Halicarnaſſenſis *c. l.* (t) Lactantius *I c. VI.* (u) Suetonius *Auguſto c. XXXI.* (x) Vopiſcus *Aureliano c. XVIII.* (y) Ammianus Marcellinus *lib. XXIII p. m. 238.*

Theodoſio M, & iuſſu Honorii concremati ; id quod queritur Rutilius (z)

nec tantum Geticis graſſatus proditor armis,
ante Sibyllinæ fata cremauit opes.

Præter hos erant & *carmina Marciana*, a vate quodam illuſtri, cui Marcii nomen, conſcripta, quorum conquiſitio ex Scto quandoque facta (a). Hanc autem Marciorum vatum diuinationem adpellat Symmachus, (b) & caducis corticibus inculcata ait, vti Cumanos monitus lintea texta. In priuatorum manibus tales libri vaticini haut facile relinquebantur, ea potiſſimum ex ratione, ne externi ſacrorum ritus introducerentur. Quare & Scto edictum, bello Punico ſecundo, vt quicunque libros vaticinos precationesque aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet, eos libros omnes litterasque ad Prætorem deferrent (c). Ex ſeculo quarto habemus IVLIVM OBSEQVENTEM, cuius *de prodigiis* liber imperfectus tantum ad nos peruenit. Cum enim prodigia ab V. C. vsque ad Auguſti tempora, ſermone ſuo perſecutus fuerit, prior pars plane deperiit, ita vt initium tantum habeamus a L. Scipionis & C. Lælii conſulatu. Fragmentum hoc primus in lucem protraxit Aldus, *anno 1508* ; poſt, priorem quæ deperiit partem ex ſcriptoribus Romanis ſupplere conatus fuit Conradus Lycoſthenes, quæ ſupplementa editioni Baſileenſi *1551* adiecta, additis aſteriſcis, qui ſupplementa ab Obſequentis verbis diſtinguerent, qui tamen cum in editione Lugdunenſi poſt facta, omiſſi, in cauſſa fuere vt Lycoſthenis addita paſſim pro ipſo Obſequente haberentur. Sunta-

(z) *Itinerario lib. II v. 51.* (a) Liuius *XXV c. XII.* (b) *lib. IV ep. XXXIV.* (c) Liuius *XXV c. I.*

tamen Obſequenti in recentiori editione vindicauit Ioannes Schefferus, *Amſtelodami 1679 8.* E noſtrorum temporum ſcriptoribus habemus quoque quos huc feramus. E priori quidem ſeculo AVGVSTINVS NIPHVS philoſophus inſignis *de auguriis* conſcripſit libros duos *Baſileæ 1534. 4, & Marpurgi 1614. 4.* quorum primo ipſas veterum opiniones de auguriis, & quibus auguriorum ſuperſtitio conſtiterit explicat, altero omnia hæc reprobat & ipſa veterum fundamenta refellit. IOANNI PIERIO VALERIANO *de fulminum ſignificatione* declamationem debemus, quam occaſione fulgurum & oſtentorum, quæ Kl. Iulii anni M. DXVII adparuerant, cum Leo X XXXI Cardinales crearet, conſcripſit. Cum enim quid portenderent illa, anxii eſſent omnes, ipſe non ſolum fulminum ſignificationem inanem, nec de eadem diſquirere Chriſtianis eſſe conueniens oſtendit, & ſi vel maxime fulmina quid portendere quis vellet, longa antiquiſſimorum temporum obſeruatione inductus, non niſi tranquillam Chriſtianorum quietem, & ſi quæ res geratur, felicem euentum iis portendi contendit. Atque ea ratione fulminum differentias, partes templi auguralis & varia adducit exempla. Multa eruditione referti ſunt CASPARIS PEVCERI *de præcipuis diuinationum generibus Commentarii*, quibus etiam magnam ſibi famam parauit auctor, prodiere *Witteberga 1553. 8;* quibus in id intentus, vt veras atque propheticas prædictiones a ſuperſtitioſis & diabolicis bene diſtinguat, harumque fontes monſtret & condemnet. Singulas quoque diuinationum & fatidicorum tum deorum tum hominum ſpecies, hiſtoriam & quæ in ſingulis vel vera vel vana, expoſuit egregie IANVS IACOBVS BOISSARDVS in

in tractatu ſuo poſthumo, eoque hodienum rariſſimo, *de diuinatione & magicis præſtigiis.* Prodiit additis ipſis vatum effigiebus, per Theodorum de Bry eleganter æri inciſis, *Oppenheimi 1602 f.* in quo & ſimul varia de prophetarum, ſacerdotum, phœbadum, Sibyllarum & ſimilium oraculis extant. Negandum quidem non eſt, in variis diuinationum ſpeciebus, & tum præſtigiorum magicorum, tum vaticiniorum exemplis atque locis ex antiquitate eruendis egregium eſſe Boiſſardum; ſed nimis quandoque credulum, & telum quod exorſus fuerat, citius nonnunquam abrumpentem. Elegantiſſima æque atque doctiſſima eſt IOANNIS BAPTISTAE BELLI *de partibus templi auguralis* diatriba, quæ prodiit *1637. 12,* qua ipſas auguralis templi deſcriptiones, & quid dextra ſit auguralis, egregie explicat. Omnia vero, quæ circa diuinationes gentium ritibus obſeruata fuere, explicauit *Iulius Cæſar Bulengerus.* Inter opera enim eius *Lugduni 1621 f* coniunctim edita, tomo quidem primo continentur & libri ſex *de oraculis, ſortibus, auguriis, auſpiciis, ominibus, prodigiis, terræ motu & fulminibus.* Singula ſecundum partes ſuas examinat atque ex ſcriptoribus Romanis & Græcis dilucidat egregie, vt in hiſce materiis primas ſine dubio ferat. Partem conſtituunt cum Valeriani, Niphi & Belli opuſculis, de quibus modo egimus, tomi quinti Theſauri Græuiani. SIBYLLINA ORACVLA ex Codicibus antiquis depromſit & notis illuſtrauit ediditque IOANNES OBSOPOEVS, cum interpretatione latina Sebaſtiani Caſtalionis, *Pariſiis 1599 8.* Adiectus quoque ONVPHRII PANVINII tractatus *de Sibyllis.* Melius tamen fecerit, qui cum Scaligero, Caſaubono, van Dalen aliisque viris celeberrimis, hæc Si-

byllina pro ſuppoſititiis habuerit. Nec enim ipſa Sibyllarum vti fingebant, eſſe poſſunt, cum ea vti diximus, concremata; nec ea quibus Romani vſi, cum antiquisſimum loquendi morem minime ſeruent. Immo ex verbis ſatius elici poterit, a Chriſtiano quodam potius eſſe conficta, ad conuincendas gentes, cum tali fraude pia haut raro vſi fuerint veteres Chriſtiani. De veritate autem horum carminum varie inter ſe diſceptarunt eruditi. ERASMVS SCHMIDTIVS quidem tribus orationibus *de Sibyllis & libris Sibyllinis* illa tanquam genuina laudat & defendit; prodiere eius nouo Teſtamento adiectæ *Noribergæ 1658 f.* Hunc ſecutus eſt ISAACVS VOSSIVS, qui ſingulari libello defendenda eadem ſuſcepit, & multis probat vaticinium de Chriſto rege, ethnicis non fuiſſe incognitum. Quare & hæc ab ethnicis conſcribi potuiſſe, cum ex multis conſtare dicat, ante aduentum Chriſti ea fuiſſe ſcripta, licet a Chriſtianis multa interpolata non neget. Prodiit hic de Sibyllinis aliisque quæ Chriſti natalem præceſſere oraculis, libellus *Lugduni Batauorum 1680 12.* Poſtea cum eiusdem *variarum obſeruationum libro, Londini 1685. 4.* DAVID BLONDELLVS in ſuo *de Sibyllis* tractatu erudito, præter earum hiſtoriam, carmina quoque poſt natum Chriſtum demum confecta, declarat; prodiit gallice *Charentoni 1649. 4.* Contra hunc, pro Sibyllinorum maxime carminum auctoritate agit IOANNES CRASSETVS, S. I. Gallus, qui diſſertationem ſuam *de oraculorum Sibyllinorum veritate Pariſiis* edidit *1678 12.* Patrum plerumque nititur teſtimoniis, qui veritatem hiſce Sibyllinis adſtruxerunt. Blondelli tamen cauſſam ſuſcepit IOANNES MARCKIVS, in *diſſertationibus academicis duo-*

duodecim, Franeckeræ 1682. 8. editis, quibus & contra Voſſium & Craſſetum agit, ſua argumenta contra Sibyllinorum auctoritatem firmat, aliter ſentientium grauiter refutat, & Sibyllarum hiſtoriam aliaque neceſſaria perſequitur egregie. Noua quidem diſſertationis ſuæ editione quæ *Pariſiis 1684. 12* facta, reſpondet ad Marckii argumenta Craſſetus, ſed nec hanc reſponſionem intactam iſte relinquere voluit, quin repetitas Craſſeti ineptias de Sibyllinis oraculis explodat in præfatione, quam præmiſit *exercitationibus* ſuis *iuuenilibus*, in academia Franeckerana habitis, prodiere *Gröningæ 1686. 8.* Nec mirum tam acerrime pro Sibyllinorum carminum auctoritate contendere pontificios, cum purgatorio in iisdem cauſſa ſit dicta. Plenius omnem rem Sibyllarum tractat SERVATIVS GALLAEVS, in diſſertationibus ſuis *de Sibyllis, earumque oraculis*, quæ prodiere *Amſtelodami 1688. 4* adiectis figuris æneis, quibus omnia argumenta, quæ in hanc & illam partem adferuntur, veterum inprimis teſtimonia ad examen vocat, & tandem re bene examinata diiudicataque Marckium contra Craſſetum defendit, omnemque Sibyllarum hiſtoriam exponit. DANIEL CLASENIVS, Helmſtadienſis, tractatum compoſuit *de oraculis gentilium, & vaticiniis Sibyllinis*, tribus libris conſtantem, qui *Helmſtadti 1673. 4* prodiit. Quod ſcriptum eruditum eſt & elegans, oraculorum antiquitatem, cauſſas & cæremonias inueſtigans, quæ apud gentes obtinuerint, docens, Sibyllarum ortum atque hiſtoriam illuſtrans, atque de earum vaticiniis controuerſiam declarans. GEORGIVS MOEBIVS *de oraculorum ethnicorum origine, propagatione & duratione Lipſiæ 1656. 4* tractatum ediderat, in quo diabolum horum auctorem

facit. Sed contra eum egit ANTONIVS VAN DALEN, cuius *de ethnicorum oraculis* extant *diſſertationes duæ, quæ* prodierunt *Amſtelodami 1683. 8.* Quarum prima non infirmis argumentis oraculorum defectum cum nato Chriſto denegat, & exemplorum potius auctoritate ad Theodoſii filios ea duraſſe probat. Altera gentilium vaticinia nec dæmoni adſcribenda, nec ſupra naturam fuiſſe probat, ſed omnia vatum & fatidicarum mulierum præſtigiis attribuenda. Vtrisque varia non proletaria de ſacris tauroboliis, libris Sibyllinis, & variis oraculorum ſpeciebus intermiſcet; demum de ethnicorum conſecrationibus ſchediasma adnectit. Sed in iterata editione, quæ *Lipſiæ* facta *1685. 4*, tractatus ſui, ſe defendit contra van Dalen Mœbius, oraculorum etiam ſedes & fontes exhibens, qua in re cum diuinis conueniant, vnde futurorum cognitionem habuerint, & quo vsque durauerint, docens. Mœbio tamen reſpondet van Dalen in nouo tractatu, quem Belgico idiomate emiſit *de oraculis ethnicorum Amſtelodami 1687. 8*, qui in plerisque quidem cum priori conuenit, in aliis tamen diſcrepat atque locupletior eſt.

Diuinationum genera apud Romanos varia erant, alia artis, alia naturæ (d). Omnia comprehendit Cicero (e), dum ait: *quæ eſt autem gens, aut quæ ciuitas, quæ non aut extis pecudum, aut monſtra & fulgura interpretantium, aut augurum, aut aſtrologorum, aut ſortium, [ea enim fere artis ſunt] aut ſomniorum, aut vaticinationum [hæc enim duo naturalia putantur,] prædictione moueatur?* Eadem fere enarrat idem Cicero (f), vbi.

(d) Cicero *I de diuin. c. VI & XVIII.* (e) *I de diuinat. c. VI.* (f) *de diuin. II c. VI.*

bi loquitur : *quid exiſtimandum eſt de coniectura eorum, qui extis aut auibus, aut oſtentis, aut oraculis, aut ſomniis futura præſentiunt. Nondum dico, quam hæc ſigna nulla ſint, fiſſum iecoris, corui cantus, volatus aquilæ, ſtellæ traiectio, voces furentium, ſortes, ſomnia.* Sex ita diuinationum erant ſpecies : prima per exta, ex haruſpicum diſciplina ; altera per aues, ex augurali ſcientia ; tertia ex ſideribus, per aſtrologos ; quarta per ſortes ; quinta per ſomnia ; ſexta per vaticinationes, Sibyllarum ſcilicet & oracula : de ſingulis nunc ſpeciatim.

DE AVGVRALI DISCIPLINA

Augurium atque auſpicium vnum idemque erat, qui enim primum auſpices dicti, poſt augures adpellati (g). Seruius (h) quidem ab inuicem diſtinguit ea, & auſpicia omnium rerum eſſe, auguria certarum ait : *auſpicari* addit, *cuiuis etiam peregre licet ; augurium agere niſi in patriis ſedibus non licet.* Verum quidem eſt, quod ii qui extra vrbem Romam, Coſſ., duces militares, aliique auſpicari dicerentur (i), vſus tamen ſcriptorum ea fecit promiſcua. Ita Cicero (k) cum dixerat, *rerum bene gerendarum auctoritates augurio contineri*, alio loco (l) dicit ; *nihil publice ſine auſpiciis nec domi nec militiæ geri.* Vtraque iungit & confundit, dum Vatinio obiicit ; (m) *an qui tua ſemper ſic egiſſes auſpicia, fueris auguria diſſoluturus.* Dicebatur hæc diſciplina auguralis, vti Cicero ipſe augur eam adpellat *noſtram diſciplinam* (n) & conſtabat ex ſignis atque auſpiciis (o). Licet ad quatuor

Kk 3

(g) Plutarchus *quæſt. Rom. LXXII.* (h) *ad III Aeneid. v. 20.* (i) Liuius *XXVII c. XVI.* (k) *de aruſp. reſp. c. IX.* (l) *I de diuin. c. II.* (m) *in Vatin. c. VIII.* (n) *VII ad Fam. ep. VI.* (o) Cicero *II de LI c. VIII.*

tuor potiſſimum referri poſſent, vt ſumerentur auſpicia ex auibus, ex terrenis quibusdam animalibus, ex cœlo & ex diris. Auium augurium optime deſcribit Cicero (p) *non igitur* inquit, *ex alitis volatu, nec e cantu ſiniſtro oſcinis vt in noſtra diſciplina eſt, nec e tripudiis ſolliſtimis aut ſomniis tibi auguror.* Auſpicia enim vel ex ore vel ex volatu ſeruabant. Aues e quarum volatu auguria capiebantur, dicebantur alites, vti ex Cicerone vidimus; vel præpetes quæ ſecundum Gellium (q), opportune præuolarent, aut idoneas ſedes caperent, ſeu auſpicia facerent proſperrima. Seruius ad Virgilii locum (r)

& volucrum linguas & præpetis omina pennæ

ait, *præpetes aut ſuperiora tenent, & præpetes vocantur, aut inferiora & dicuntur infera. Præpetes autem ideo, quia omnes aues priora petunt volando.* Feſtus vero ſic dictas putat, quia ſecundum auſpicium faciant præteruolantes. Ab iis quoque ipſos locos præpetes vocabant, quos aues præpetes occupauerant (ſ). Oſcines autem ſecundum Appium Claudium erant, *quæ ore canentes faciebant auſpicium, vt coruus, cornix, noctua: quæ vero alis ac volatu, vt buteo, ſanqualis, aquila, immiſſulus, vulturius, pica aut Martius, Feroniusque & parra & in oſcinibus & in alitibus habentur*, inquit Feſtus. Quo ex genere quoque ſuperuaganea dicebatur ab auguribus auis, quæ ex ſummo cacumine vocem emiſiſſet, dicta ita, quia ſuper omnia vagatur aut canit. Siniſtra autem auſpicia veteribus habebantur fauſta (t). Rationem reddit Varro quinto epiſtolicarum quæſtionum apud Feſtum: *a deorum ſede,*

(p) *VI ad Fam. ep. VI.* (q) *VI c. VI.* (r) *ad III Aen. v. 261.* (ſ) *c. l.* (t) Plutarchus *quæſt. LXXVII.*

ſede, inquit, *cum in meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes iniendi exorientes, ad dexteram occidentes: factum arbitror, vt ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextra eſſe exiſtimentur.* Aliæ autem aues a dextra, aliæ a ſiniſtra ratum faciebant. Sic a dextra coruus, a ſiniſtra cornix (u): & quidem ſolis ab ortu felix augurium dabat coruus, vti Horatius canit: (x)

oſcinem coruum prece ſuſcitabo ſolis ab ortu.

Quo & facit notum illud Virgilii (y)

ſæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix

& Plautus (z)

Impetritum, inauguratum eſt; quouis admittunt aues,
Picus & cornix eſt ab læua; coruus porro ab dextera
conſuadent.

In oſcinibus quoque malum habebatur omen, ſi auis occineret (a). Quod ſi vero auſpicium fauſtum, *aues admittere* vel *addicere* dicebantur: (b) infauſtum, cum aues non addicerent. (c) Vnde & *bonis auibus rem gerere* de re felici prouerbium ortum eſt. Prout autem augurium fauſtum vel infauſtum fuerit, varie quoque ab augurii euentu denominabant aues. Sic boni ominis erant *admiſſiuæ*, quæ conſulentem iuberent (d): *bonæ, lætæ, præpetes, ſecundæ, pulcræ, albæ, candidæ, auguſtæ, fauſtæ, auſpicatæ, felices.* Mali ominis erant *Alteræ, arculæ*, & *inebræ*, quæ in auſpiciis vetabant aliquid fieri. *Remores* aues dicebantur, quæ acturum aliquid remorari compellebant. Ita & *Cliuia* dicebantur *auſpicia*, quæ aliquid fieri pro-

(u) Cicero *I de diuin. c. VI. & XXXIX.* (x) *III ode XXVII v. 11.* (y) *ecl. I. v. 20.* (z) *Aſinaria actu II ſc. I v. 11.* (a) Liuius *VI c. XLI.* (b) Liuius *I c. LV.* (c) Liuius *XXVII c. XVI.* (d) Feſtus *voce admiſſiuæ.*

ri prohibebant, vti hæc diſcimus ex Feſto Quare & Cliuina auis Labeoni prohibitoria dicta apud Plinium (e). Inter infelicia omina reputabatur, ſi adparerent volsgræ, quæ ſe vnguibus & roſtris vellebant. Quare & inter alia portenta, quæ ante Iulii Cæſaris trucidationem acciderant, reputabatur, quod pridie Idus auem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ ſe inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore perſecutæ, ibidem diſcerpſerunt (f). Inauſpicatæ alias dictæ lugubres, funereæ, ferales, diræ, mœſtæ, auerſæ, obſcœnæ, inceſtæ, triſtes. Incendiariam quoque auem inauſpicatam facit Plinius (g), propter quam ſæpe & vrbs luſtrata, licet quænam ſit auis dubium, ipſe, ex aliorum tamen opinione talem eſſe putat, quæcunque adparuerit carbonem ferens ex aris vel altaribus. Sic & bubonem inter inauſpicatas refert (h). Præcipuus tamen aquilæ, corui, cornicis & vulturum in auſpiciis vſus erat. Neque illud hic prætereundum, differre auguralem Romanorum diſciplinam ab Etruſca, alia enim Etruſcis ſiniſtra erant, alia Romanis (i). Romulus quidem Etruſcorum diſciplinam ſequebatur in omnibus, Numa vero ordinatis ſacris, aliqua ex iisdem immutauit:

TRIPVDIVM SOLLISTIMVM.

Alterum auſpicii genus dicebatur tripudium ſolliſtimum, atque hoc non de auibus ſed pullis capiebatur. Dictum hoc putant (k), quaſi terripudium, ſeu terripauium, cum pauire priſcis idem ac ferire, & pulli paſcendo terram feriant. Si autem coniecturis propriis aliquis

(e) *X c. XIV.* (f) Suetonius *Caſare c. LXXXI.* (g) *X c. XIII.* (h) Plinius *X c. XII.* (i) *II de diuinatione c. XXXVI.* (k) Cicero *II de diuinat, c. XXXII.*

liquis locus, tripudium a tripode dictum putem. Non enim ſolum in ſacris Romanorum varius tripodum vſus, ſed & in oraculo Delphico Græcorum vates in tripode ſedebat, factum exinde vt omne oraculum vel augurium tripudium diceretur. Hinc tripudiare idem ac exultare, quia in talibus oraculis ſaltabant ſacerdotes, & ille qui augurium ceperat. Sua tamen cuique manebunt integra. Adſeruabantur autem in certa cauea pulli, quorum curam habebant pullarii, quibus cum iuſſu magiſtratus auſpicantis ab hiſce offerebatur offa, ſi bene paſcerent & aliquid ex ore decideret, tum auſpicanti nuntiabatur tripudium ſolliſtimum, quem ritum clare deducit Cicero (l). Puls autem inquit Feſtus, dabatur pullis in auſpiciis, quia ex ea neceſſe erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id eſt terripauium; Exinde auſpicium coactum vocat Cicero (m). Bonum enim augurium eſſe putabant, ſi pulli, per quos auſpicabantur, comediſſent, præſertim, ſi eis edentibus aliquid ab ore decidiſſet, ſin autem omnino non ediſſent, arbitrabantur imminere periculum. E contrario malum habebatur omen, ſi pulli non paſcerentur; ſi ex cauea tardius exierint (n). Videmus id ex hiſtoria Tiberii Gracchi, cuius capiti cum periculum immineret, pullarius quoque adparuit *ὁ τὰς ὄρνιθας, αἷς διαμαντεύονται κομίζων*, qui eſcam pullis ſuis obiecit, quæ tamen præter vnam ſolam non prodiere, quamuis homo caueam ſedulo concuſſiſſet: ac ne hæc quidem pauit, ſed ſublata ſiniſtra ala protenſoque crure refugit rurſus in caueam. Quod ſingulare prodigium Graccho ante mortem violenter illatam

L l

(l) *c. l.* (m) *I de diuinat. c. XV.* (n) *VI c. XLI.*

tam fuiſſe narrant (o). In hoc augurii genere ſilentium dicebatur quod vitio carebat, ideo peritus vt adhiberetur neceſſe erat, qui ſilentium quid ſit, intelligat (p). Modus is erat : is qui auſpicabatur, ita imperabat, *dicito, ſi ſilentium eſſe videtur, nec ſuſpicit, nec circumſpicit, ſtatim reſpondet ſilentium eſſe videri. Tum ille, dicito, ſi paſcuntur aues, paſcuntur. quæ aut vbi? tunc adferebat in cauea pullos pullarius*, vti narrat Cicero (q). Magnam huic augurio auctoritatem tribuebant Romani. *Hi enim*, inquit Plinius (r), *magiſtratus noſtros quotidie regunt, domosque ipſis ſuas claudunt aut reſerant ; hi faſces Romanas impellunt aut retinent, iubent acies aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auſpices.* Cum Plinius ait, claudere eos atque reſerare domus, comprobatum illud videmus ex Tiberii Gracchi, quam adduximus, hiſtoria ; qui tribunus plebis cum eſſet, antequam ad concionem in Capitolio frequentem domo exiret, primo mane in auſpicium vocauit pullarium, non addicentibus tamen pullis (ſ). Quippe antequam magiſtratus crearentur vel prælia inirentur in auſpicium vocabantur (t) pulli, & ſi vetante pullario quidpiam agerent, infauſtum habebatur: idque euentu comprobatum eſſe putabant (u). Hoc aliquando auſpicium mentiri auſus pullarius, tripudium ſolliſtimum nuntiaturus conſuli, cum non eſſet (x).

SER-

(o) Plutarchus *Gracchis p. m. 832* (p) Cicero *c. l.* (q) *c. l.* (r) *X c. XXI.* (ſ) Plutarchus *c. l.* (t) Liuius *X c. XL.* (u) Cicero *II de N. D. c. III. II de diuinatione c. XXXIV.* Valerius Maximus *I c. IV.* (x) Liuius *X c. XLI.*

SERVARE DE COELO.

Tertium augurii genus dicebatur ſeruare de cœlo, dum attente circumſpiciebant, num qua cœli parte aliquid ſe oſtenderet; vt fulgur, tonitru vel phœnomenon aliquod, ex quo diuinationem quandam poſſint capere. Vndecim fulminum genera adgnoſcebant Tuſci: Romani duo tantum ex iis ſeruabant, diurna, quæ Ioui attribuebant; nocturna, quæ Summano (y). Genera fulminum alii tria faciebant, vt Cæcinna apud Senecam: (z) *conſiliarium*, cum aliquid in animo verſantibus aut ſuadetur fulminis ictu aut diſſuadetur: *auctoritatis*, quod poſt rem factam eam bono maloue futuram ſignificabat: *ſtatus* fulmen habebatur vbi quietis nec agentibus quidquam nec cogitantibus quidem, fulmen interuenit. Quod auſpicium dictum putat Seruius, (a) quod non petentibus nobis ad ea, quæ in animo habemus, iure ominis offertur. Varias alias fulminum conſtituebant differentias, quas ex eodem Cæcinna pleraſque adducit Seneca (b), & quidem dicit eſſe *poſtulatoria*, quibus ſacrificia intermiſſa, aut non rite facta repetuntur. *Monitoria*, quibus docetur, quid cauendum ſit. *Peſtifera*, quæ mortem exiliumque portendunt. *Fallacia*, quæ per ſpeciem alicuius boni nocent, dant conſulatum, malo futurum gerentibus; & hæreditatem, cuius compendium magno ſit luendum incommodo. *Deprecanea*, quæ ſpeciem periculi ſine periculo adferunt. *Peremptalia*, quibus tolluntur priorum fulminum minæ. *Atteſtata*, quæ prioribus conſentiunt. *Atterranea*, quæ in

(y) Plinius *II c. LII.* (z) *II nat. quæſt. c. XXXIX.* Ammianus Marcell. *lib. XXIII p. m. 346.* (a) *ad IV Aen. v. 341.* (b) *nat. quæſt. II c. XLIX.*

in incluſo fiunt. *Obruta*, quibus iam prius percuſſa nec procurata feriuntur. *Regalia*, quorum vi tangitur vel comitium, vel principalia vrbis liberæ loca : quorum ſignificatio regnum ciuitati minatur. *Inferna*, cum e terra exiliunt ignes. *Hoſpitalia*, quæ ſacrificiis ad nos Iouem arceſſunt, & [vt verbo eorum molliori vtar] inuitant. *Auxiliaria*, quæ aduocata ſed aduocantium bono veniunt. Alia fulminum nota diuiſio erat in perpetua, finita & prorogata. *Perpetua* dicebantur, quorum ſignificatio ad totam vitam pertinere dicebatur, nec vnam rem enuntiare, ſed contextum rerum per omnem deinceps ætatem futurarum complecti. Atque hæc familiaria in totam vitam fatidica dicebantur, quæ prima familiam ſuam cuique indepto, vel in nouo hominis aut vrbis ſtatu fiebant. *Finita* ad diem reſpondere dicebantur, nec vltra decem annos portendere priuata, præterquam aut matrimonio primo facta, aut natali die. Publica autem non vltra triceſimum annum, præterquam in deductione oppidorum extendi. *Prorogatiua* dicebant, quorum minæ differri quidem, auerti tollique minime poſſint (c). Fulmen autem ſi a ſiniſtris ad dextra adparuerat, Romani ex Etruſcorum diſciplina pro fauſto habebant (d). *Laua enim fulmina proſpera habebantur*, inquit Plinius (e), addens ; *per plurimum referre vnde venerint fulmina, & quo conceſſerint. Optimum autem eſſe in exortiuas redire partes, ideoque cum a prima cæli parte venerint, & in eandem conceſſerint, ſummam portendi felicitatem, cætera minus eſſe proſpera aut dira ; atque ex iis maxime dira, quæ Septentrionem ab occaſu attingunt.*

(c) Plinius *II c. LII.* Seneca *natur. quæſt. II c. XLVII & XLVIII.* (d) Halic. *lib. II p. m. 80.* (e) *II c. LIV.*

gunt. Quædam etiam fulgura enunciare fas non putabant, nec audire, præterquam ſi hoſpiti indicentur aut parenti. Infera fulmina quæ brumali tempore ex terra erumpere aiebant, ſæua maxime & execrabilia habebantur (f). Fulmen igitur ſiniſtrum auſpicium ad omnes res, præterquam ad Comitia dicit Cicero (g). Quod quidem reip. cauſſa inſtitutum fuiſſe addit, vt comitiorum vel in iudiciis populi, vel in iure legum, vel in creandis magiſtratibus principes ciuitatis eſſent interpretes. In commentariis enim augurum ſcriptum haberi teſtatur, (h) IOVE TONANTE, FVLGVRANTE COMITIA POPVLI HABERE NEFAS. Immo ſi inter ipſa comitia tale quidpiam ſuperueniret, vitium dicebatur, quod comitia turbabat (i). Nec etiam tribunus plebis agere cum populo poterat, cum conſtaret de cœlo eſſe ſeruatum. (k) Tantæ igitur auctoritatis habebatur hoc augurii genus, vt & ſummam vim fulminum iudicarent, & quidquid exta, quidquid aues minarentur, ſecundo fulmine aboleri putarent (l). In omnibus autem Comitiis vel legum ferendarum, vel magiſtratuum creandorum, vel iudicii publici, antequam inirentur, Conſules, aliique magiſtratus maiores, ſeruabant de cœlo, & vel auſpicio rem geri adſſerebant, vel collegæ obnuntiabant, hac formula vtentes, ALIO DIE; quo ipſo ſolennem conuentum & populi ſuffragia prohibebant, impediebantque, (m) vti infra libro ſecundo, *de Comitiis* dicetur pluribus. Fulmina vero alia certis quibusdam ſacris atque preca-

 tio-

(f) Plinius *II c. LII.* (g) *II de diuinatione c. XIIII & XXXV.* (h) *II de diuin. c. XVIII.* (i) Liuius *XL c. XLII.* (k) Cicero *in Vatinium c. VII.* (l) *natur. quaſt. II c. XXXIV.* (m) Dio *lib. XXXVIII. p. m. 67.*

tionibus vel cogi dicebantur vel impetrari (n). Indeque fulmen *impetratum.* Impetrare terminus erat auguralis, dicebaturque de eo, cum fauſta atque ſiniſtra fulmina a diis petebantur ; ſiue cum Iupiter eliciebatur, qui exinde Elicius dictus (o). Quale petiit Tullus Hoſtilius, cui tamen cum ſacrum non rite curauerat, non ſolum nulla oblata cœleſtium ſpecies, ſed ipſe ira Iouis fulmine ictus, cum domo conflagrauit (p). Indeque Plinius (q) cum verbis an aliqua vis inſit, diſquireret, alia verba impetrantis, alia depulſoris, alia commentationis eſſe ait : quod conuenit cum iis, quæ ante dixerat, certis precationibus impetrari fulmina. Quare & Cicero (r) magnam vim eſſe & in impetrandis conſulendisque rebus ait ; & auibus magnas res impertiri, vel vt alii legunt, impetrari ſolere idem dicit (ſ). Impetratum enim veteribus idem erat ac ratum (t). Hoc autem impetratum ſæpius, antiquiſſimis præſertim temporibus, efferebant per impetritum, pro vno enim eodemque adgnoſcit Feſtus. Inde Plautus (u)

Impetritum inauguratum eſt, quouis admittunt aues.

Non ergo habent, cur tam anxii ſint in hac enodanda voce, Gutherius (x) & Bellus (y) ; modo legendo impetrito, quaſi in petra fixo : modo partito, quia templum augurale in certas regiones partiri mos erat ; modo aliud quid fingendo ; quia vti diximus impetritum nihil aliud erat quam impetratum.

AVSPI-

(n) Plinius *II c. LIII.* (o) Plinius *c. l.* (p) Liuius *I. c. XXXI.* (q) *XXVIII c. II.* (r) *I de diuin. c. II.* (ſ) *I de diuin. c. XV.* (t) Macrobius *Saturn. I c. VII.* (u) *aſin. actu II ſc. I v. 11.* (x) *de vet. iure pontif. lib. IV c. XIV;* (y) *de partibus templi auguralis c. I.*

Digitized by Google

AVSPICIA EX DIRIS

Quartum capiebatur ex diris, ſiue ſignis triſtibus; de quo Cicero (z) *diræ*, inquit, *ſicut cetera auſpicia, aut omina vt ſigna, non cauſſas adferunt, cur quid eueniat, ſed enuntiant euentura, niſi prouideris.* Exempla habemus paſſim apud Liuium, dum boues locuti, lapidibus pluerit, infantes bicipites nati, ædes ſacræ fulmine tactæ &c. & late deſcribit Ouidius (a):

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
terribilesque tubas, auditaque cornua cœlo.
præmonuiſſe nefas, ſolis quoque triſtis imago
lurida ſollicitis præbebat lumina terris.
Sæpe faces viſæ mediis ardere ſub aſtris,
ſæpe inter nimbos guttæ cecidere cruentæ.
cœrulus & vultum ferrugine lucifer atra
ſparſus erat, ſparſi lunares ſanguine currus.
triſtia mille locis Stygius dedit omina bubo
mille locis lacrymauit ebur, cantusque feruntur
auditi, ſanctis & verba minantia lucis.

Quæ prodigia procurare mos erat, de quo ſupra.

RITVS ET LOCVS AVGVRII

Ritum augurii ſolennem deſcribit Liuius (b). Augur cum auſpicari vellet, in locum auguriis deſtinatum ſe conferebat. Alius autem locus erat in ipſa vrbe in monte Palatino, forſan illo ipſo loco, quo Romulo duodecim vulturum augurium adparuerat; quippe Romulo Palatinum montem fuiſſe οἰωνιστήριον teſtatur Halicarnaſſenſis (c). Clarius hoc patet ex eo, quod auſpicia captare olim intra pomœrium moris. Antiquiſſimum

(z) *I de diuin. c. XVII.* (a) *XV Metam. v. 780.* (b) *I c. XVIII.* (c) *lib. I p. m. 73.*

mum autem Romuli pomœrium Palatini montis radicibus terminabatur (d). Locus is dicebatur auguratorium, quod in regione vrbis decima in monte Palatino adgnoſcunt Petrus Victor, Onuphrius Panuinius, Marlianus & alii. Atque is locus ſingulari modo ad id inſtructus & ædificatus fuiſſe videtur, cum in lapide priſco (e) videamus, Auguratorium cum dilapſum, reſtitutum fuiſſe ab Hadriano. Illud autem & auguraculum & arcem fuiſſe dictam ex Feſto patet, & reſpondebat augurali, quod in caſtris erat. Publicum enim locum in vrbe ad auguria deſtinatum fuiſſe ex Dione Caſſio (f) adparet, qui de belli ciuilis temporibus cum Cæſar Romæ, Pompeius Theſſalonicæ hiemaret, hunc ſimulacrum vrbis inſtituiſſe ſcribit καὶ τι καὶ χωρίον ἐς τὰ οἰωνίσματα δημοσιώσας *locum ad capienda auſpicia publicum feciſſe*. Idem auguraculum intelligit Liuius (g) vbi ait : *Numam ab augure deductum fuiſſe in arcem.* Atque hæc illa ipſa arx erat, ex qua fecialis in pangendis fœderibus graminis herbam puram adferebat (h). Alius augurii locus erat in pomœrio, de quo Gellius (i) : *pomœrium* inquit, *eſt locus intra agrum effatum, per totius vrbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem vrbani auſpicii.* Ex quo etiam videmus, hæc duo ſub vrbani auſpicii nomine fuiſſe comprehenſa. Et quidem in omnibus vrbis collibus pomœrio incluſis, auſpicia captari ſolita, excepto ſolo Auentino, ex Gellio & Feſto diſcimus, idque ideo, quia obſcœnis auibus Auen-

(d) Gellius *XIII c. XIV.* Feſtus *voce proſimurium.* (e) Gruterus *p. CXXVIII n. 4.* (f) *lib. XLI p. m. 173.* (g) Liuius *I c. XVIII & X c. VII.* Cicero *III de officiis c. XVI.* (h) Liuius *I c. XXIV.* (i) *c. l.*

uentinum putabant ominoſum, ob auſpicia Remi. Tandem quoque extra vrbem ἔξω πόλεως, vti inquit Plutarchus (k), captabantur auſpicia. Tempus augurii erat poſt noctem mediam, cœlo tranquillo, quod (l) dicebatur ſilentium, ab eo, quod ſileretur, vti explicat Varro. (m) Rationem habet Plutarchus (n), quod cum venti ſpirent, aues non conſtanter maneant, neque firma exhibeant auguria; itaque tranquillo cœlo captanda auguria, ita vt apertis vti liceat lucernis. Quare ſilentio ſurgere Feſtus ait dici, cum quis *poſt mediam noctem auſpicandi cauſſa ex lectulo ſuo ſilentio ſurrexit, & liberatus a lecto, in ſolido ſe poſuit, ſedetque ne quid eo tempore deiiciat, rurſusque ſe in lectum repoſuit: hoc enim eſt proprie ſilentium, omnis vitii in auſpiciis vacuitas.* Quare & Macrobius (o) *poſt mediam noctem*, ait *auſpicantur.* Dionyſius Halicarnaſſenſis (p) περὶ τὸν ὄρθρον *ſub diluculum*, & quidem illo ipſo die, quo quid agendum erat: poſt exortum enim ſolem agebant, auſpicatique & egiſſe eadem die dicuntur (q). Alio autem modo augurium captabant augures publici, alio modo auſpicabantur magiſtratus; alio modo Imperatores in caſtris. Augures publici quidem a Numa Pompilio inter octo ſacerdotiorum genera alia fuere inſtituti, vt ſigna diuinitus edita interpretarentur quid portenderent, idque ex quatuor iſtis auguralis diſciplinæ partibus (r). Hi autem auguria aliter non capiebant, niſi fuerint conſulti (ſ)

M m atque

(k) *Marcello p. m. 300.* (l) Liuius *XXXIV c. XIV.* Gellius *III c. II.* (m) *de L. L lib. V p. m. 31.* (n) *quaeſt. Rom. LXXI.* (o) *Saturn. I c. III.* (p) *lib. II p. m. 80.* (q) Macrobius *c. l.* (r) Halicarn. *lib. II p. m. 125.* (ſ) Halic. *lib. III p. m. 201.* Liuius *IV c. XXXI.* Liuius *VIII c. XXIII.*

atque dum pro more in augurali diſciplina recepto deos dicebantur conſulere. Indutus ſcilicet augur conſultus, erat læna vel trabea, ſedem capiebat, vel cubabat capite velato, lituum dextra tenens (t), qui baculus erat ſine nodo aduncus, atque Romuli fuiſſe putabatur, quo vrbis regiones cum eas conderet, direxerit (u). Iſto lituo deſcribebant cœli regiones, primum quidem in partes quatuor, ſiniſtra ab Oriente, dextra ab occaſu, antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem (x). *Antica*, enim ſecundum Feſtum (y), dicebantur *quæ ante nos ſunt, quæ poſt nos ſunt, poſtica dicuntur : & dextram anticam, ſiniſtram poſticam dicimus. Sic etiam ea cœli pars, quæ ſole illuſtratur ad meridiem, antica vtique nominatur ; quæ ad ſeptentrionem eſt, poſtica ; rurſumque diuiduntur in duas partes, orientem atque occidentem.* In ſedecim partes cœlum diuidebant Tuſci. Prima eſt a ſeptentrionibus ad æquinoctialem exortum : ſecunda ad meridiem, tertia ad Aequinoctialem occaſum : quarta obtinet, quod reliquum eſt ab occaſu ad Septentriones. Has iterum in quaternas diuiſere partes, ex quibus octo ab exortu ſiniſtras, totidem e contrario adpellauere dextras, vti videmus ex Plinio (z). Romani autem non niſi priores quatuor adgnoſcebant (a). Scrupulum quidem mouent Liuius (b) & Dionyſius Halicarnaſſenſis (c), qui dextras auguralis templi partes ad meridiem, læuas ad ſeptentrionem ſtatuunt : Sed diuerſas templi auguralis fuiſſe diuiſiones fuſe probat Bellus, ita vt dum

(t) Liuius *I c. XVIII.* (u) Cicero *I de diuinatione c. XVII.* (x) Varro *VI de L. L. p. m. 47.* (y) *voce poſticum.* (z) *II c. LIV.* (a) *II de diuin. c. XVIII.* (b) *I c. XVIII.* (c) *lib. II. p. m. 80.*

dum Oriens ſpectetur, meridies faceret dextras, ſeptentrio ſiniſtras; cum vero meridies, orientis partes a ſiniſtra, occidentis a dextra erant. Semper tamen vti ex Liuio videmus, regiones ex oriente ad occaſum determinabantur. Oritur illa diuerſitas ex eo, quod auguralis Romanorum diſciplina ab Etruſcorum diſcrepabat, vt alia Etruſcis ſiniſtra eſſent, alia Romanis (d). Atque hoc in Etruſcorum diſciplina adpellabant partiri ſidera, de quo Statius (e):

ſic fatus, & alto
membra locat ſcopulo. tunc plura, ignotaque iungit
numina, & immenſi fruitur caligine mundi.
Poſtquam rite diu partiti ſidera, cunctas
pertegere animis, oculisque ſequacibus auras.

Dicit ignota iungit numina, quæ augurum erant comprecationes Ciceroni (f) etiam notæ, quas Halicarnaſſenſis (g) τας νομίμας ευχας legibus præſcriptas preces vocat. Locus ita deſcriptus dicebatur *templum*, de quo Varro (h): *in terris*, ait, *dictum templum locus augurii aut auſpicii cauſſa quibusdam conceptis verbis finitus. Concipitur verbis non iisdem vndiquaque. In arce ita. Teſtaque meta ſunto, quoad ego eas relinquam, & nuncupauero. Olla ver arbor, quidquid eſt, quam me ſentio dixiſſe, templum tectumque ferto in ſiniſtrum. Olla ver arbor, quidquid eſt quod me ſentio dixiſſe, templum tectumque ferto in dextrum. Interea concretione, conſpicione, cortumione, vtique ea rectiſſime ſenſi.* Locus quidem corruptus, fruſtra tamen in eodem reſtituendo laborant

Mm 2 Bu-

(d) Cicero *II de diuin. c. XXXVI.* (e) *Thebaid. III v. 495.* (f) *de diuin. III c. XX.* (g) *lib. X p. m. 659.* (h) *lib. V de L. L. p. m. 44. & VI de L. L. p. m. 47.*

Bulengerus (i) & Ioſephus Scaliger (k). Quia ex veteri Hetruſcorum lingua hæc deſumta ſunt verba, quæ ſæpe propria erant, & non niſi ex priſcis tabulis reſtituenda. Senſus autem mihi talis videtur: Auſpicantem hac voce teſca nunc metam ſeu limites adſignare, prout iſtos nuncuparet ſeu effaretur, inde determinare regiones a ſiniſtra ad dextram, ſeu ab oriente ad occaſum, vt vera ſpectione vti poſſit, quæ per tria verba obſoleta intelligitur. Vocabatur ergo & *teſcum* quippe teſca per loca augurio deſignata explicat Feſtus. Communiter quidem templum augurale arcem quoque dictum volunt, ſed perperam. Templum enim augurale ab arce bene diſtinguit Varro. Nec templum dici poterat, niſi locus augurio deſtinatus, conceptis verbis lituo eſſet determinatus (l). Liuius autem augurem, Numam ſtatim ab initio in arcem deduxiſſe ait, antequam adhuc determinatæ eſſent regiones. Arx ita ſolus iſte locus in Palatino monte, auguriis vrbanis deſtinatus dicebatur. Augures iſti quidem, licet augurium ſecundum fuiſſet, non ſtatim adquieſcebant, ſed aliud inſuper, quo prius firmaretur, expectabant, de quo Virgilius (m) canit:

> *da deinde auxilium pater, atque hac omina firma.*
> *vix ea fatus erat ſenior, ſubitoque fragore*
> *intonuit læuum, & de cælo lapſa per vmbras*
> *ſtella facem ducens multa cum luce cucurrit.*

Horum etiam conſuetudinem fuiſſe contendit Seruius, (n), vt ſi ad aquas veniſſent, inclinati aquas haurirent, exinde & manibus & fuſis precibus vota promitterent, vt vi-

(i) *de auſpiciis c. XII.* (k) *in notis ad dictum Varronis locum.* (l) Liuius *I c. XVIII.* (m) *Aen. II v. 692.* (n) *ad IX Aen. v. 22.*

vt viſum proſperarent dii augurium, quod aquæ interceſſu disrumpi putabant, de quo & ipſe Virgilius (o):

& ſic effatus ad vndam

proceſſit, ſummoque hauſit de gurgite lymphas.

Vtrumque tamen cum magiſtratus de cœlo ſeruarent, neceſſe non erat. Dicebantur autem vel de cœlo ſeruare, vel aues conſulere & augurium agere (p); aues vero addicere vel non addicere (q), vel ratum facere (r). Alia res erat, cum auſpicarentur Magiſtratus, qui cœlum non vti augures partiebantur, ſed *tabernacula* capiebant (ſ), quod Græcis dicebatur σκηνή. Totam rem exponit Plutarchus (t), dum inquit: ὅταν ἄρχων ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος ἔξω πόλεως οἶκον καὶ σκηνὴν μεμισθωμένην, ὑπ' αἰτίας ἀναγκασθῇ μήπω γεγονότων σημείων βεβαίων ἐπανελθεῖν εἰς πόλιν, ἀφῆναι ἔχειν τὸ προμεμισθωμένον οἴκημα καὶ λαβεῖν ἕτερον ἐξ οὗ ποιήσεται τὴν θέαν αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς. *cum auſpicaretur conſul, in domo extra vrbem, vel tabernaculo ad id conducto ſedebat; quod ſi qua de cauſſa redire in vrbem nullis dum viſis certis ſignis cogeretur, relinquendum erat prius conductum tabernaculum, & quærendum alterum, ex quo de integro ſpectionem faceret.* Ex quo Plutarchi loco videmus, fuiſſe extra vrbem loca quædam circumſepta, quæ pretio conducere magiſtratus, qui auſpicarentur, ſolebant, ſub dio tamen fuere, vt adſpectus vndiquaque liber eſſet: vti in hortis Scipionis auſpicatum fuiſſe Tiberium Gracchum teſtatur Cicero (u). Neceſſe autem erat

(o) *IX Aen. v. 22.* (p) Varro *de L. L lib. V p. m. 37.* (q) Liuius *XXVII c. XVI.* (r) Cicero *I de diuin. c. XXXIX.* (ſ) Cicero *II de diuin. c. XXXV.* (t) *Marcello p. m. 300.* (u) *II de N. D. c. IV.*

rat vt rite caperetur tabernaculum (x), quod & talem vim habebat, vt & ſi non rite captum, omnia haberentur vitioſa (y). Quid autem per tabernaculum non rite vel vitio captum intelligatur, diſcimus ex Cicerone, (z) vbi de Tiberio Graccho: *poſt ex prouincia litteras ad collegium miſit, ſe cum legeret libros, recordatum eſſe, vitio ſibi tabernaculum captum fuiſſe in hortis Scipionis, quod cum pomœrium poſtea intraſſet, habendi ſenatus cauſſa, in redeundo cum idem pomœrium tranſiret, auſpicari eſſet oblitus: itaque vitio creatos eſſe conſules.* Obſcurus quidem videtur locus, enodandus tamen eſt. De eadem cauſſa loquuntur Cicero & Plutarchus, ſcilicet de tabernaculo, quod vitio captum a Ti. Sempronio Graccho, alter ergo ex altero explicandus. Cum enim extra vrbem auſpicaretur conſul, ſigno certo non ſtatim adparente, negotii cuiusdam [vti Gracchus ſenatus habendi] cauſſa in vrbem reuerteretur; confecto vero negotio rediret, & pomœrium transiret, dum repetendum ab integro erat auſpicium. Gracchus ergo cum pomœrium transeuns auſpicium quod prima vice deſeruerat, in alio loco redintegrare eſſet oblitus, tabernaculum vitio cepiſſe dicitur Ciceroni, quia ceperat quidem tabernaculum, illud tamen miſſo priori auſpicio, non mutauerat, exinde non rite captum dicebatur: cum vitium in auſpiciis eſſet illud, quidquid contra morem conſuetum vel religionem geſtum, vt adparet ex Liuio (a). Spectionem inſtituebant magiſtratus vel in loco libero, ſub dio, capto tabernaculo, exeuntes, quo liberior eſſet adſpe-

(x) *II de diuinatione c. XXXV.* (y) Liuius *IV c. VII. XLV c. XII.* Cicero *I de diuin. c. XVII.* (z) *II de N. D. c. IV.* (a) *lib. XLI c. XVIII.*

ſpectus, vti de Romulo habet Dionyſius Halicarnaſſenſis (b) *ἀναστὰς περὶ τὸν ὄρθρον ἐκ τῆς σκηνῆς προῆλθεν. στὰς δ' ὑπαίθριος ἐν καθαρῷ χωρίῳ.* *Surgens diluculi tempore e tabernaculo exibat ſtans ſub dio in loco libero.* Ex Plutarchi tamen loco ſupra adlegato videmus, ex ipſo quoque tabernaculo factam τὴν θέαν ſpectionem. Tunc immolatis rite victimis Iouem precabantur, vt cœleſtia ſigna fauſta adparerent (c). Sedentes vero auguria captare ſolitos fuiſſe ex iſto Plutarchi loco videmus, quod & confirmat Seruius ad locum Virgilii (d)

ſacrata valle ſedebat.

Cubantes tamen in lecto auguria quoque quærere ſolitos fuiſſe diſcimus ex Feſto: idque tum obſeruatum fuiſſe putem, cum in ipſo tabernaculo auſpicabantur. Inde proſpectum in vrbem & agrum capiebant, atque immotis oculis cœlum intuebantur ſerenum (e) & de cœlo ſeruabant; quod magiſtratuum proprium erat (f). Adhibebant ad hæc augurem publicum, qui eorum iuſſa exſequeretur (g). Vnicum tamen ſignum ſufficiebat, nec alia vt in auguribus erant exſpectanda (h). Tertius locus auguriorum erat in caſtris, qui dicebatur augurale (i), ante quod exſtructa ara auguralis (k). Dicebatur illud etiam templum, vt ex Liuio (l) diſcimus, qui Q. Petillium & C. Valerium in Gallia inter ſe ſortitos inducit, qua quisque parte hoſtem adgrederetur, vbi ſubiungit: *Valerium auſpicato ſortitum conſtabat, quod in*

(b) *lib. I p. m. 80.* (c) Liuius *I c. XVIII.* Halicarn. *c. l.* (d) *Aen. IV v. 4.* (e) Liuius *c. l.* (f) Gellius *XIII c. XIV.* (g) Halic. *lib. II p. m. 81.* (h) Dio Caſſius *lib. XXXVIII p. m. 67.* (i) Tacitus *Ann. II c. XIII.* (k) Tacitus *Ann. XV c. XXX.* (l) Liuius *XLI c. XVIII.*

in templo fuiſſet: in Petillio id vitio factum, quod extra templum ſortem in ſitella in templum latam, foris ipſe poſuerit. Vtebantur autem auſpicantes Imperatores reliquis auguriorum generibus. Sic Fabio aduerſus Metapontinos & Tarentinos agenti aues non addixerunt (m). L. Papirius ante pugnam cum Samnitibus in auſpicium miſit pullarium (n). Ante pugnam enim, cum nihil apud Romanos nec domi, nec militiæ, niſi auſpicato gereretur, auſpicari ſemper ab imperatoribus, aduocatis in conſilium auſpicibus, ſolenne erat.

AVSPICIORVM SPECIES

Auſpicia prout euenerant, erant vel oblatiua, vel impetrita vel ſtatiua. *Oblatiua* quæ non poſcebantur, atque dum in poteſtate erat videntis, vtrum id quod ſubito euenerat auſpicium, ad ſe pertinere velit, an refutet & abominetur (o). *Impetrita* erant, quæ optata eueniebant. *Statiua* in quibus conſiderabatur, quo in loco auguria peragi debeant (p). Alia auſpicia ab accidenti diſtinguebantur. Sic *Iuge* auſpicium cum obuenerit, augures præcipere dicit Cicero (q), vt iumenta iubeant disiungere. Hoc autem ſecundum Feſtum eſt, cum iunctum iumentum ſtercus facit. Quæ Feſti explicatio Ciceronis verbis magis conuenit, quam Seruii, qui ad verba Virgilii (r)

quatuor hic primum omen, equos in gramine vidi

ne prodituro magiſtratui plauſtrum disiunctis bobus obueniret, obſeruatum fuiſſe ait. Cicero enim augures præcepiſſe dicit, vt iumenta disiungerentur, ne iuge auſpi-

(m) Liuius *XXVII c. XVI.* (n) Liuius *X c. XL.* (o) Seruius *ad Virgilii Aen. XII v. 260.* (p) Seruius *ad Aeneid. III v. 84.* (q) *II de diuin. c. XXXVI.* (r) *Aen. III v. 537.*

ſpicium eueniat, quod Seruii verbis eſt contrarium. *Pedeſtria* auſpicia nominabantur ſecundum Feſtum, quæ dabantur a vulpe, lupo, ſerpente, equo, cæteriſque animalibus quadrupedibus. *Peſtifera* cum cor in extis, vel caput in iecinore non fuiſſet. *Piacularia* quæ ſacrificantibus triſtia portendebant, cum aut hoſtia ab ara profugiſſet, aut percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam partem corporis, quam oporteret, decidiſſet. *Caduca* auſpicia erant, cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu. Latius tamen patuiſſe videntur, vt etiam comprehenderent varia omina, vt ſi pileus vel corona de capite, tunica de corpore decideret, equus ephippia deiiceret vel ſimilia. *Perennia* auſpicia memorat Cicero (ſ); explicat Feſtus, quod perenne auſpicari dicatur, qui amnem aut aquam, quæ ex ſacro oritur, auſpicato transeat, & alio loco (t) ait: *amnis eſt in Tiberim profluens, quem magiſtratus auſpicato tranſeunt, cum in campo quid agere volunt, quod genus auſpicii perenne vocatur.* *Cæleſtia* ſecundum Feſtum dicebantur, cum fulminat aut tonat, ſiue cum de cœlo ſeruabatur. Alia ab obiecto diſtinguebantur. Sic quæ ante conſulum creationem agebantur, auſpicia conſularia dicta (u). Alia erant *auſpicia militaria*, quæ eodem quo reliqua, modo, antequam prælium iniretur, peragebantur. E quorum numero erat, quod ex acuminibus dictum, idque totum erat militare (x): de quo & Arnobius (y) *an Martium* inquit, *diſcrimen obeuntes ſpem prælii ſumitis & ex acuminibus auſpicatis.* Ex terræ enim infixis ſignis militaribus,

Nn

(ſ) *II de N. D. c. III.* (t) *voce Petronia.* (u) Cicero *pro Murana ab initio.* (x) Cicero *II de diuinatione c. XXXVI.* (y) *lib. II p. m. 91.*

ribus, quæ infra acuminata erant, fuiſſe capta, probat Caſpar Geuartius (z), ita vt ſi facile humo euellerentur, fauſtum præberent omen, contrarium ſi difficulter. Quale exemplum refert Valerius Maximus (a) de C. Flaminio. Sublata tamen hæc auſpicia poſtea, cum bella per proprætores & proconſules adminiſtrarentur, quibus auſpiciorum ius nullum: hinc ne impedirentur auſpiciis iſti, lectica operta iter facere ſolebant teſte Cicerone (b). Magnæ apud Romanos auctoritatis erat *augurium ſalutis*, cuius mentionem facit Cicero (c). Deſcribit illud Dio (d), quod fuerit genus diuinationis, quo probetur, concedantne dii, vt populo ſalutem poſtulent. Ad id deſtinabatur ſingulis annis dies, quo nullus exercitus ad bellum eſſet profectus, nulla pugna fuiſſet, alias purum non capiebatur & ob ſigna infelicia impediebatur. Itaque non niſi quieto imperio fieri poterat. Hoc intermiſſum per aliquod tempus reſtituit Auguſtus (e), & per viginti annos omiſſum Claudius (f).

AVSPICIORVM AVCTORITAS

Tantæ apud Romanos auctoritatis erant auſpicia, vt nihil maioris rei niſi auſpicato ne priuatim quidem gereretur (g). Bellicam rem adminiſtrari niſi auſpicato nolebant (h): Magiſtratus non niſi auſpicato creabantur (i), exinde Conſules auſpicato renuntiati dicuntur (k) &

(z) *I elect. c. II.* (a) *I c. VI.* (b) *II de diuinatione c. XXXVI.* (c) *I de diuinatione c. XLVII.* (d) *lib. XXXVII p. m. 40.* (e) Suetonius *Auguſto c. XXXI* Dio *lib. LI p. m. 457.* (f) Tacitus *Ann. XII c. XXII.* (g) Cicero *I de diuinatione c. XVI.* (h) Cicero *II de diuinatione c. XXXVI.* Liuius *XX c. I.* (i) Halicarn. *lib. II p. m. 81.*

(k), & plebeium magiſtratum nullum auſpicato creari ait Liuius (l), quod tamen poſt mutatum. Solenne enim ante Comitia auguria facere. Dictator creabatur nocte, ſilentio, vti moris fuiſſe ait Liuius (m); ſiue auſpicato. Sic & antequam leges promulgarentur, auguria fiebant (n). Templa non niſi per augures inaugurabantur. Matrimonia adhibitis auſpicibus contrahebantur (o). Et ſic de reliquis rebus, quæ maioris eſſent momenti. Quidquid ergo captatis prius auſpiciis peragebatur, auſpicato fieri (p); quod autem neglectis fiebat auſpiciis, nullis auſpiciis (q), vel contra auſpicia fieri dicebatur (r).

DE IIS, QVI AVSPICIORVM HABVERINT POTESTATEM

In rebus publicis auſpicii ius primo tempore penes patres ſolos erat, ſiue penes magiſtratus patritios (ſ) ex oratione P. Decii adparet, qui ad patritios ita (t): *ſemper iſta audita ſunt eadem, penes vos auſpicia eſſe, vos ſolos gentem habere, vos ſolos iuſtum imperium & auſpicium domi militiæque.* Poſtea vero cum & conſules ex plebeiis fierent, auſpicia quoque ceſſere magiſtratibus plebeiis, cum omnes magiſtratus maiores auſpicandi habuerint poteſtatem. Clarius id patet ex Liuio (u), qui poſtquam bellum contra Her-

 ni-

(k) Cicero *pro Murana ab initio.* (l) *VI c. XLI.* (m) *IX c. XXXVIII.* (n) Halicarn. *lib. X p. m. 659.* Liuius *IX c. XXXIX.* (o) Cicero *pro Cluentio c. V & de diuinatione I c. XVI.* (p) Cicero *pro Murana ab initio.* Liuius *V c. XLI.* (q) Cicero *pro Cluentio c. V.* (r) Cicero *ad Atticum VIII ep. III de ſenectute c. IV.* (ſ) Liuius *IV c. VI. VI c. XLI.* (t) Liuius *X c. VII* (u) *VII c. VI.*

nicos L. Genucio conſuli ex plebe demandatum fuiſſe dixerat, addit: *in exſpectatione ciuitas erat, quod primus ille de plebe conſul bellum ſuis auſpiciis geſturus eſſet; perinde vt eueniret res, ita communicatos honores pro bene aut ſecus conſulta habitura.* Auſpicari neceſſe erat, cum bella niſi auſpicato geri non poterant. Conſul autem dicitur ſuis auſpiciis rem geſſiſſe, auſpicia ergo habebat. Cum vero conſul iſte male rem geſſiſſet, fremebat populus: *irent, crearent conſules ex plebe, transferrent auſpicia, quo nefas eſſet.* Tranſlata ergo auſpicia dicuntur, a patriciis ſcilicet ad plebeios. Tandem etiam cum lege Ogulnia & pontificatus & auguratus plebi fuere communicata (x). Patet id quoque ex eo, quod conſul conſuli obnuntiare poterat, obnuntiatio autem auſpicia ſequebatur. Hoc tamen moris erat, vt cum nullus eſſet magiſtratus patritius, auſpicia ad patres redirent (y), vti per interregnum renouata auſpicia videmus apud Liuium (z). Diuerſa autem inter ſe erant augurum auſpicia & magiſtratuum. Augures quidem ex certis ſignis, quæ facta, fulgure, tonitru &c. comitia impediebant & dirimebant. Rem explicat Cicero, (a) qui poſtquam dixerat, facilius quid agi poſſe vi magiſtratus, quam iure ſacerdotii, concludit tandem: *nos enim* [de auguribus loquitur, quia ipſe augur] inquit *nuntiationem ſolum habemus, Conſules & reliqui magiſtratus etiam ſpectionem.* Ioue enim fulgurante vel tonante comitia haberi nefas, inde fulmen ſiniſtrum ad omnes res bonum adpellat Cicero, præterquam ad comitia, quia ad hæc plane nullum bonum. Quod ſi tale quidpiam

(x) Liuius *X c. VIII & IX.* (y) Cicero *ad Brutum ep. V.*
(z) Liuius *V c. XXXI.* (a) *Philippica II c. XXXII.*

piam acciderit, nuntiabant augures publici, quibus tamen mentiri auſpicia nefas erat. Videmus ergo ex Liuio, vitium de cœlo, quod comitia turbaret, interueniſſe (b). Talem autem nuntiationem auguribus competiiſſe videmus ex Ciceronis loco ſuperiori, & ex verbis veteris iuris pontificii, cuius fragmenta Cicero adducit (c): *quæque augur iniuſta, nefaſta, vitioſa, dira, defixerit, irrita infectaque ſunto, quique non paruerit, capitale eſto.* Magiſtratus autem vtrumque habebant, & nuntiationem & ſpectionem: *omnibus enim magiſtratibus auſpicia dantur*, inquit Cicero (d). Augures non niſi iuſſi de cœlo ſeruabant, &, comitiorum præſertim tempore, ſpectionem non habebant, ſed ſi fulgur vel tonitru acciderat, nuntiabant. Magiſtratus autem & de cœlo ſeruabant & obnuntiabant, hac formula vtentes, ALIO DIE. Bene ergo intelligendus eſt Feſtus, qui ſpectionem duntaxat auguribus conceſſam ait, quorum conſilio rem gererent magiſtratus, non vt nuntiando poſſent impedire quæcunque vidiſſent. Loquitur enim ibi de obnuntiatione: Nuntiare quidem augurum erat, ſi vitium de cœlo eſſet factum, obnuntiare ſoli poterant magiſtratus inter ſe. Non ergo eſt, cur Manutius (e) argumento verborum Feſti, præpoſtero ordine Ciceronis verba collocata putet. Præterquam enim quod non facile illud concedendum, illa quoque Ciceronis verba cum aliis collata eundem ſenſum faciunt. Negabant enim fas eſſe cum populo agi, cum de cœlo ſeruaretur (f), quod lege Aelia Fuſia ſtatutum erat (g).

(b) *XL c. XLII.* (c) *II de LI c. VIII.* (d) *III de LI c. XII.* (e) *de comitiis Rom. c. VIII.* (f) Cicero *pro domo c. XV.*

(g). Nec tamen habitis Comitiis, ſed priusquam haberentur, nuntiare debebant (h), nec ipſis diebus comitialibus de cœlo ſeruare magiſtratibus licebat, quod lege Clodia conſtitutum erat (i), cum antea ipſo comitiorum die, cum populus in ſuffragia ire vellet, de cœlo ſeruarent (k). Maioribus vero magiſtratibus hoc tantum competebat (l), licet & tribunos conſulibus obnuntiaſſe videamus (m). Liberum tamen fuiſſe putamus magiſtratibus, huic tribunorum obnuntiationi parere in comitiis præcipue centuriatis, cum illo ipſo edicto, quo quis dies comitiis centuriatis futurus, edicebatur, ex veteri forma perpetua additum, ne quis magiſtratus minor de cœlo ſeruaret (n); maxime cum ex augurum diſciplina nos doceat Plinius (o), neque diras, neque vlla auſpicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes obſeruare ſe ea negauerint. Et ſi vel maxime tribunorum obnuntiationi aliquam vim adtribuerem, ipſos quoque tribunos ſimul fuiſſe augures putarem. Auſpicia enim pro magiſtratuum diuerſitate erant vel maiora, vt conſulum, prætorum, cenſorum, ideo maiora dicta, quia horum auſpicia magis rata habebantur, quam aliorum; alia minora, quæ reliquorum erant magiſtratuum, vti videmus ex Gellio (p). Proconſules & Proprætores auſpicia nulla habebant (q), & cum

(g) Cicero *de prouinc. Conſul. c. pen. in Vatin. c. VI & pro Sextio c. XV.* (h) Cicero *Philippica II c. XXXII.* (i) Dio *lib. XXXVIII p. m. 67.* Cicero *in Piſonem c. IV. poſt reditum c. V.* (k) Dio *c. l.* (l) Gellius *XIII c. XIV.* (m) Cicero *Philippica II c. XXXVIII & ad Atticum IV ep. III.* (n) Gellius *c. l.* (o) Plinius *XXVIII c. II.* (p) *XIII c. XIV.* (q) Cicero *II de diuinatione c. XXXVI.*

& cum legimus auſpicato ad bellum profectos, ſoli erunt conſules vel prætores. Et quidem collegæ tantum ſibi inuicem auſpicia vitiare & turbare vel retinere dicebantur (r) Ita cenſores inter ſe, prætores & conſules inter ſe, vitiare vel obtinere auſpicia poterant, & conſul conſuli obnuntiare (ſ). Cenſor vero nec conſuli nec prætori obnuntiare poterat, ſed collegæ tantum; prætor vero conſuli, quia eius habebatur collega, eadem formula vtendo, ALIO DIE, quo ipſo impediebantur comitia & in alium diem differebantur. Obnuntiabant autem ſiue ſecundum fuerit auſpicium, ſiue aduerſum (t). Immo ementiebantur ſæpe auſpicia, obnuntiantes, ſi vel plane nihil viderint, vel audierint, cuius Cicero Antonium arguit (u). Bene ergo Cicero (x), maximum & præſtantiſſimum in rep. ius eſſe augurum dicit, cum eſt auctoritati coniunctum, cum concilia vel inſtituta reſcindere vel habita dirimere, vel leges tollere poſſint. Nitebantur vero rationibus politicis, atque ideo retenta ſcribit Cicero (y), vt multos inutiles comitatus probabiles impedirent moræ; vel vt clarius dicam, quo conſul conſuli obnuntiando, eius conatus reip. noxios poſſit reprimere: vti videmus, Bibulum legibus Cæſaris obnuntiantem apud Suetonium (z). Magiſtratus quidem antequam in campo Martio aliquid agere vellent, Petroniam amnem auſpicato tranſibant (a). Cum enim nihil inauſpicato geri vellent, Conſules quoque antequam comitia haberent, ſeruabant de cœlo

(r) Gellius *c. l.* (ſ) Cicero *Philippica II c. XXXIII.* (t) Dio *c. l.* (u) *Philippica II c. XXXIII.* (x) *II de Ll c. XII.* (y) *III de Ll c. XII.* (z) *Cæſare c. XX.* (a) Feſtus *voce Petronia.*

cœlo vti ex Cicerone (b) adparet. Et quidem is, qui comitia centuriata habiturus erat, augurem publicum ſibi in auſpicio eſſe iubebat, his verbis QV. FABI, TE MIHI IN AVSPICIO ESSE VOLO (c). Veritatem autem auguriorum ſpretam & ſpeciem tantum retentam idem dolet Cicero (d), dum ait: *hæc certe, quibus vtimur, ſiue tripudio, ſiue de cœlo, ſimulacra ſunt auſpiciorum, auſpicia nullo modo.* Ante quidem ipſi conſules ſeruabant de cœlo, poſt vero fauſtum auſpicium nunciare iubebant, licet nullum factum. Singulare erat in lege curiata ferenda, vbi tres augures adhibendi (e). In conſulum aliorumque magiſtratuum creandorum comitiis, hæc lex Romanis obſeruata, vt candidati e tentoriis diluculo prodeuntes, preces quasdam ſub dio peragant, inde ex auguribus vnus, qui ære publico ad eiusmodi negotia adhibetur, fulguris ſignum a ſiniſtris datum pronuntiat, etiamſi nullum ſit datum, atque tunc auſpicato creati dicebantur, vti hæc deſcribit Halicarnaſſenſis (f). Quod ſi forſan auſpicia non rite adhibita, vel aliud vitium factum, de eo iudicare ad collegium augurum ſpectabat (g). Quod & tantam habebat vim, vt & ſi vitio creati magiſtratus dicerentur ab auguribus, abdicare ſe cogerentur magiſtratu (h).

DE HARVSPICVM DISCIPLINA

Haruſpicum diſciplinam ab Etruſcis hauſere Romani, e quibus & primos haruſpices Romulus legit (i), &

(b) *II de N. D c. IV.* (c) Cicero *de diuinat. II c. XXXIV.* (d) *c. l. & II de N. D. c. III.* (e) Cicero *IV ad Atticum ep. vlt.* (f) *lib. II p. m. 81.* (g) Cicero *ad Plancum lib. X ep. XII. de N. D. lib. II c. IV.* (h) Cicero *c. l.* Liuius *IV c. VII & XLV c. XII.*

(i), & quidem vnum nomine Tages, puerum aruſpicii diſciplinam duodecim Etruriæ populis dediſſe fabulabantur (k). In quo autem hæc diſciplina conſiſtat, Cicero nos docet (l), in impetrandis ſcilicet conſulendisque rebus, in monſtris interpretandis ac procurandis, ſecundum tradita. In duobus ergo conſtabat, in extis inſpiciendis, & in monſtris atque oſtentis interpretandis. Quare & Cicero (m) haruſpices diſtinguit in extiſpices & eos, qui ex fulguribus oſtentisque prædicerent: & alio loco (n) coniungit haruſpices, fulguratores & interpretes oſtentorum. Primum ex extis diiudicabant, in quibus dum adhuc palpitantia, obſeruabant an ſitu naturali poſita, ſana, integra & vegeta, vel aucta; an vero tabefacta, morbida, pallida, vlceroſa, languida, liuida; quibus dein portendebant, de quo Ouidius (o):

protinus ereptas viuenti pectore fibras
inſpiciunt, mentesque deum ſcrutantur in illis

& Seneca (p):

erepta viuis exta pectoribus tremunt,
ſpirantque venæ, corque adhuc pauidum ſalit,
at ille fibras tractat, ac fata inſpicit;
& adhuc calentes viſcerum venas notat

Ex quo loco & videmus, exta trepidantia adhuc, ſiue vt Virgilius (q) adpellat, ſpirantia introſpecta fuiſſe, quod ſemper conſulere exta dicebant veteres, vt Virgilius:

O o *ſpi-*

(i) Dionyſius Halicarn. *lib. II p. m. 93.* (k) Feſtus *voce Tages.* Cenſorinus *de die natali c. XVII.* (l) *I de diuinatione c. II.* (m) *I de diuin. c. VI & II c. XI.* (n) *II de diuin. c. LIII.* (o) *XV Metam. v. 136.* (p) *Thyeſte v. 756.* (q) *IV Aen. v. 64.*

ſpirantia conſulit exta

Dicitur ita hic diuinandi modus Ciceroni *præſenſio per exta*, (r) Suetonio *extiſpicium*, (ſ) Tertulliano *extorum inſpicium* (t). Maxime vero obſeruabant, an aut abſit aliquid aut ſuperſit (u). Ita ſine corde exta reperta (x); iecur abſumtum & caput iecinoris defuit (y). *Caput enim Iecoris* inquit Cicero (z), *ex omni parte diligentiſſime conſiderant, ſi vero id non eſt inuentum, nihil putant accidere potuiſſe triſtius*. Quippe infeliciſſimum erat, ſi aliqua pars abeſſet, atque *exta peſtifera* dicebantur. Repente enim extis adimi corda vel capita aut geminari victima ſtante putabant (a). Atque tunc exta ſæpe ſine capite eſſe dicuntur (b), vel cæſum caput in extis reperiri dicebatur, vt eſt apud Ouidium (c):

victima nulla litat: magnoſque inſtare tumultus
fibra monet, cæſumque caput reperitur in extis.

Lætum e contrario habebatur omen, ſi iecur duplicatum, vti ex hiſtoria Auguſti videmus apud Suetonium (d). Cor enim & iecur præcipua quæ inſpiciebant, & iecinoris quidem caput, ſi de euentu belli eſſet ſacrificium, in duas diuidebant partes, familiarem alteram, e qua ſua euenta augurabantur (e), & hoſtilem, e qua hoſtium fata. Tria quidem obſeruabant præcipue, fibras, fiſſum & caput. Inde Tibullus (f):

Viden'

(r) *topica c. XX.* (ſ) *Nerone c. LVI.* (t) *adu. Marc. lib. I v. 13.* (u) Cicero *I de diuin. c. LII.* (x) Cicero *c. l.* Suetonius *Cæſare c. LXXVII.* (y) Liuius *XXX c. II & XLI c. XV.* Cicero *c. l.* (z) Cicero *II de diuin. c. XIII.* (a) Plinius *XXVIII c. II.* (b) Cicero *II de diuin. c. XV.* (c) *XV Metam. v. 813.* (d) *Auguſto c. XCV &* Plinius *II c. XXXVII.* (e) Liuius *VIII c. IX.* (f) *lib. II el. I.*

Viden' vt felicibus extis
ſignificet placidos, nuntia fibra deos?

Fibras autem explicat Iſidorus (g), quod ſint *iecoris extremitates, ſicut extremæ partes foliorum in vitibus, ſiue quaſi linguæ eminentes.* Fiſſum & fibram in extis valere adgnoſcit Cicero (h), atque iecorum fiſſa erant vti ait (i): *quo modo collata eſt inter haruſpices diſciplina, quæ pars inimici, quæ familiaris eſſet: quod fiſſum periculum, quod commodum aliquod oſtenderet.* Ex quo vtriusque fortunæ ſigna ex fiſſo patuiſſe diſcimus. Exta vero cum omnia fauſta eſſent, pronuntiabantur bona, læta, felicia: triſtia vero irata & dira, ſi mali ominis eſſent, vti infra ſub ſacrificiis. Vtebantur hoc extiſpicio antequam rem aliquam arduam adgrederentur. Quare & Imperatores Romani antequam introirent curiam, immolabant, extaque per haruſpices inſpici curabant (k). Conſules antequam in prouincias irent, exta conſulebant (l). Maxime de pugnæ exitu exta conſulta, cuius exempla occurrunt frequentiſſima (m). Nec certis in rebus ſine ratione erat hoc extiſpicium, in loco præſertim ad caſtra capiendo & ſolo hoſtili. Cicero quidem (n) ad hoſtiam eligendam ducem eſſe putat vim quandam ſentientem, quæ toto confuſa ſit mundo, & inter ipſam extorum immolationem eorum fieri poſſe mutationem. Melius tamen Democritus apud Paulum Diaconum (o), ſapienter inſtituiſſe veteres putat, vt hoſtiarum

Oo 2   rum

(g) *lib. XI origg. c. I.* (h) *I de diuin. c. X.* (i) *III de N. D. c. VI & XII. I c. LII & II c. VI.* (k) Suetonius *Caeſ. c. LXXXI. Nerone c. LVI.* (l) Liuius *XXII c. I.* (m) Liuius *VIII c. IX.* Halic. *lib. III p. m. 140. 142. 144.* (n) *c. l.* (o) *lib. II.*

rum immolatarum inſpicerentur exta, quarum ex habitu atque colore, tum ſalubritatis tum peſtilentiæ ſigna percipi, nonnunquam etiam quæ ſit vel ſterilitas agrorum vel fertilitas futura. Nec autem exta ſolum introſpiciebant, ſed ex aliis quoque ſignis antequam immolarentur hoſtiæ, coniecturabantur. Ita ſi hoſtia ad ſacrificium adducta reluctaretur, fugeret, mugitus diros ederet, triſtis ominis res erat, cuius exempla in hiſtoriis Romanis quam plurima. Præcipue vero triſtes ſacrificiorum notas, ſiue dira ſigna latius deſcribit Seneca in Oedipo (p). Atque hæc ſecundum Feſtum, piacularia auſpicia adpellabantur, quæ ſacrificantibus triſtia portendebant, cum aut hoſtia ab ara profugiſſet, aut percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam partem corporis quam oporteret, decidiſſet. Deinde ex flamma quoque, thure adhibito, mola ſalſa, aqua, & aliis quæ adhibebant, iudicabant. Dirum erat, ſi varios flamma dederit colores, ſi

cærulea fuluis miſta oberrauit notis
ſanguinea rurſus ; vltimum in tenebras abit

vti canit Seneca (q). Si flamma in partes duas diſceſſerit, ſi nubes fumi denſa adparuerit, ſi cruor vino quod libabant, intermixtus fuerit, & ſimilia. Quare & Cicero (r) de haruſpicibus ait : *ab aqua aut ab igni pericula monent*. Aſt præter exta verſabatur & hæc haruſpicum diſciplina etiam circa fulgura & omina, vti exta pecudum, monſtra aut fulgura interpretari Cicero coniungit (ſ). Quare haruſpicum ſpecies erant fulguratores (t).
Rem

(p) *a. v. 291. ad 386.* (q) *Oedipo v. 319.* (r) *II de diuin. c. XIII.* (ſ) *I de diuin. c. VI.* (t) Nonius Marcellus *cap. I n. 39.*

Rem melius explicat Conſtantinus M. lege lata (u), quæ talis eſt: *ſi quid de palatio noſtro aut cæteris operibus publicis degustatum fulgore eſſe conſtiterit, retento more veteris obſeruantiæ, quid portendat ab haruſpicibus requiratur & diligentiſſime ſcriptura collecta ad noſtram ſcientiam referatur.* Ex qua lege etiam, quæ inter hos atque augures fuerit differentia, diiudicandum erit. Augures quidem, vti diximus, quoduis phœnomenon, quod de cœlo ex diſciplina augurali obueniebat, obſeruabant & nuntiabant. Haruſpices autem in conſilium, ſi fulgure loca publica fuerint tacta, quid portenderet, vocati. Et quidem duplex erat ratio, vel ædes ſacræ & publicæ de cœlo tangebantur, vel loca alia. Prius ſi factum inter prodigia numerabatur, de quibus Etruſci vates, haruſpices conſulebantur (x). Ex quorum reſponſo (y) procurari eadem moris erat (z). Alia loca erant quæcunque eſſent, ſi fulmine tacta, dicebantur fulgurita, & ſtatim fiebant religioſa, quod ea deus ſibi dicaſſe videretur (a). Dicebatur locus iſte bidental (b), qui ſacro percuſſus fulmine, atque bidente vel oue ab haruſpicibus conſecrabatur, quem calcare nefas (c). Quare Perſio (d) *euitandum bidental* dicitur. In vſu autem fuiſſe dicit vetus Perſii ſcholiaſtes (e), vt augures vel haruſpices adacti de Hetruria certis temporibus fulgura transfigurata in lapides infra terram abſconderent, cuius impetratione

 oues

(u) *lege I. C. Theod. de paganis ſacrif. & templis.* (x) Liuius *I c. LVI.* (y) Liuius *XXIV c. X & XLIV. XXXII c. I.* (z) Liuius *XXXII c. I. & IX. XLI c. IX. XXVII c. XXV.* (a) Feſtus *voce fulguritum.* (b) Feſtus *voce bidental.* Nonius Marcellus *cap I n. 564.* (c) Scholiaſta Perſii *ad ſat. II.* (d) *ſat. II v. 27.* (e) *ſat. VI v. 589.*

oues immolabantur. Dicebatur is Iuuenali *aliquis ſenior, qui publica fulmina condit.* Condebantur ergo loco tali fulgurito fulmina, quod & Lucanus (f) adgnoſcit, dum canit:

Aruns diſperſi fulminis ignes
colligit, & terra mœſto cum murmure condit,
datque locis numen: ſacris tunc admouet aris
electa ceruice marem.

& alio loco (g):

Tarpeiis qui ſæpe diis ſua thura negarunt
incluſum Tuſco venerantur ceſpite fulmen.

Fulmini ita condito operculum imponebatur, puteal dictum, ita tamen vt ſemper foramine aperto cœlum pateat. Videmus id ex Plinio (h): *Ficus Rumina,* inquit, *arbor in foro ipſo ſacra fulguribus ibi conditis. Puteal impoſitum loco ſacro, fulguribus ibi conditis.* Quod & confirmat Halicarnaſſenſis (i), qui locum hunc operculo impoſito, puteal adpellatum ait. Hoc vero nefas erat integi, ſed neceſſe erat, vt ſemper foramine aperto cœlum pateat (k). Refert huc Gutherius (l) lapidem pertuſum, quem in ſeptima vrbis regione collocat P. Victor, nec ſine ratione, cum in lapidem transfigurata fulgura ſub terram fuiſſe condita viderimus. Inde & ipſi loco lapis impoſitus, cum hac inſcriptione: FVLGVR CONDITVM (m), ſæpe & ara atque ſacellum (n). Quo facit & inſcriptio apud Gruterum: ARA PROCVR. FVLGETRAE (o). Semper tamen hæc loca ſepieban-

(f) Lucanus *lib. I v. 606.* (g) *lib. VIII circa finem.* (h) *XV c. XVIII* (i) *lib. IV p. m. 204.* (k) Feſtus *voce Scribonianum.* (l) *de vet. iure pontificio lib. III c. V.* (m) Gruterus *p. CXXXII n. 8. 9.* (n) Feſtus *c. l.* (o) *p. CXXXII n. 7.*

bantur (p) cum illa calcari nefas eſſet (q). Dicebantur & alia loca de cœlo tacta *obſtita* (r). Rationem habet Plinius (ſ), quod omnia a ſuperiore cœlo decidentia obliquos habeant ictus, hæc autem, quæ vocantur terrena, rectos. Obſtitum enim Ennio dicebatur obliquum. *In fulgurum quoque interpretatione eo profecit ſcientia, vt ventura alia finito die prauinat : & an peremptura ſint fatum, aut apertura potius alia fata, quæ lateant innumerabilibus in vtroque publicis priuatisque experimentis* inquit Plinius (t). Nec minus inter prodigia referebatur, ſi homines de cœlo tacti atque exanimati eſſent (u), quorum membra colligebant haruſpices, de quo Seneca (x) : *ecquis regum erit tutus, cuius non membra haruſpices colligant. Quod ſi dii placabiles, & æqui delicta potentium, non ſtatim fulminibus perſequuntur.* Hominem enim ita exanimatum cremari fas non erat, condi terra religio tradidit (y). Ad arbores fulguritas ſi qui ſacrificia quædam fecerint, dicebantur ſtruſertarii, a ferto ſcilicet quodam ſacrificii genere. Strues quidem & fertus liborum genera erant, quæ crebrius ad ſacra ferebantur, inde cum ad arbores fulguritas talia libatulerint, dicebantur ſtrufetarii (z).

DE ORACVLIS

Oracula definit Cicero, quod ſint illa, quæ inſtinctu diuino adflatuque fundunrur (a). Iis non tam claruere Romani ac Græci ; licet & iis quoque haut raro fue-

(p) Varro *lib. IV de L. L. p. m. 25.* (q) Ammianus *lib. XXIII p. m. 246.* (r) Feſtus *hac voce.* (ſ) *II c. LII.* (t) *II c. LIII.* (u) Liuius *XXII c. XXVI.* (x) *I de clementia c. VII.* (y) Plinius *II c. LIV.* (z) Feſtus *voce ſtrues & fertum.* (a) Cicero *I de diuinat. c. XVIII.*

ſuerint vſi. Delphici inprimis oraculi auctoritas apud Romanos maxima erat, ad quod legatos ſæpe & dona mittebant, conſulturi deos de rebus arduis (b). Maxime vero per magnas clades, prodigia & facta extraordinaria territi Romani, Delphos ad oraculum miſere ſciſcitatum, quibus precibus, ſuppliciisque deos poſſint placare, & quænam futura finis tantis cladibus foret (c). Legatique Delphis Romam redeuntes reſponſum ex ſcripto recitabant, ſecundum quod res diuinæ & ſupplicationes ex Senatus conſulto decernebantur (d). Erat quidem apud Græcos æque celebre Iouis Ammonis & Iouis Dodonæi oraculum, quæ & Græci ſemper adibant (e), ſed a Romanis ea conſulta, nondum apud ſcriptores reperi. Solis vero Heliopolitani oraculum a Traiano conſultum memorat Macrobius (f). Modum oraculi deſcribit Strabo, (g) qui de Delphico: Φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον, ἄντρον κοῖλον κατὰ βάθους, οὐ μάλα εὐρύστομον ἀναφέρεσθαι δ' ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα ἐνθουσιαστικὸν, ὑπερκεῖσθαι δὲ τοῦ στομίου τρίποδα ὑψηλὸν, ἐφ' ὃν τὴν πυθίαν ἀναβαίνουσαν, δεχομένην τὸ πνεῦμα, ἀποθεσπίζειν ἔμμετρά τε καὶ ἄμετρα ἐντείνειν δὲ καὶ ταῦτα εἰς μέτρον ποιητάς τινας ὑπουργοῦντας τῷ ἱερῷ. *oraculum ipſum, aiunt eſſe cauam profunde ſpecum, aditu non admodum lato: ex ea ſpiritum efferri furoris diuini efficacem: ſupra orificium tripodem ſitum ſublimem, quo conſcenſo Pythia, vbi ſpiritum exceperit, carmine ſolutaque oratione ſortes ab ea pronuntiari. Porro poëtas quosdam eſſe*

(b) Liuius *I c. LVI. V c. XVI. XXIX c. XI.* (c) Liuius *XXII c. LVII.* (d) Liuius *XXIII c. XI.* (e) Cicero *de diuin. I c. XLIII.* (f) *ſaturn. I c. XI.* (g) *lib. IX p. m. 288.*

eſſe fani adminiſtros, qui proſa oratione edita in verſus numeroſque redigant. Antiquitus ergo ligato ſermone edebantur oracula, quod vero poſtea deſiit; cuius in rationes inquirit Plutarchus, ſingulari edito libello, & non minimum eſſe iudicat, poëtices abuſum, cum ea varii impoſtores & præſtigiatores ad defraudandos falſis oraculis ſuis homines male vterentur, licet verior videatur ſententia, non ſemper præſto illis fuiſſe tales ſacerdotes, qui reſponſa carminibus poſſint efferre. Cicero quoque diſputat, qui fiat quod non eodem modo, quo olim oracula ſuo tempore Delphis edantur, & rationem quam alii adducunt, ridet, euanuiſſe vetuſtate vim loci eius, vnde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia, mente incitata, oracula ederet (h). Ex quo etiam videmus, credidiſſe veteres, vim terræ mentem Pythiæ diuino adflatu concitare (i). Alii quidem mores, ritus & cærimoniæ in reliquis occurrunt oraculis, ſed cum ad res Græcorum ſpectent, eo nos referimus, de iis ſuo tempore acturi.

DE PRODIGIIS

In prodigiis Romani admodum ſuperſtitioſi erant, eaque ſingulare quid portendere non ſolum putabant, ſed & in annales referebant, & de iis procurandis erant ſolliciti (k). Dicuntur autem quæ contra naturam cuiusque rei fiunt, & varie adpellantur; *oſtenta, portenta, monſtra & prodigia*, quæ vna eademque ſunt. Oriebantur partim ex cœlo, alia ex terra, quædam etiam ex hominum pecudumue conceptu & ſatu, ſecundum Ciceronem (l). Exempla varia paſſim occurrunt in hiſto-

P p riis,

(h) Cicero *II de diuin. c. LVII.* (i) Cicero *de diuinatione I c. XIX.* (k) Liuius *I c. XX. XLIII c. XIII.* (l) *I de diuin. c. XLII.*

riis, quæ omnia adducere nimis longum foret, aliqua tamen melioris illuſtrationis gratia adducemus. Ita cœlum ardere viſum eſt plurimo igne (m), & terra ingenti motu concuſſa (n). Sic carne pluit, quem imbrem ingens numerus auium interuolitando rapuit (o): lapidibus pluit (p): ædes ſacræ de cœlo tactæ (q): voces horrendæ editæ: boues locuti: monſtra nata & varia meteora atque prodigia cœleſtia in agro & urbe viſa (r): & plura alia, in quibus recenſendis totus eſt Bulengerus libro quarto. Hæc autem portenta atque prodigia varie procurari mos erat; vt feriæ indictæ, per quas omnia delubra pacem Deûm expoſcentium virorum mulierumque turba implebantur (ſ). Supplicationes indictæ, & ad omnia puluinaria res diuinæ factæ; maioribus hoſtiis diis ſacrificatum (t). Nonnunquam & vrbs luſtrata (u), & populus vt coronatus eſſet, indictum (x). Plurimam tamen partem libri Sibyllini ex Scto aditi, & quæ iſti prodidere, ſacra decreta (y).

DE SORTIBVS

Generalior vox ſortis apud Romanos erat, ita vt quoduis vaticinium vel oraculum notaret, vti Cicero (z) ſortem Crœſo editam dicit, quod de oraculo ei facto intelligit. Vt plurimum tamen pro tali vaticinio dicebatur, quod nullo conſilio humano ſed fortuito caſu ita

(m) Liuius *III c. V.* (n) Liuius *XI c. X.* (o) Liuius *c. l.* (p) Liuius *XXXVI c. XXXVII.* (q) *c. l.* (r) Liuius *II c. XLII.* (ſ) Liuius *III c. V.* (t) Liuius *XXXI c. I & XLV c. XVI.* (u) Liuius *XLV c. XVI.* (x) Liuius *XLIII c. XIII.* (y) Liuius *III c. X. XXXI c. XII & XLV c. XVI.* (z) *II de diuin. c. XXXIII.*

ita euenit, vti Cicero ſortem deſcribit, dum ait (a): *quid ſors eſt? idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod teſſeras, quibus in rebus temeritas & caſus non ratio nec conſilium valet.* Erant aliæ priuatæ aliæ publicæ. Inter publicas ob vetuſtatem maximi fiebant ſortes Præneſtinæ, vel Præneſtinæ fortunæ ſortes dictæ (b), ob fortunæ cultum, qui ibi præcipuus, vti narrat Cicero (c). Originem harum late deſcribit, dum ait: *Numerium Suffucium Praeneſtinorum monumenta declarant, honeſtum hominem, & nobilem, ſomniis crebris, ad extremum etiam minantibus, cum iuberetur certo in loco ſilicem caedere, perterritum viſis, irridentibus ſuis ciuibus id agere cœpiſſe: itaque perfracto ſaxo ſortes erupiſſe, in robore inſculptis priſcarum litterarum notis. Is eſt hodie locus ſeptus religioſe propter Iouis pueri, qui lactens cum Iunone in gremio fortunae ſedens mammam adpetens caſtiſſime colitur a matribus. Eodem tempore, illo loco vbi nunc Fortunae ſita aedes eſt, mel ex olea fluxiſſe dicunt, haruſpicesque dixiſſe, ſumma nobilitate illas ſortes futuras, eorumque iuſſu ex illa olea arcam eſſe factam: eaque conditas ſortes, quae hodie fortunae monitu tolluntur.* Magna harum erat auctoritas, quippe Suetonius auctor eſt de Tiberio (d), cum vicina vrbis oracula diſiicere conatus fuerit, Præneſtinarum ſortium maieſtate territum eum deſtitiſſe. Aliæ ſortes publicæ quoque erant apud Cærites, de quibus agit Liuius (e). Sortes Antiatinas in hiſtoria Caligulæ memorat Suetonius (f), & vidiſſe ſe apud

 An-

(a) II *de diuin. c.* XLI. (b) Valerius Maximus I *c.* III. Suetonius *Domitiano c.* XV. Propertius II *eleg.* XXXII *v.* 3. (c) II *de diuin. c.* XLI. (d) *c.* XIII. (e) *lib.* XXI *c.* XII & *lib.* XXI *c.* I. (f) *c.* LVII.

Digitized by Google

Antium promoueri fortunæ ſimulacra, ad danda reſponſa ſcribit Macrobius (g). A Romanis quoque conſul- *Tab. V n. 25.* tæ hæ ſortes, quod teſtatur nummus Q. Ruſtii, qui ſortes haſce Antiates ſub figuris duabus mulicbribus galearis exhibet. Falerinas ſortes laudat Plutarchus in Fabio (h), ea vocans γραμματεῖα. Apenninas ſortes Ioui Conſuli addidit Firmus (i): omnes a locis ſuis ſic dictæ. Erant autem ſortes tabellæ vel teſſeræ ligneæ, quibus inſcripta certa verba, quas in arcam coniectas mouebat & inde vnam poſt alteram ducebat puer, easdemque ordine, prout eductæ, componebat, vt certus ſenſus inde poſſit elici (k); quare & *ſortes ducere* dixit Iuuenalis (l). Arca illa in quam condebantur ſortes, facta erat ex olea (m), quam aliquando obſignatam Romam deuehi iuſſit Tiberius (n). Pro aduerſo admodum habebatur, ſi ſortes ſua ſponte fuerint extenuatæ. Exemplum eius adfert Liuius, dum inter alia prodigia illud quoque refert (o), Cære ſortes extenuatas & paulo poſt ait (p): *Faleriis cælum ſindi viſum, velut magno hiatu; quaque patuerit, ingens lumen effulſiſſe: ſortes ſua ſponte attenuatas, vnamque excidiſſe, ita ſcriptam:* MAVORS TELVM SVVM CONCVTIT. Quod idem confirmat Plutarchus in Fabio (q), qui tamen plures decidiſſe & disiectas fuiſſe ait ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι πολλὰ γραμματεῖα, καὶ τούτων ἑνὶ γεγραμμένον. Lipſius (r) quidem legi mauult extæniatas, cum ſortes iſtas tæniis vittisque obuolutas autumet, ita

(g) *ſaturn.* I *c.* XI. (h) *p. m.* 174. (i) Vopiſcus *in vita c.* III. (k) Cicero II *de diuinatione c.* XLI. (l) *p.* 585. (m) Cicero *c. l.* (n) *c.* LXIII. (o) *lib.* XXI *c.* LXII. (p) *lib.* XXII *c.* V. (q) *p. m.* 174. (r) II *elect. c.* XII.

ita vt ſortes extenuatæ nihil aliud notent, quam vittis & tæniis ſuis ſolutas, quæ tamen ſententia nec moris nec verbi antiquitate nititur. Proſperum enim in communi vatum ſcientia erat, ſi omnia maiora atque auctiora adparerent; vti quadrigas fictiles in faſtigium delubri Iouis Capitolini deſtinatas, quod in fornace creuiſſent, felix fortunatumque Romanis rebus omen portendiſſe auctor eſt Plinius (ſ). E contrario triſte portentum erat, ſi quæ res ſolito minor, tenuior atque defectior adparuerit, vti ex haruſpicum diſciplina notum eſt. Quo facit ſingulare illud, quod de Seruiliorum familia narrat Meſſala (t): *habet*, inquit, *trientem ſacrum, cui ſumma cura magnificentiaque ſacra quotannis faciunt, quem ferunt alias creuiſſe, alias decreuiſſe videri, & ex eo aut honorem aut deminutionem familiæ ſignificari.* Immo triſtiſſimum erat, ſi plane quidpiam vaticinio deſtinatum euaneſceret. Sortes ergo attenuatas dictas putem, ſi plane euaneſcerent. Exemplum talis euanitionis extat & apud Suetonium (u), cum ſortes Prænestinæ obſignatæ, Romamque deuectæ in arca non fuere repertæ, quod inter triſtia retulit Tiberius. Sic dum Liuius attenuatas ſortes ait, ita intelligendum putem, euanuiſſe ex arca tabellas iſtas ligneas, vnamque iterum cum inſcriptione ſua de cœlo decidiſſe. Ita pro maximo habebatur portento Spartiatis, quod ſimia, quam rex Moloſſorum in delitiis habebat, & ſortes ipſas & cætera, quæ erant ad ſortem parata diſturbauit, & aliud alio diſſipauit, narrante Cicerone (x). Neque hodie iſta ſortilegii ſpecies incognita, & rhabdomantia adpellatur.

 Sor-

(ſ) *lib.* XXVIII *c.* II. (t) *apud Plinium* XXXIV *c.* XIII.
(u) *in Tiberio c.* LXIII. (x) I *de diuin. c.* XXXIV.

Sortium oracula conſulentes æque conſulere deos atque ſortes dicebantur, & ſi inde retulerint reſponſa, ſortes tollere dicebant, de quo agit Tibullus (y):

dicitur ante omnes conſuluiſſe deos
illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
retulit de triuiis omina certa puer

& inſcriptio apud Gruterum (z)

SACRO
SVSCEPTO
SORTIBVS SVBLATIS
C. GALLIO
ATTICVS
MEDIOLANENS.

Quod ſi autem felix extiterit ſors, gratum teſtabantur animum: quo facit alia inſcriptio Præneſtina (a):

FORTVNAE
IOVIS. PVERI
PRIMIGENIAE
D. D
EX. SORTE. COMPOS
FACTVS
NOTHVS. RVFICANAE
L. F. PLOTILLAE

Aliæ ſortes erant priuatæ. Sorte quidem multæ res apud Romanos dirimebantur, vti conſules inter ſe ſortiebantur prouincias (b): Liuius etiam C. Valerium & C. Claudium conſules ſortitos inducit, ex qua quisque regione hoſtem adgrederetur (c), vbi ſortem in ſitella in

(y) *lib. I el. III v. 10.* (z) *p. CXXXII n. 6.* (a) *p. LXXVI n. 7.* (b) Liuius *XXVII c. XXXVI. XXXIV c. LV.* (c) Liuius *XLI c. XVIII.*

in templum latam dicit. Modum hunc ſortis hauſere Romani a Græcis, quem, qui apud Meſſeniacos deſcribit Pauſanias (d): *ἐς ὑδρίαν, ἐνόντος ἐν αὐτῇ καὶ ὕδατος, καθιστᾶσι τοὺς πάλους, ἐπὶ διῃρημένοις μοῖραν ἀναιρεῖσθαι τῆς χώρας προτέροις, ὁποτέρων ἂν πάλος ἀνέλθῃ, πρότερον in ſitulam, aqua plenam mittunt ſortes, re ita conſtituta, vt ſors vtra prior extitiſſet, ille regionem acciperet.* Sortes ita tali erant, qui proiiciebantur in ſitellam aqua plenam, & cuius talus ſiue ſors prius ſupernatauerit, ille victor erat. Sortes hæ vtplurimum ligneæ erant, vel populneæ vel abiegnæ, de quo Plautus (e):

ſed manedum, num iſta aut populna ſors, aut abiegna eſt tua

vel etiam ex coctili laterculo *ὀπτῆς πηλοῦ* & ſubdole ex argilla ſole exſiccata, (f) tales enim in aqua facile ſoluebantur & liquefiebant, quod ex eodem Plauto videmus (g):

ſed vtinam tua quidem, ſicut Herculeis prædicant
quondam prognatis, iſta in ſortiendo ſors delicuerit.

Refert enim Plautus ſe ad hiſtoriam, quam Pauſanias de Cresphonte narrat, quod ſubdolo illo modo, dum ſors Ariſtodemi liberorum ex terra ſole exſiccata conſtans, delicuerit, Meſſeniam obtinuerit. Aliæ priuatorum ſortes erant, dictæ *Virgilianæ* atque *Homericæ*, de quibus frequens apud hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores (h) fit mentio. In eo autem conſtabant, vt Homerum vel Virgilium euoluentes, verſus qui primo ſtatim intuitu obueni-

(d) *lib. IV p. m. 220.* (e) *Caſina actu II ſc. VI v. 32.* (f) Pauſanias *c. l.* (g) *v. 45.* (h) Spartianus *Hadriano c. II.* Lampridius *Alexandro Seuero c. XIV.* Trebellius Pollio *Claudio c. X.*

uenirent, notarent, quos ea de quibus ambigerent, decidere putabant, quod etiam in ſacro codice medii temporis Chriſtianis non infrequens fuit. Alias ſortes quandoque quærebant per *talos*, vt de Tiberio narrat Suetonius (i), quod Geryonis oraculo, ſorte tracta, admonitus, *vt de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret : euenit, vt ſummum numerum iacti ab eo oſtenderent : hodieque ſub aqua viſuntur ii tali.* Morem hunc ſine dubio traxere a Græcis, apud quos narrante Pauſania (k), ita obtinebat ; εὔχεται μὲν γὰρ πρὸ τοῦ ἀγάλματος, λαβὼν δὲ ἀστραγάλους τέσσαρας ἀφίησιν ἐπὶ τῆς τραπέζης *qui enim ſortes conſulit, precatur ante ſimulacrum, ſumtosque talos quatuor mittit in menſam.* Ex ipſis enim talorum notis, quæ in ludis priuatis vel lucrum vel damnum adferebant, capiebant iudicium, vti Propertius (l) canit :

me quoque per talos Venerem quærente ſecundos,
damnoſi ſemper ſubſiliere canes

atque hoc eſt, quod Cicero *talos iacere* (m) dixit. Sic & priuatim ſortes ex vrna educebant futura prædicentes ſortilegæ, de quo Horatius (n) :

namque inſtat fatum mihi triſte, Sabella
quod puero cecinit diuina mota anus vrna

Aliud ſortis genus erat cum *micarent digitis* (o). Primum hanc ſortem, τὸν διὰ δακτύλων κλῆρον Helenam inueniſſe auctor eſt apud Photium (p) Hephæſtio, atque

cum

(i) *in vita c. XIV.* (k) *Achaic. lib. VII p. m. 449.* (l) *lib. IV el. IX v. 17.* (m) *II de diuin. c. XLI.* (n) *I ſerm. ſat. IX. v. 29.* (o) Cicero *II de diuin. c. XLI.* (p) *p. m. 247. ed. Hoeſch.*

cùm Alexandro ſortientem viciſſe. A Græcis hæc ſors ad Romanos venit, eamque deſcribit Nonnus (q):

Φιλακρείτων δὲ βολάων
λαχμὸς ἔην μετέπων ἑτερότροπα δάκτυλα χειρῶν
καὶ τὰ μὲν ὀρθώσαντες ἀνέσχεθον, ἄλλα δὲ καρπῷ
χειρὸς ἐπεσφήκωτο συνήορα σύζυγι δεσμῷ

erat ſortitio indiſcretis manuum iactibus ſequens varios digitorum modos, quos interdum ſublatos erigebant, alios in pugnum includebant compreſſos in vinculum. In rebus emendis vendendisquè vſus huius ſortilegii olim erat præcipuus, vti Varro in Parmenone (r): *micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur*, ita vt prouerbium fuerit ortum, *dignus, quocum in tenebris mices*, quod de eo dicebant, cuius fidem bonitatemque laudare vellent (ſ). Hanc tamen ſortem poſtea ſuſtulit Apronianus præfectus vrbis, vti habet priſcus lapis (t):

EX AVCTORITATE
TVRCI. APRONIANI. V. C
PRAEFECTI. VRBIS
RATIO. DOCVIT. VTILITATE. SVA
DENTE. CONSVETVDINE. MI
CANDI. SVMMOTA. SVB. EXAGIO
POTIVS. PECORA. VENDERE. QVAM
DIGITIS. CONLVDENTIBVS. TRADERE

Alias ſortes *ex terra* editas Cicero (u) ait, auctoritatem habere vetuſtatis, quas vt in rem apte cadant, diuini-

 tus

(q) *Dionyſ. lib. XXXIII v. 77.* (r) apud Nonium Marcellum *cap. IV n. 303.* (ſ) Cicero *de Offic. III c. XIX.* (t) Gruterus *p. DCXLVII n. 6.* (u) Cicero *I de diuin. c. XVIII.*

tus fieri iudicat. Quod ſortis genus nihil aliud videtur, quam quæ Græcis geomantia dicitur pulueri inſcribi alias ſolita, nec noſtro tempore incognita. Sortes *conuiuales* primus introduxit Elagabalus (x), quas in cochlearibus habebat ſcriptas, ita vt quisque exhiberet in conuiuio, id quod per ſortem cochleari inſcriptam cuilibet obueniſſet. Aliæ erant circulatorum ſortes, quæ per *menſam magicam* edebantur, quas late deſcribit Ammianus (y); ſed magiæ potius ſpecies, quam vt inter ſortes referatur. Aliis præterea quæ ſortibus non abſimiles diuinationum ſpeciebus vtebantur priuati. *Pſychomantia* quidem Appium vti ſolitum teſtatur Cicero (z), quæ in animarum euocationibus conſtabat, & cum Græcorum νεκυομαντεία conueniebat, dum manes ex orco euocatos percontabantur. Plinius vocat vmbrarum inferorumque colloquia (a). Dicebantur hæc *ſacra nefaria*, vti Cicero (b) ea adpellat, Vatinium ita increpans: *quis tantus furor, vt cum inaudita ac nefaria ſacra ſusceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis diis manibus mactare ſoleas.* Fuiſſe autem in vicinia Auerni lacum ait idem (c).

Vnde animæ excitantur obſcura vmbra, aperto oſtio
alti Acherontis falſo ſanguine, imagines mortuorum.

Euocationes hæ manium fiebant ad ſepulcra (d), adque has magorum cærimonias aduocari ſolebat (e) *Mercurius carminum vector, & illex animi Venus, & luna noctium conſcia, & manium potens triuia,* & quidem veris illos

(x) Lampridius *Elagab. c. XXII.* (y) *lib. XXIX p. m. 387.* (z) *de diuin. I c. LVIII.* Cicero *I Tuſcul. c. XVI.* (a) *XXX c. II.* (b) *in Vatinium c. VI.* (c) *I Tuſcul c. XVI.* (d) Horatius *ep. V & XVII.* (e) Apuleius *apol. priori p. m. 295.*

illos nominibus ciere neceſſe erat, quæ in litteris ſanctis leguntur (f). Tempus obſeruabatur, dum *ſilens* eſſet *luna*, vti canit Horatius (g):

nox & Diana, quæ ſilentium regis
arcana cum fiunt ſacra

quod Virgilius (h) vocat

tacita per amica ſilentia lunæ

vbi Seruius tacitam lunam male pro ſerena accipit. Dicebatur luna ſilens tempus illud nouilunii, quo otioſa agit luna & non lucet, exinde ſilere dicebatur. Alias luna extrema & prima (i), quod a noua luna creſcat ad plenam, & inde rurſus ad nouam lunam decreſcat. Quare & Horatius canit (k):

ſimul ac noua luna decorum,
protulit os, tunc oſſa legunt herbasque nocentes.

Ipſam quoque lunam & ſidera e cœlo carminibus poſſe euocari credebant, vti canit Horatius (l):

quæ ſidera excantata voce Theſſala,
lunamque cœlo deripit,

& Virgilius (m)

carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam.

Propertius (n):

at vos deductæ quibus eſt fallacia lunæ,
& labor in magicis ſacra piare focis.

Atque hanc artem Theſſalicam dicebant, quia a Theſſalis & inuenta & tradita, quod late probat Geuartius (o) atque Piccartus (p). Ritus vero quibus manes e-

 lice-

(f) Lactantius *II c. XVII.* (g) *ep. V v. 51.* (h) *Aen. II v. 255.* (i) Varro *de R. ruſt. lib. I c. XXXVII.* (k) *lib. I ſat. VIII.* (l) *epod. V v. 45.* (m) *ecl. VIII v. 69.* (n) *lib. I el. I.* (o) *III elect. c. XVI.* (p) *peric. crit. c. I.*

licerent, animas reſponſa daturas, late narrat Horatius (q). Aliæ ſacrorum magicorum ſpecies erant *defixiones* atque *excantationes* : Comprehendit hæc Paulus Ictus, dum ait (r) : *qui ſacra impia nocturnaue vt quem obcantarent, interficerent, obligarent, fecerint, faciendaue curauerint : aut cruci ſuffiguntur, aut beſtiis obiiciuntur.* Tres ita ſpecies facit, obcantare, interficere, obligare. Obcantabantur vel fruges vel homines. Dicebantur hæc incantamenta carminum (ſ), quia certis verbis atque carminibus conſtabant. Qualia Virgilii ferebantur incantamenta amatoria (t), cum & ipſe loquitur (u)

necte tribus nodis ternos Amarylli colores,
necte Amarylli modo, & Veneris, dic, vincula necto.

Atque talia incantamenta animum ſubuertebant, de quo Plautus (x):

præſtigiator forte aut veneficus
hanc excantat tibi familiam.

Qualia & erant ſerpentum incantamenta, quæ Marſorum cantu contrahi credebantur (y). Sic bina legum duodecim tabularum fragmenta adlegat Plinius, (z) *qui fruges excantaſſet*, & *qui malum carmen incantaſſet*. Alterum erat per ſacra magica interficere, de quo Tertullianus (a) *homicidium* inquit, *ferro, veneno, magicis defixionibus perficitur.* Idem eſt, quod Plinius (b) ait, *defigi diris deprecationibus nemo non metuit.* Diros *ſacrorum ritus confingere* adpellat Tacitus (c), qui & exemplum

(q) *lib. I ſat. VIII.* (r) *lib. V ſentent. tit. XXIII.* (ſ) Plinius *XXVIII c. II.* (t) *c. l.* (u) *ecl. VIII v. 77.* (x) *Fragmentis Amphitr. actu IV ſc. III v. 71.* (y) Plinius *c. l.* (z) *c. l.* (a) *de ſpectaculis c. II.* (b) *c. l.* (c) *Ann. XVI c. VIII.*

plum adducit de Germanico, Piſonis & Plancinæ incantationibus extincto (d): *reperiebantur*, ait, *ſolo ac parietibus eruta humanorum corporum reliquiæ, carmina & deuotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemuſti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis ſacrari.* Tertium erat *obligare.* Huius certi erant modi. Videmus enim ſub Aureliano in certis locis facta fuiſſe ſacrificia, quæ barbari tranſire non poſſent (e). Plinius auctor eſt, Veſtales nondum egreſſa vrbe mancipia fugitiua retinere in loco poſſe precatione (f), & quæ alia ſimilis erant generis. In ſacris hiſce magicis talpis præcipue vtebantur. *Nullis* enim *æque credunt extis*, inquit Plinius (g), *nullum religionis capacius iudicant animal: vt ſi quis cor eius recens palpitansque deuorarit, diuinationis & rerum efficiendarum euentus promittant.* Vtebantur etiam certis cœnis magicis, quibus initiabantur (h). Atque has & varias alias ſacrorum nefariorum ſpecies recenſet in originibus ſuis Iſidorus (i). Aliæ prædictiones erant ex manu fronteque vel aſtrorum motibus, quæ fiebant per aſtrologos. Priori prædictionis modo vtebantur pauperes, altero diuites, vti canit Iuuenalis (k):

ſi mediócris erit, ſpatium luſtrabit vtrumque
metarum, & ſortes ducet, frontemque manumque
præbebit vati crebrum poppyſma roganti.
Diuitibus reſponſa dabit Phryx augur, & inde
conductus dabit aſtrorum mundique peritus
atque aliquis ſenior, qui publica fulgura condit.

 Sic

(d) *Ann. II c. LXIX.* (e) Vopiſcus *Aurel. c. XVIII.* (f) Plinius *XXVIII c. II.* (g) Plinius *XXX c. III.* (h) Plinius *XXX c. II.* (i) *lib. VIII Origg. c. IX.* (k) *ſat. VI v. 584.*

Sic alii ex aqua, & ex ſphæris, & ex aëre, & ſtellis, & lucernis, ac peluibus, ac ſecuribus, cribro, farina & multis aliis modis diuina promittebant (l). In ſternutamentis quoque vti Plinius (m) narrat, aliisque rebus ſæpe quærebant ſuperſtitionem. Digitis pectinatim inter ſe implexis adſidere grauidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, veneficium erat (n). Et quæ alia erant præſtigia, quæ omnia referre nimis longum foret. *Somniorum diuinationem* optime deſcribit Cicero (o), dum ait: *quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. viget enim animus in ſomniis, liberque ſenſibus ab omni impeditione curarum, iacente & mortuo pene corpore. Qui quia vixit ab omni aeternitate, verſatusque eſt cum innumerabilibus animis, omnia quæ in natura rerum ſunt, videt, ſi modo temperatis eſcis, modicisque potationibus ita eſt adfectus, vt ſopito corpore ipſe vigilet.* Qui autem de iisdem iudicabant, dicebantur apud Græcos onirocritici, Romanis ſomniorum coniectores (p). Somnia ſi terrerent, dicebantur *ſomniorum minæ*, quas cæſis victimis auertere & expiare conabantur, vti canit Seneca (q):

delubra & aras petere conſtitui ſacras,
cæſis litare victimis numen deûm,
vt expientur noctis & ſomni minæ

& Tibullus (r):

ipſe procuraui, ne poſſent ſæua nocere
ſomnia, ter ſalſa deueneranda mola

&a-

(l) Plinius *XXX c. II.* (m) *XXVIII c. II.* (n) Plinius *XXVIII c. VI.* (o) *I de diuin. c. LI.* (p) Cicero *II de diuin. c. LX.* (q) Seneca *Octauia. v. 754.* (r) *lib. I el. V v. 13.*

& alio loco (ſ) :

at natum in curas hominum genus omnia noctis
farre pio placant & ſaliente ſale.

& Plautus (t) :

recte dicit, vt commeminit, ſomnium narrat tibi.
Sed mulier, poſtquam experrecta es, prodigiali Ioui,
aut mola ſalſa hodie, aut thure comprecatum oportuit.

Modo ergo Ioui prodigiali, modo Veſtæ narrabant ſomnia, quæ viſa fuerant infauſta.

DE VATIBVS, SORTILEGIS ET SIMILIS GENERIS

Homines quos diuinationibus hiſce adhibebant, pro diuerſitate varii erant. Generalis vox videtur eſſe *vatis* (u), & *vaticinatoris*, ſub qua diuerſas eorum ſpecies complecti voluere : vt apud Ouidium (x)

ſcimus ab imperio fieri nil tale Dianæ,
vnde tamen viuat vaticinator habet.

& ipſi libri quibus vtebantur, dicebantur *vaticini* (y). Varias autem vatum differentias ex Ennii loco diſcimus, quem adducit Cicero (z), dum ait :

non habeo denique nauci Marſum augurem,
non vicanos aruſpices, non de circo aſtrologos,
non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomnium.
Non enim ſunt ii aut ſcientia aut arte diuini,
ſed ſuperſtitioſi vates, impudentesque harioli :
aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat :
qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam :
qui-

(ſ) *lib. III el. IV v. 9.* (t) *amphit. actu II ſc. II v. 106.*
(u) Liuius *XXV c. I.* (x) *lib. I de Ponto el. I v. 41.*
(y) Liuius *c. l.* (z) *lib. I de diuin. exeunte.*

quibus diuitias pollicentur, ab his drachmas ipſi petunt,
de his diuitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Paullo ante coniunxerat ſortilegos & eos, qui quæſtus cauſſa hariolantur, ita vt hoc loco omnem diuinatorum familiam expreſſerit. De auguribus & haruſpicibus cum inter ſacerdotia faciant ſpeciem, ſuo loco dicendum erit. *Aſtrologi* ex aſtrorum curſu prædicebant, in quo præſtabant, Aegyptio more ad nos etiam perducto. Tertullianus (a) vocat talem *qui ſtellarem coniectat & volaticam ſpectat*, Iuuenali dicitur *aſtrorum mundique peritus* (b). Per *Iſiacos coniectores* alios non intelligit, quam qui alias a fanis quibus ſemper inerant, dicti fanatici, Liuio (c) fanatico carmine vaticinantes, in quo conueniebant cum Gallis, matris Deûm ſacerdotibus, de quibus infra. Deſcribit eos Iulius Firmicus (d): *faciet eum adſidua cuiusdam dæmonis interpellatione pulſari, faciet etiam in templis manere ſordide, & ſic ſemper incedere, & qui nunquam tondeat comam, & qui aliquid velit quaſi a diis dictum hominibus nunciare, quales ſolent eſſe in templis, qui vaticinari conſueuerunt.* A ſortibus legendis dicti *ſortilegi*, qui iisdem erant occupati. *Arioli* dicebantur, qui circa aras idolorum nefarias preces emittebant & funeſta ſacrificia offerebant, iisque celebritatibus dæmonum reſponſa accipiebant, ſecundum Iſidorum (e). Habitus vatum horum erat incomptus, barba impexa, capillitium ſordidum, veſtis inculta, inde Plautus (f)

capillum promittam incipiamque hariolari

Fre-

(a) *de pallio c. V.* (b) *ſat. VI v. 588.* (c) *XXXVIII c. XVI.* (d) *lib. III c. VII.* (e) *Origg. lib. VIII c. IX.* (f) *Rudente actu II ſc. III v. 46.*

Frequentius iactabant caput, vti canit Tibullus (g):

hæc cecinit vates, & te ſibi, Phœbe, vocauit,
iactauit fuſa ſed caput ante coma.

Dum vaticinabantur, lintea erant induti, lucernamque præferebant, de quo Seneca: (h) *laurumque linteatus ſenex & medio lucernam die præferens conclamat.* Viliores ex hiſce plebeii vates dicti, in foro, circo & vicis ad ſtipes corradendas vaticinabantur, ita vt Iuuenalis (i) canat:

Plebeium in circo poſitum eſt, & in aggere fatum.

Quare & fallacem circum adpellat Horatius, & de circo dicit aſtrologos Ennius. Et cum in vicis quoque quæſtum agerent, vicanos haruſpices idem dicit, de quo & Tibullus (k)

illi
retulit e triuiis omina certa puer.

Iuuenalis addit & aggerem, quem de aggere Tarquinii Superbi communiter interpretantur, quod non abnuo quidem, ſed quod huncce circo maximo propinquum faciunt, minus fit recte. Circus enim maximus in regione vrbis vndecima erat, cum agger Tarquinii in quinta ſitus eſſet. Et quidem vrbs Roma ab oriente claudebatur aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili, vti inquit Plinius (l). Munitio ergo vrbis erat, pone quam & tales vates habitarunt. His & ſimilibus perſonis Quinquatribus quoque ab iis qui talibus vterentur, quidpiam datum eſſe, diſcimus ex Plauto (m), qui ait:

Rr da

(g) *lib. II el. V v. 65.* (h) *de vita beata c. XXVII.* (i) *ſat. VI v. 590.* (k) *lib. I el. III.* (l) *lib. III c. V.* (m) *Milit. glor. act. III ſc. I v. 97.*

da quod dem Quinquatribus

præcantatrici, conie&trici, bariolæ atque haruſpice, ex quo concludo, hoc Mineruæ feſto euentuum fata exquirere, fuiſſe quoque ſingulare. Sed tota hæc res vt cum Cicerone (n) concludam, inuenta eſt fallaciis aut ad quæſtum aut ad ſuperſtitionem aut ad errorem.

* * * * * * * * * * *

CAPVT SEPTIMVM

De

IVRAMENTIS ROMANORVM.

DE Iureiurando veterum, Romanorum inprimis, librum habemus IOANNIS BAPTISTAE HANSENII, qui *Toloſæ* primum prodiit *1614. 4*, & ipſos iurandi ritus atque antiquitates erudite deducit. Hunc excipit STEPHAHVS TRELIERIVS, cuius *de iureiurando liber*, iuramenta prout iure Romano obtinent, conſiderat. ERYCII PVTEANI *ſchediaſma, de iureiurando* antiquorum iudicum in ſpecie agit, quod cum ad Libonis Puteal præſtari dicebatur, idem quid ſit explicat, prodiit alias *Mediolani 1606. 8.* Omnes tres autem partem conſtituunt Tomi quinti theſauri Grætiiani.

Iuramenti religionem Numa inſtituit, ea ratione, vt fides ac iusiurandum, proxime legum ac pœnarum metum ciuitatem regerent, ideoque fidei ſolenne inſtituit, ex quo Dei Fidii cultus fuit ortus (o). Iusiurandum

(n) *lib. II de diuin. c. XLI.* (o) Liuius *I c. XXI.*

Digitized by Google

dum autem apud Romanos inuiolate, ſancteque habitum, ſeruatumque eſſe moribus & legibus multis oſtendi poteſt (p) : Nullum enim vinculum ad adſtringendam fidem iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt (q). Variis autem in iuramentis ſuis vtebantur formulis, inde apud comicos vulgata hæc : *pol, ædepol, perpol, ecaſtor, hercle, mehercle, medius fidius. Mecaſtor* autem & *mehercules* iusiurandum erat, inquit Feſtus, quaſi diceretur, ita me Caſtor, ita me Hercules, vt ſubaudiatur, iuuet. Studioſe vero veteribus obſeruatum ſcribit Gellius (r), vt neque mulieres Romanæ per Herculem deierent, nec viri per Caſtorem ; ita vt *mehercle* viris, *mecaſtor* fœminis competat, *ædepol* & fœminis & viris ſit commune. Frequens iurabant *per deum*, inprimis Fidium, vt apud Plautum (ſ) :

per deum Fidium quæris : iurato mihi

præterea *per Iouem, per fidem, per Cererem*, & quod idem erat *Eccere*, ſecundum Feſtum : *per mare, per terras, per deos Penates*, de quibus & aliis formulis latius agit Briſſonius (t). Sic & *per caput ſuum* (u), & *per caput alterius* (x), *per oculos ſuos* (y) *per ſalutem ſuam* (z) *per caput & capillos Dei* quod Nouella *LXXVII* prohibitum : *per oſſa parentum*, vt Propertius (a) :

oſſa tibi iuro per matris, & oſſa parentis,
ſi falſo, cinis heu ſit mihi vterque grauis

Rr 2 *per*

(p) Gellius *VII c. XVIII.* (q) Cicero *III de officiis c. XXXI.* (r) *XI c. VI.* (ſ) *Aſinaria actu I ſc. I v. 8.* (t) *lib. VIII de formulis p. m. 707.* (u) *l. III §. 4. ff de iuramentis.* (x) Iuuenalis *ſat. VI v 17.* (y) Propertius *I el. XV v. 33.* (z) *l. V pr. & l. XXXIII ff de iureiur.* (a) *lib. II el. XX.*

per parentes etiam, vt apud Ouidium (b):

per mea tela faces, & per mea tela ſagittas,
per matrem iuro, Cæſareumque caput.

Per Romuli caſam, perque veteris Capitolii humilia tecta & æternos Veſtæ focos fictilibus etiamnum vaſis contentos iurat Valerius Maximus (c). Antiquiſſimus iurandi mos per ſacra, καθ' ἱερῶν (d). Maximum autem olim iuramentum fuit *per fidem* ſuam (e), quod & Romanis patrium putabatur (f); & quod apud eosdem non infrequens erat, *per genium* iurare, domini inprimis, vti videmus ex Seneca (g), qui obiurgans hortulanum ſuum, admodum negligentem, addit: iurat per genium meum, ſe omnia facere, in nulla re ceſſare curam ſuam. Ex quo *per genium Cæſaris* iurare ortum eſt. Teſtis eſt Vlpianus, (h) & quod idem erat *per Principis deuenerationem* (i), & per ſalutem principum (k). Sic & per æternitatem ſalutemque Principis (l) Græci dicebant *ὀμνύναι τὴν τοῦ καίσαρος τύχην καὶ ὑγιείαν* Immo tantæ apud Romanos auctoritatis hoc iuramentum erat, vt Tertullianus (m) etiam teſtetur, citius apud eos per omnes deos, quam per vnum genium Cæſaris peierari. Chriſtiani ad hoc iuramentum ſæpius adigebantur, qui tamen non per genios Cæſarum, ſed per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis, iurabant, teſtante eodem Tertulliano (n). Per ſceptrum quoque & haſtam iurabant ha-

(b) *III de Ponto el. III v. 67.* (c) *lib. IV c. IV fin.* (d) Halic. *lib. VI p. m. 410. & 415.* (e) Halic. *lib. XI p. m. 731.* (f) *lib. IX p. m. 567.* (g) *ep. XII.* (h) *l. XIII § 6. de iureiur.* (i) *l. II C. de Rebus Creditis.* (k) *l. XLI C. de transactionibus.* (l) Plinius *X ep. LXXXIV.* (m) *apologetico c. XXVIII.* (n) *apologetico c. XXXII.*

(o), haſtam enim pro diis olim colebant (p). Quare & ex templo Iouis Feretrii ſumebant ſceptrum, per quod iurarent, ſecundum Feſtum (q). *Per Iunonem* mulieres plerunque iurare ſolebant, vt apud Plautum (r):

per ſupremi regis regnum iuro, & matrem familias
Iunonem, quam me vereri & metuere eſt par maxime.

Per Venerem etiam viri mulieribus quas deperibant, iurare ſolebant, vt Ouidius (ſ):

per Venerem iuro, puerique volatilis arcus,
me non admiſſi criminis eſſe reum.

FORMVLAE IVRANDI.

Iurare ex animi ſui ſententia quemque voluerunt, inquit Cicero (t), cuius rationem reddit Quintilianus (u), *ſententiam*, inquit, *veteres quod animo ſenſiſſent, vocauerunt. Id cum eſt apud oratores frequentiſſimum, tum etiam in vſu quotidiano quaſdam reliquias habet. Nam & iuraturi ex animi noſtri ſententia dicimus.* Addebant hæc verba: SI SCIENS FALLO (x). Aeſopus iurare cum cœpiſſet, vox eum defecit in illo loco, ſi ſciens fallo, ex quo ſolennem fuiſſe formulam videmus. In publicis maxime & ſolennibus iuramentis, *Iouem Lapidem* iurare dicebantur, de quo Feſtus (y): *Lapidem*, inquit, *tenebant iuraturi per Iouem, hæc verba dicentes, ſi ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalua vrbe, arceque bonis eiiciat vti ego hunc lapidem.* Eundem hunc ritum deſcribit Polybi-

(o) Virgilius *XII Aen. v. 95.* Valerius Flaccus *III Argon. v. 707.* (p) Iuſtinus *XLIII c. III.* (q) *voce Feretrius.* (r) *amphitr. actu II ſc. II v. 201.* (ſ) *II Am. el. VII.* (t) *acad. quæſt. lib. IV c. XLVII.* (u) *inſtit. orat. lib. VIII c. V.* (x) Cicero *VII ad Fam. ep. I.* (y) *voce lapis.*

lybius, (z) & de Annibale iurante Liuius (a) ait : *Agnum laeua manu, dextra ſilicem retinens, ſi falleret, Iouem caeterosque precatus deos, ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet, ſecundum precationem caput pecudis ſaxo eliſit.* Quare & Gellius (b), Iouem lapidem iurare, ſanctiſſimum iuramentum eſſe habitum ait. In priuatis iuramentis vtebantur variis formulis, vt *deos mihi velim propitios*, qua vtitur Cicero, (c) ad quem Aſconius Pedianus, *genus eſt*, ait, *iuriſiurandi, id eſt, quod dicimus : tantum mihi diuinitas faueat, quantum verum eſt illud, quod dico tibi.* Alia non infrequens, *ita viuam*, qua vtitur Brutus apud Valerium Maximum & Cicero; (d) *ne viuam* etiam (e), *diſpeream ſi* vel diſpeream niſi (f), *ne ſim ſaluus* (g). Ita me deus amet, vel *ita me dii ament*, Comicis frequens eſt. *Dii me perdant* habemus apud Suetonium (h) & Comicos.

LOCVS ET RITVS IVRANDI.

Solennia iuramenta in Capitolio præſtanda fuiſſe ex Plinio (i) diſcimus : *alii* inquit *in ipſo Capitolio fallunt, ac fulminantem peierant Iouem.* Locum vero iuramenti iudicialis fuiſſe in comitio ex loco Plauti (k) diſcimus, vbi Choragus commonſtraturus, quo in loco quiſque inueniatur, addit :

qui periurum conuenire vult hominem, mitto in comitium.

ad

(z) *III c. XXV.* (a) *XXI c. XLV.* (b) *I c. XXI.* (c) *diuin. in Verrem c. XIII.* (d) *IX c. XIII. II ad Fam. ep. XIII & V ad Atticum ep. XV.* (e) *II ad Fam. ep. XIII.* (f) *c. l.* (g) Cicero *XVI ad Att. ep. XII* (h) *Tiberio c. XXV & LXVII.* (i) *II c. VII.* (k) *Curcul. actu IV ſc. I v. 9.*

ad aram, quæ Puteal Libonis dicebatur. Quare apud Perſium (l):

ſi Puteal multa cautus vibice flagellat
de eo dicitur qui peierat.

Hoc autem inquit Porphyrio (m), ſedes Prætoris fuit, prope arcum Fabianum, dictumque, quod a Libone illic primum tribunal & ſubſellia locata ſint. Feſtus(n) ait: *Scribonianum adpellatur ante atria puteal, quod fecit Scribonius, cui negotium datum a ſenatu fuerat, vt conquireret ſacella attacta.* Scribonianum hic adpellat, quia ex gente Scribonia erat familia Libonum. Quod etiam comprobat Ouidius (o):

qui Puteal Ianumque timet, celereſque Calendas.

Aram autem fuiſſe patet ex nummis gentis Scriboniæ, *Tab. VII. 26.* quibus ara conſpicitur cum inſcriptione PVTEAL SCRIBON. Idque in Comitio fuiſſe videmus ex Sexto Ruffo (p), qui coniungit ſenaculum aureum, puteal Libonis & Comitium. Quare & idem eſſe putant cum illo Puteali, ſub quo Accii Nauii auguris cos atque nouacula defoſſa, quod in comitio fuiſſe teſtatur Cicero (q), eamque hiſtoriam narrant Liuius (r) atque Dionyſius Halicarnaſſenſis (ſ), licet idem puteal vertat per φρέαρ, cum potius fuerit φρέατος πῶμα putei operculum; ſicuti & in gloſſis exponitur περιςόμιον, & Cicero clare innuit, coti & nouaculæ defoſſæ ſuperimpoſitum fuiſſe puteal. Quare & Pomponius (t) Puteal definit, quod ſit quo pute-

(l) *ſat. IV v. 50.* (m) *in Horatii lib. I ep. XX.* (n) *voce Scribonianum.* (o) *lib. II de remedio amoris v. 165.* (p) *de regionibus vrbis Romæ lib. I p. m. 34.* (q) *I de diuin. c. XVII.* (r) *I c. XXXVI.* (ſ) *lib. III p. m. 204.* (t) *l. XIV ff. de actionibus empti & venditi.*

puteum operitur. Inter iurandum autem tangebant aras, quod diſcimus ex Cicerone (u) *ergo is* ait, *qui ſi atam tenens, iuraret, crederet nemo.* Hinc Virgilius (x):

tango aras, mediosque ignes & numina teſtor

& Iuuenalis (y):

atque adeo intrepidi quacunque altaria tangunt

atque alio loco (z):

falſus erit teſtis, vendet periuria ſumma
exigua, & Cereris tangens aramque pedemque.

Immo ſuper ipſas victimas ardentes, ſiue aras tenentes in quibus ardebant victimæ, iurabant, de quo Halicarnaſſenſis (a) *ἐπὶ τῶν ἐμπύρων, καὶ τῶν σφαγίων* (b) *ἐπὶ τῶν τομίων* (c). Cum Iouem lapidem iurarent, in fœderibus maxime, ſilicem manu tenebant, de quo ſupra. Qui iuramento ſe cuipiam vellent adſtringere, dextram iſtius contingebant, morientis maxime, cum ſe executuros ea, quæ vellet, promitterent (d). Milites iurantes gladium protendebant, exempla apud Halicarnaſſenſem (e).

IVRAMENTORVM DIVERSITAS

Iuramenta alia erant publica, alia iudicialia, alia priuata. Publica conceptis ſemper verbis præſtari dicebantur (f), cum verbis præirent pontifices (g), quod exemplo Decii ſe deuouentis videmus, apud Liuium (h). In ciuilibus Prætores, in prouinciis Proconſules præi-

(u) *pro Flacco c. XXXVI.* (x) *XII Aen. v. 201.* (y) *ſat. XIII v. 29.* (z) *ſat. XIV v. 218.* (a) *lib. III p. m. 154.* (b) *lib. IV p. m. 257.* (c) *lib. V p. m. 277.* (d) Tacitus *Ann. II c. LXXI.* (e) *lib. IV p. m. 266. & lib. IX p. m. 567.* (f) Cellius *II c. XXIV.* (g) Liuius *XLII c. XVI.* (h) *VIII c. IX.*

præibant (i), in militaribus Imperatores. Cuius ſolenne exemplum in P. Cornelio Scipione refert Liuius (k). Atque id in verba alicuius iurare dicebant (l). In verba enim iurare alicuius, eſt iurare hoc ipſum, quod ille præit ſiue dictat, ſiue præiurat per ſe ipſum aut per alium inquit Priſcianus (m). Atque in talibus iuramentis Romanos vſos fuiſſe hac formula, *ex animi ſententia*, diſcimus ex Cicerone (n), dum ait: *quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, periurium eſt.* Ab hoc diuerſæ *præiurationes*, quæ ſecundum Feſtum dicebantur, cum alii quidem conceptis verbis iurant, poſt quos in eadem verba iurantes tantummodo dicunt idem in me. Exemplum habet Liuius (o), vbi poſt centurionis iuramentum, omnis exercitus in ſe quiſque iurat. Alia fiebant a magiſtratibus, dum inirent munia. Sic Conſules deſignati iurabant; quod de Traiano teſtatur Plinius panegyrico (p), quod conſule præeunte, iurauerit cum ſolenni execratione, ſi falleret. Dum iudices iurabant, iurare in leges dicebant (q). Magiſtratum autem plus quinque dies, niſi qui iuraſſet in leges, non licebat gerere (r). Sic & conſulatu abeuntes, iurabant, ſe nihil contra leges feciſſe (ſ). Haut raro omnes quoque ma-

 giſtra-

(i) Plinius *X ep. XCVII.* (k) *XXII c. LIII.* (l) *ep. XV v. 4.* Seneca *ep. XII f.* Florus *III c. XVI* & paſſim Tacitus. (m) *lib. XIV c. VIII.* (n) *de Officiis lib. III c. XXIX.* (o) Liuius *II c. XLV.* (p) *c. LXIII. LXIV.* (q) Cicero *pro Sextio c. XVI pro Cluentio c. XXXIII de Inuentione c. XLIV & XLV.* (r) Liuius *XXXI exeunte.* (ſ) Cicero *V ad Fam. ep. II in Piſonem c. III.* Plinius *Panegyrico c. LXV.*

giſtratus & ſenatores ad præſtandum iuramentum adigebantur, de quo Tacitus (t): *ſenatus, incoantibus primoribus, iusiurandum concepit, quo certatim omnes magiſtratus, cæteri vt ſententiam rogabantur, deos teſtes aduocabant, nihil ope ſua factum, quo cuiusquam ſalus læderetur, neque ſe præmium aut honorem ex calamitate ciuium cepiſſe.* Hinc Senatus iuratus dicebatur populo (u). Hoc autem de neceſſitate non erat, ſed dum demum ſi ita conuenerat (x). Immo & ipſum populum ad iuramenta adigebat ſenatus: vt Brutus poſt eiectos reges populum adegit, neminem Romæ paſſuros regnare (y). In legem ſacratam ſeu tribunitiam iurare tenebatur omnis populus (z). Mutato ſtatu, in nomen quoque Imperatoris ſingulis annis iurabant magiſtratus. Exemplum in Tiberio habet Tacitus (a), idque ineunte anno, de quo ſupra ſub Votis diximus. Exin quoque Triumuiri reip. conſtituendæ auctores fuerunt, vt in acta Iulii Cæſaris iuraretur (b), quod dein in demortuos poſteriores Impp. ceſſit, vt Auguſti (c); indeque quotannis a magiſtratibus fiebat Kalendis Ianuarii (d). In viuorum etiam acta a Senatu decretum iuramentum, renuente tamen Tiberio atque Nerone (e). Iurabant in fœderibus ſanciendis, præeunte apud Romanos patre patrato (f). Et quidem Romani Iouem Lapidem iura-

(t) *IV hiſt. c. XLI.* (u) Liuius *XXVI c. XXXIII & XLII c. XXI.* (x) Liuius *XXX c. XL.* (y) Liuius *libro II ineunte.* (z) Halic. *lib. VI p. m. 410.* (a) *Ann. I c. VIII.* (b) Dio *lib. XLVII p. m. 337.* (c) Tacitus *Ann. IV c. XLII & XVI c. XXII.* (d) Tacitus *Ann. XIII c. XI.* Suetonius *Galba c. XVI.* (e) Tacitus *Ann. I c. LXXI Ann. XIII c. XI.* (f) Liuius *I c. XXIV.*

rabant, additis Martis & Quirini numinibus, lapidem manu tenentes & poſt dicta verba ſolennia, de quibus ſupra, eundem manu eiicientes, de quo ritu plenius Polybius (g). Aeneas fœdere cum Latino rege icto, ſtricto enſe per ſolem, terram, Iouem, Iunonem & Martem iurat apud Virgilium (h), diis enim teſtibus pacem firmari ait Tacitus (i).

IVRAMENTA IVDICIALIA.

Iudices ante decidendas lites iurabant (k), & Prætor iuratus, optimum quemque in ſelectos iudices referre debebat (l). Præſidum atque prouinciæ Rectorum iuramentum legibus præſcribitur (m). Vterque pars, actor & reus in iudicio iurabant iuramentum calumniæ (n). Vbi lis æſtimanda, in litem iurabant (o). Iurabant teſtes, vtentes pro more, verbo *arbitror* (p). Immo in ipſis expediendis litibus, iuriſiurandi religio in vſum veniebat (q). Et quidem duplici modo vel iurabant ſe non feciſſe (r), vel ſatisfaciebant, de quo Martialis (ſ)

nil in te ſcripſi Bithynice : credere non vis
& iurare iubes ; malo ſatisfacere.

Exempla apud Suetonium, (t) licet & hoc, iuramento interpoſito nonnunquam fiebat, de quo Plautus (u):

 aut

(g) *III c. XXV.* (h) *XII Aen. v. 176.* (i) *Ann. XII c. XLVII.* (k) Cicero *de Inuentione c. XLIV & XLV.* (l) *pro Cluentio c. XLIII.* (m) *l. vlt. C. ad L. Iuliam repetund.* (n) Cicero *pro Milone c. XXVII.* (o) Cicero *pro Fonteio c. I.* (p) Cicero *acad. quaeſt. lib. IV exeunte. pro Fonteio c. IX.* (q) *l. I π. de iureiurando.* (r) *l. V §. 8. π. de iniuriis.* (ſ) *lib. XII ep. LXXXIX.* (t) *Caeſare c. LXXIII & Claudio c. XXXVIII.* (u) *Amphitr. actu III ſc. II v. 8.*

aut ſatisfaciat mihi ille, atque adiuret inſuper
nolle eſſe dicta.

Admittebantur tamen tum in publicis tum iudicialibus iuramentis, qui pro aliis iurarent (x).

PRIVATA IVRAMENTA.

In familiari loquendi more ſæpius iurabant, atque dum formulæ iſtæ, de quibus ſupra, locum habebant, vel certis aliis in rebus. Solenne quidem erat, ad priuatas tamen neceſſitates ſpectabat de vxoribus iusiurandum, cuius verba a Cenſore ita concepta erant: *vt tu ex animi tui ſententia vxorem habes ?* ad quæ cum Cato Cenſor interrogaſſet, L. Porcius Naſica facete reſpondet, *habeo equidem vxorem, ſed non hercle ex animi tui ſententia*, vti rem narrant Gellius (*y*) atque Cicero (*z*). Quin & a cenſoribus ad iuramentum ſe vxorem liberorum cauſſa habere adigebantur (*a*). Iurabant & mariti ſe vxores non eſſe repudiaturos (b). Iurabant inuicem, vt ſi quid alteri obtigiſſet, alter moreretur (c). Iurabant amantes per Venerem, mulieres per Iunonem. Iurare autem Flamini Diali fas non fuiſſe docet Feſtus.

PERIVRIVM

Iurare ex animi ſui ſententia quemque voluerunt, deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, inquit Cicero (d). Hinc ſi ſcientes fallerent, periuri habebantur, & qui ad verba iurauerant, verbis conceptis peieraſſe dicebantur (e). Falſum enim iurare & peierare Cicero diſtin-

(x) Liuius *XXXI exeunte.* (y) *IV c. XX.* (z) *III de Orat. c. LXIV.* (a) Gellius *IV c. III.* (b) Suetonius *Tiberio c. XXXV.* (c) Seneca *lib. II contr. X.* (d) *academ. quaeſt. lib. IV c. XLVII.* (e) Cicero *pro Cluentio c. XLVIII* & Valerius Maximus *IV c. I.*

ſtinguit (f) *non enim falſum*, inquit, *iurare, peierare eſt: ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, periurium eſt.* Iupiter autem triſulcum in periuros telum gerere credebatur, hinc Virgilius (g) canit :

audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit.

Quare & in iuramentis ſæpe addebant execrationes. Ita apud Dionyſium (h) lege ſacrata ſtatutum, vt ſolennis cuiusdam ſacramenti transgreſſoribus a diis & Semonibus accideret contrarium, tanquam grauiſſimo obſtrictis piaculo. Immo eodem ſtatutum : ſi quis contra fecerit, ſacer eſto : & bona eius Cereri dicata ſunto, & qui eum occiderit, purus a cæde eſto. Ita cum Rubrio equiti Romano obiectum eſſet violatum periurio numen Auguſti, Tiberius reſpondit, deorum iniurias diis curæ eſſe (i). Poſt ſeuerius in eos, qui per principem peieraſſent, tanquam in criminis læſæ maieſtatis reos animaduerſum eſt (k). Periurii ita pœna diuina exitium : humana dedecus habebatur, vti ex veteri Iure Pontificio Cicero habet (l). Ex quo etiam dum de periurio in iure Pontificio ſtatutum, Pontificem quoque antiquiſſimis temporibus cognitorem & iudicem fuiſſe videmus, cum ad ipſum rerum ſacrarum religioſarum cognitio ſpectauerit, illud tamen de criminis potius expiatione, quam de iurisdictione quadam ciuili intelligendum, bene ex Plauti verbis, *libet iurare, tune meo pontifex periurio es?* notat Gutherius (m). Cenſorum

Ss 3 ergo

(f) *III de Offic. c. XXIX.* (g) *XII Aen. v. 200.* (h) *lib. VI p. m. 410.* (i) Tacitus *Ann. I c. LXXIII.* (k) *l. II C. de reb. cred.* (l) *II de LI c. IX.* (m) *de Vet. iure pontificio lib. II c. III.*

ergo erat, vt dum alios mores notarent, periurii reos notis atque ignominiis adficerent (n). Immo periuros aliquo næuo notari credebant, ita vt Horatius (o) canat:

Vlla ſi iuris tibi peierati
pœna, Barine, nocuiſſet vnquam:
dente ſi nigro fieres, vel vno
turpior vngui
Crederem.

IVRAMENTORVM ADFINIA

Abiurare Romanis idem erat, ac periurio negare, quod quis debebat. Ita enim abiurare creditum dixit Salluſtius (p) & Plautus (q), *qui abiurant*, ait, *ſi quid creditum eſt*. Inde & Virgilio (r) *abiuratæ rapinæ* dicuntur, quas peierando negauerant ſe amouiſſe. *Coniurationes* in vtramque partem fiebant, in malam quidem, cum certæ perſonæ contra principem vel rempublicam iuramento ſe inuicem obſtringerent. Qualis erat Catilinaria, in qua pignus coniurationis additum, ſanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere, auctore Floro (ſ). Melioris notæ erat coniuratio militaris, de qua infra. *Eiuratio* ſignificat id, quod deſideretur, non poſſe præſtari, ait Feſtus. Sic *bonam copiam eiurare* Cicero dicit (t), quod idem eſt, ac iurare ſe non habere, vnde creditoribus ſatisfacerent; ſiue ſe æs alienum exſoluere non poſſe. Sylla enim dictatore inquit Varro (u), omnes,

(n) Gellius *VII c. XVIII.* Cicero *III de Officiis c. XXXII.* (o) *lib. II ode VIII.* (p) *Catilin. c. XXV.* (q) *Curcul. actu IV ſc. II.* (r) *VIII Aeneid. v. 63.* (ſ) *IV c. I.* (t) *IX ad Fam. ep. XVI.* (u) *lib. V de L. L. p. m. 58.*

omnes, qui bonam copiam iurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti. *Eierare iudicem* Cicero (x) dixit, pro ſacramento reiicere, vti explicat Priſcianus (y). Eiurare parentes & liberos dixit Seneca, quaſi iuramento eos negare, vti in conſolatione ad Marciam explicat, eiurare parentes, non adgnoſcere, nec pro talibus habere: & clarius (z) *quid*, inquit, *non dum duri, quidam & ſcelerati patres ſunt, vt illos auerſari & eiurare ius faſque ſit?* Addimus vltimo loco & *imprecationes*. Quibus enim mala precari vellent, iis deos iratos adprecabantur, vel *dii deaque te perdant, infelicitent, eradicent, male ſit tibi, male tibi eueniat;* proficiſcentibus, vnam viam & perpetuam. Imprecationes autem iſtas ſæpius ita auertebant, vt in eorum, qui male precati fuerant, capita reiicerent Ita Cicero (a) *Te*, ait *ad IX Kl. Iunii ſubroſtrani [quod illorum capiti ſit, diſſipatant periiſſe]* & Seneca (b): *quis non*, ait, *ſi admoneatur, vt de ſuis cogitet, tanquam dirum omen reſpuat, & in capita inimicorum, aut ipſius intempeſtiui monitoris abire illa iubeat?* vel etiam hoſtibus ea euenire optabant. Immo ſi quæ imprudentibus forſan exciderant, contra aliquem, cum quo in gratiam redire cupiebant, in caput ſuum recidere precabantur, quæ aliis imprecati fuerant, de quo Tibullus (c):

& mala ſi qua tibi dixit dementia noſtra
ignoſcas: capiti ſint precor illa meo

Exemplum de Rufo quodam tradit Seneca (d).

CA-

(x) *II de Orat. c. LXX.* (y) *XIIX c. VIII.* (z) *VI de beneficiis c. IV.* (a) *VIII ad Fam. ep. I.* (b) *conſol. ad Martiam c. IX.* (c) *lib. I el. II.* (d) *IV de benef. c. XXVII.* Eriſſonius *lib. I de formulis p. m. 118.*

* * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT OCTAVVM
De
KALENDARIO ROMANORVM ET DIERVM DIVERSITATE.

VAria dierum apud Romanos erat obſervatio, quam ſeruare religioſum ducebant. Sed cum hæc in vulgus non eſſet nota, per Kalendarium proponebant eam; quorum varia habemus ex marmoribus antiquis deſcripta, & eruditorum in eadem commentaria. Inſigne antiquitatis monumentum ſeu KALENDARIVM vetus ROMANVM, prout in vrbe eo vtebantur, marmori inciſum adſeruatum olim fuit in ædibus Maffæorum, e quibus illud expreſſum ſuis inſcriptionibus inſeruit Gruterus (c), quod & cum breui PETRI CIACCONII explanatione in tomo octauo Theſauri ſui primum eſſe voluit Græuius. Qui tomus octauus cum plures nobis exhibeat faſtorum Kalendarium ſcriptores, ſingulos eo ordine quo exhibiti, recenſebimus, & reliqua quæ eo non continentur, addemus. Vocabantur Romanis, quæ nunc Kalendaria dicimus, faſti; quorum alii maiores, minores alii. Maiores alias magiſtratuum faſti dicti, deſignandis conſulibus deſtinati, de quibus ſuo loco dicemus. Minores huius loci proprii, alias *Faſti Kalendares* dicti : & deſcribuntur a Feſto, quod ſint libri, in quibus totius anni fiat deſcriptio. Debebant hos Romani Numæ, qui non ſolum

(c) *p. CXXXIII.*

Digitized by Google

ſolum ad curſum lunæ annos deſcripſit, ſed & nefaſtos faſtosque dies inſtituit (f), quorum curam ſingularem attribuit maximo pontifici (g), vt ipſe dierum haberet rationem, & cum conſultum plebs veniret. Ita vltra quadringentos annos ſacri omnis, humanique iuris ſcientia, auctoritas & explanatio ex inſtituto Numæ penes ſolum permanſit pontificem, vsque ad annum V. C. DL, quo C. Flauius ſcriba pontificum, faſtos circa forum in albo propoſuit, vt quando lege agi poſſet, ſciretur; quo ipſo gratiam populi in tantum promeritus, vt huius adplauſu ædilis curulis fieret (h). Inde varie emendati hi faſti, nunc a Cæſare, nunc ab Auguſto, qui demum faſtos æreæ tabulæ in foro ad æternam cuſtodiam incidi curauit. Dicebantur inde faſti vrbani, qui in vrbe variisque huius regionibus, atriis quoque priuatorum propoſiti fuiſſe videntur, cum varia horum effoſſa fuerint fragmenta. In hos etiam & priores quidem menſes, commentarius quaſi perpetuus ſunt OVIDII ſex *Faſtorum libri*, ita tamen, vt ad Feſta potius faciat, quam reliqua. Aliorum vero qui de faſtis inter veteres commentati, monumenta intercidere. Sic L. CINCII ALIMENTATI librum citat Macrobius (i). FVLVIVM NOBILIOREM faſtos in æde Herculis Muſarum poſuiſſe ait idem (k). MASVRII SABINI (l), CORNELII LABEONIS, CAII LICINIANI (m), NISI (n), aliorumque faſtos idem citat. BAEBII MACRI *de faſtis diebus* librum adlegat Fulgentius (o). Faſti vero ruſtici,

(f) Liuius *I c. XIX.* (g) Liuius *I c. XX.* (h) Liuius *IX c. XLVI.* (i) *Saturn. I c. XII.* (k) *c. l.* (l) *Saturn. I c. IV.* (m) *Saturn. I c. XVI.* (n) *Saturn. I c. XII.* (o) *de priſco ſermone n. 6.*

ci, dies feſtos tantum notabant, ruſticis in agris obſeruatos. Cum enim iſti agro colendo occupati, tot quæ vrbanis præſcriptæ erant faſtis, ſolennitatibus vacare non poterant, paucorum tantum dierum feſtiua obſeruatio iis præſcripta ; quales erant maxime Kalendæ, Nonæ, Idus & Nundinæ, additis hiſce quæ ad ſingularem agriculturæ rationem ſpectabant, vt Zodiaci ſignis, dierum longitudine, tutelaribus menſium diis & regulis ſingulorum menſium œconomicis. Vti videmus ex marmore quod ex bibliotheca Farneſiana publicauit Boiſſardus atque Gruterus (p) & cum notis Fuluii Vrſini exhibet Græuius. Inde ex recentioribus varii fuere, qui in faſtos Romanorum Kalendares commentati. Inter quos primas ni fallor, fert SIBRANDVS TETARDVS SICCAMA, Friſius, cuius *præcidanea in faſtos Kalendares Campis 1599. 4* extant, ita vt dierum diuerſitatem, quæ apud Romanos obtinebat, erudite commonſtret, & ſecundum diſpoſitionem Kalendarii Romani, feſta, ludos, aliaque ſolennia optime explicet. Addidit quoque *de veteri anno Romano*, Romuli & Numæ Pompilii antitheſes, quibus rationem mutationis docet. Iisdem faſtis illuſtrandis totum ſuum librum quartum deſtinauit ROSINVS. Aliud *Kalendarium Romanum* ex Ouidii Faſtorum libris, Columella, Plinio, Cedreno aliisque formarunt recentiores quidam : vt THOMAS DEMPSTERVS, DIONYSIVS PETAVIVS & qui idem expoſuit PETRVS GASSENDVS ; additus quoque ſtellarum & ſiderum cœleſtium ortus & occaſus. Præter hoſce *Kalendarium* extat *vetus*, circa tempora Conſtantii Imperatoris, Conſtantini M. filii, conſcriptum & Valentino

(p) *p. CXXXVIII.*

tino cuidam dedicatum. Primus illud ſine menſium imaginibus publicauit IOANNES GEORGIVS HERVVARTVS AB HOCHENBVRG, quod Vranologio ſuo inſeruit Dionyſius Petauius. Poſt hunc AEGIDIVS BVCHERIVS idem kalendarium ex ſchedis Heriberti Rosvvedi, quas ex vetuſtiſſima membrana deſcripſerat, edidit, & Commentario ſuo in Victorii Aquitani canonem Paſchalem adnexit *Antwerpiæ 1633 f.* ſed aliquot & menſibus & figuris mancum. PETRVS tandem LAMBECIVS ex antiquiſſimo bibliothecæ Vindobonenſis codice integrum edidit Kalendarium, cum ſingulorum menſium figuris, quibus Auſonii tetraſticha ſubſcripta, quod Kalendarium addito breui ſed erudito commentario, bibliothecæ Cæſareæ inſeruit, ex qua transſumſit Græuius. Sed & fuere alii, qui de anno & temporum ratione apud Romanos publicis ſcriptis egerunt. Rariſſimus de hac eſt PETRI VIOLAE tractatus, *Venetiis* primum editus *1546*, qui tamen breuior eſt nec omnia exhaurit: vti & HADRIANI IVNII *de annis & menſibus liber*, qui anni alias & menſium partes erudite explicat, *Baſileæ* primum editus *1556. 8*, cui adnectit Faſtorum librum, ſiue Hemerologion rerum memorabilium, quolibet anni die actarum, quæ tum ex antiqua, tum recentiori hiſtoria deſumta. IOANNIS LALAMANTII *de anno Romano* libellus, eiusdem mutationem prout a Numa & Iulio Cæſare contigit, menſium item Romanorum rationem explicat. IACOBVS CHRISTMANNVS ſingulari libello Kalendarium Iulianum illuſtrat: IOSEPHVS SCALIGER in ſuo de veteri anno Romanorum libello annum ſupputat, & veterem intercalandi modum docet. Contra eum tamen agit DIONYSIVS PETAVIVS, libro ſe-

cundo de doctrina temporum (q), libro nono (r), atque ſequentibus, qui etiam vti mihi quidem videtur, accuratius annum Romanorum concipit. Poſt hoſce ſequuntur apud Græuium SAMVELIS PETITI *ecloga chronologica de anno & periodo veterum* Romanorum, quibus multa reſtituit contra Scaligerum. VVILHELMVS LANGIVS in ſuo de annis Chriſti tractatus libro primo totum caput *XV* anno Romanorum deſtinauit, quo diuerſas de anno Romuli opiniones conciliat, cyclum Numæ & epocham anni Romani oſtendit. ERYCIVS PVTEANVS vero in Biſſexto ſuo multas difficultates, quæ ex intercalandi apud Romanos diuerſitate coortæ, ſuperat, huiusque rationem erudite exhibet; prodiit alias *Louanii 1640. 4* cui & debemus *de nundinis Romanorum* librum perelegantem, quem nouam Faſtorum faculam inſcripſit, cum priorem nouam temporis faculam eſſe voluerit. Egregius plane eſt PETRI TAFFINI *de veterum Romanorum anno ſeculari, eiusque potiſſimum per ludos ſeculares celebritate, horumque chronologia*, liber, in quo non ſolum annum ſecularem, qui erat apud Romanos, ex hiſtoria atque chronologia accurate deducit, ſed & omnia in ludis ſecularibus exhiberi ſolita ſolennia ſacra, pompam aliaque feſtiua dilucide declarat; prodierat olim *Tornaci 1640. 4.* Ad particulares ſpectat IOANNIS BAPTISTAE BELLI *de die, ac menſe Pharſalici conflictus, qui ſolſtitialis ſtatuitur, diatribe*, prodiit cum templo eiusdem augurali, *Toloſæ 1643. 12.* qua multa explicantur alias haut obuia, vt de Natali Auguſti atque Pompeii & varia ſcriptorum loca illuſtrantur. Agmen tandem in Græuio claudit PETRI MORESTELLI *Philomuſus, ſiue de*

(q) *cap. LXXI.* (r) *cap. XLV.*

de triplici anno Romanorum, menſibus eorumque partibus, deque die ciuili & diuerſitate dierum libri quinque, prodiere alias *Lugduni 1605. 4.* qui ſane egregius eſt, non quidem in chronologicis tam ſollicitus, vti priores plerique, ipſam tamen anni, menſium & dierum diuerſitatem optime explanans. Hi ſunt ſcriptores, qui theſauri Græuiani tomum octauum plurimam partem exhauriunt; quibus adhuc adiungimus LILII GREGORII GYRALDI *de annis & menſibus* librum, *Baſileæ 1541. 8* editum; qui varias annorum, menſium atque dierum ſpecies, indictiones & ſimilia enodat; quibus dein Kalendarium Romanum Græcumue ſubiungit.

Tempus ſuum Romani vel pro more aliarum gentium diſtinguebant, vel ſingulare quidpiam in eo attendebant. *Aeuum* quidem omnibus gentibus vnum, idque æternum. *Seculum* vero varie denotant gentes: Romani ſeculum conſtituebant centum annorum (ſ). Sunt quidem qui Horatii (t) locum adlegantes

certus vndenos decies per annos
orbis & cantus referatque ludos
ter die claro, totiesque grata
nocte frequentes

ſeculum centum & decem annorum definire volunt: ſed probatiores editiones legunt *certos vt denos decies per annos*, vt ſenſus ſit talis; precamur vt certus orbis, centum annis reuolutis cantus referat & ludos. *Annum* autem *ſecularem* definit Taffinus (u), quod ſit inter centum annos, quibus conflatur ſeculum, poſtremus, Tt 3 ita

(ſ) Varro *de L. L. lib. V p. m. 32.* Feſtus *voce ſeculares.* Cenſorinus *de die natali c. XVI.* (t) *carm. ſec. v. 20.*
(u) *de anno ſec. p. I c. I n. 6.*

ita vt vltimi diei ſui curſu, ſeculo finem imponat. *Luſtrum* vero tempus quinquennale dicebatur, a luendo ſic dictum ſiue ſoluendo, quod quinto quoque anno vectigalia & vltro tributa per cenſores perſoluerentur (x). Ita Cenſorinus (y) Romanis annum magnum dictum adſerit, tum ait: *Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod luſtrum adpellabant: ita quidem a Seruio Tullio inſtitutum, vt quinto quoque anno cenſu ciuium habito, luſtrum conderetur; ſed non ita a poſteris ſeruatum. Nam, cum inter primum a Seruio rege conditum luſtrum, & id, quod ab Imperatore Veſpaſiano V & Caeſare III Coſſ. factum eſt, anni interfuerint paullo minus ſexcentis quinquaginta, luſtra tamen per ea tempora non plura, quam ſeptuaginta quinque ſunt facta, & poſtea plane fieri deſierunt. Rurſus tamen annus idem magnus per Capitolinos agonas coeptus eſt diligentius ſeruari: quorum agonum primus a Domitiano inſtitutus fuit, duodecimo eius & Ser. Cornelii Dolabellae conſulatu.* Luſtrum ergo ſcriptoribus quinquennium notat, atque a Seruio Tullio primum inſtitutum, qui primus inſtructum exercitum in campo Martio ſuouetaurilibus luſtrauit, idque conditum luſtrum adpellatum, ſecundum Liuium (z). Qui mos dein ad reliqua tempora tranſiit, vt quolibet quinquennio per cenſores luſtraretur ciuitas, vti libro ſecundo pluribus. *Annum* Romani habebant triplicem; Romuli, Numae Pompilii, & Iulii Caeſaris, qui in quibusdam etiam ab Auguſto correctus. Romuli annus a Martio menſe incipiebat (a), eratque decem menſium, quod vel arguit Decembris men-

(x) Varro *c. l.* Ioſ. Caſtalio *obſeru. dec. I c. X.* (y) de *die natali cap. XVIII.* (z) *I c. XLIIII.* (a) Macrobius *Saturn. I c. XV.*

menſis adpellatio, qui vltimus tum erat, nomine ergo & ordine decimus ; . dierum vero quatuor & trecentorum : Menſes autem ita diſpoſuit, vt quatuor ex his tricenos & ſingulos, ſex vero tricenos haberent dies. Hic annus Romuli erat ſecundum Macrobium. De quo & Ouidius (b)

tempora digereret cum conditor vrbis, in anno
conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

Sunt quidem ex recentioribus, inter quos Ioſephus Scaliger & Sibrandus Siccama, qui Licinium Macrum & Feneſtellam ſecuti, Romulum iamdum duodecim menſium annum inſtituiſſe volunt : ſed facimus cum Cenſorino (c), qui ait : *magis Iunio Gracchano, & Fuluio, & Varroni & Suetonio aliisque credendum, qui decem menſium putauerunt fuiſſe, vt tum Albanis erat, vnde orti Romani.* Sed cum is numerus neque ſolis curſui, neque lunæ rationibus conueniret, multum incommodi ſecum habebat hic annus. Nonnunquam enim vſu veniebat, vt frigus anni æſtiuis menſibus, & contra calor hyemalibus proueniret. Quod vbi contigiſſet, teſte Macrobio, tantum dierum ſine vllo menſis nomine patiebantur adſumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus inſtanti menſi aptus inueniretur. Secutus ergo Numa, qui anno hoc Romuli addidit dies quinquaginta, vt in trecentos quinquaginta quatuor dies, quibus duodecim lunæ curſus confici credidit, annus extenderetur : atque his quinquaginta a ſe additis, adiecit alios ſex, retractos illis ſex menſibus, qui triginta habebant dies, id eſt, de ſingulis ſingulos : factosque quinquaginta & ſex dies, in duos nouos menſes pari ratione

(b) *Faſtorum I v. 27.* (c) *de die natali cap. XX.*

Digitized by Google

tione diuiſit : ac de duobus priorem Ianuarium nuncupauit ; ſecundum dicauit Februo deo. Annus ita Numæ conſtabat diebus trecentis quinquaginta quinque, cum Ianuario vnum adderet diem. Totam rem exponit Macrobius (d), dum ait : *paullo poſt Numa in honorem imparis numeri, ſecretum hoc ante Pythagoram parturiente natura, vnum adiecit diem, quem Ianuario dedit, vt tam in anno quam in menſibus ſingulis præter vnum Februarium, impar numerus ſeruaretur. Nam quia duodecim menſes, ſi ſinguli aut pari, aut impari numero putarentur, conſummationem parem facerent ; vnus pari numero inſtitutus, vniuerſam putationem imparem facit. Ianuarius igitur, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December vndetricenis cenſebantur diebus : & quintanas nonas habebant. Ac poſt Idus in omnibus ad ſeptendecim, Calendæ computabantur. Martius vero, Maius, Quintilis & October, dies tricenos ſingulos poſſidebant : Nonæ in his ſeptimanæ erant. Similiterque poſt Idus, decem & ſeptem dies in ſingulis, vſque ad ſequentes Calendas computabantur. Sed ſolus Februarius viginti & octo retinuit dies : quaſi inferis & diminutio & par numerus conueniret.* Hæc de anno Numæ Macrobius. Sic ad lunæ curſum annum inſtructum putabant, ſed cum adpareret, de ſolis curſu, qui trecentis ſexaginta quinque diebus & quadrante Zodiacum conficit, deeſſe quidpiam, aliquot dies intercalares more Græcorum commenti ſunt ; ita vt octauo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenûm dierum compoſuerunt, intercalarent. Hunc tamen ordinem Græcis vſitatum Romani imitati ſunt fruſtra ; cum enim Græ-

(d) *Saturn. I c. XIII.*

Græci trecentis quinquaginta quatuor dies in annum ordinaſſent, Numa vero diem adhuc vnum Ianuario menſi addidiſſet, dictus Græcorum numerus atque ordo conuenire non poterat. Sed pergit Macrobius; *nondum hoc errore comperto, per octo annos, nonaginta quaſi ſuper fundendos Græcorum exemplo computabant dies: alternisque annis binos & vicenos, alternis ternos vicenosque intercalares expenſabant intercalationibus quatuor. Sed octauo quoque anno intercalares octo adfluebant dies ex ſingulis quibus vertentis anni numerum apud Romanos ſuper Græcos abundaſſe iam diximus. Hoc quoque errore iam cognito, hæc ſpecies emendationis inducta eſt. Tertio quoque octennio ita intercalandos diſpenſabant dies, vt non nonaginta, ſed ſexaginta ſex intercalarent: compenſatis viginti quatuor diebus pro illis, qui per totidem annos ſupra Græcorum numerum creuerant. Omni autem intercalationi menſis Februarius deputatus eſt: quoniam is vltimus anni erat.* Eundem intercalandi modum a Numa introductum perhibet Liuius, (e) dum ait: *Numa omnium primum ad curſum lunæ, in duodecim menſes deſcribit annum, quem [quia tricenos dies ſingulis menſibus luna non explet, deſuntque dies ſolido anno qui ſolſtitiali circumagitur orbe] intercalaribus menſibus interponendis ita diſpenſauit, vt quarto & vigeſimo anno ad metam eandem ſolis vnde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruerent.* Hæc autem intercalandi apud Romanos ratio, vt non confecto Februario, prout Græci, ſed poſt vigeſimum tertium diem intercalarent, Terminalibus ſcilicet iam peractis, deinde reliquos quinque Februarii dies poſt intercalationem ſub-

Vu iun-

(e) *lib. I c. XX.*

jung[illegible] Nec tamen ſtatum hoc erat firmumque, vt ſemper poſt vigeſimum tertium Februarii diem intercalarent; ſed cum ſæpe eueniret, vt nundinæ modo in anni principem diem, modo in nonas caderent, vtrumque autem pernicioſum reipublicæ putabatur, tale remedium, quo hoc auerteretur, excogitatum, vt dies ille quo abundabat annus, a Numa adiectus, eorum permitteretur arbitrio, qui faſtis præerant, vt cum vellent, intercalarent, dum modo eum in medio Terminaliorum vel menſis intercalaris ita locarent, vt a ſuſpecto die celebritatem auerterent nundinarum. Hoc eſt quod Romani veteres volunt, menſem fuiſſe atque diem intercalarem. Ex quo explicandus eſt Liuius, (f) dum ait: *hoc anno intercalatum eſt; tertio die poſt Terminalia Calendæ intercalares fuere.* Erycius quidem Puteanus (g) Liuium emendare conatur, legendum ratus poſtridie, quod tamen non opus eſſe putauerim. Tertio enim die poſt, frequens Romanis eſt locutio, & vnicum tantum notat diem intermedium. Quare Liuii locum ita intelligo, intercalatum eſſe eo anno, ita vt inter Terminalia & Kalendas intercalares vnicus eſſet intermedius dies iſte abundans, dictus intercalaris. Alio tamen loco idem Liuius dicit, (h) poſtridie Terminalia intercalares fuere. Alias ſtatim poſt Terminalia vti diximus, intercalabatur; inter Terminalia enim & regifugium fuiſſe intercalatum innuit Feſtus. Menſis ergo Februarius dicebatur intercalaris, vti Liuius (i) de L. Scipione agens, ait: *triumphauit menſe intercalario, pridie Kalendas Martias.* Græci talem menſem vocabant ἐμβόλιμον, Romani

(f) *lib. XLIII c. XI.* (g) *de biſſexto cap. II.* (h) *XLV c. XLIV.* (i) *lib. XXXVII c. LIX.*

ni *Mercedonium* (k). Quare & dies intercalares in priſcis Romanorum kalendariis adpellantur Mercedonii. Ipſe etiam menſis, ſeu collectio dierum, qui inter Terminalia & Regifugium intercalabantur, dicebatur *intercalaris*. Inde bene inter ſe Kalendæ Februarii & Kalendæ intercalares ſunt diſtinguendæ, licet hæ Februario menſi quaſi insererentur. Illas Cicero (l) dicit *Kalendas intercalares priores*: has ſimpliciter dicit *Kalendas intercalares* (m). Eadem quoque ratione Liuius (n) illum ipſum diem, quo intercalatio incipit, Kalendas vocat intercalares. Illæ ipſæ ſunt, quæ Cicero alias myſteria vocat, vt ad Atticum (o) ſcribit: *cum ſcies Romæ intercalatum ſit, nec ne, velim ad me ſcribas certum, quo die myſteria futura ſint.* & ſubſequenti (p): *facies me in quem diem Romana incidant myſteria, certiorem.* Occurrunt Kalendæ iſtæ intercalares etiam in Faſtis triumphalibus de C. Duilio, quod triumphum egerit Kalendis intercalaribus. Sic & in iisdem de L. Cornelio Lentulo, quod idibus intercalaribus de Liguribus triumphauerit. Ratio autem hæc erat, vt ſtatim poſt Idus Februarii vndenæ Kalendæ Mercedonii ſeu intercalaris menſis numerarentur, & poſt Idus intercalares, XVI Kl. Martii. Melioris intellectus gratia tabulam quam Erycio Puteano (q) debemus, hic ſubiungemus

	Februarius		Intercalaris
Dies I	*Kl. Februarii*	Dies I	*Kl. intercal.*
V	*Nonæ*	V	*Nonæ*

(k) Plutarchus *in Numa p. m. 72.* (l) *lib. VI ad Fam. ep. XV.* (m) *pro Quintio c. XXV.* (n) *lib. XLIII c. XI lib. XLV c. XLIV.* (o) *lib. V ep. vlt.* (p) *lib. VI ep. I.* (q) *de biſexto c. XIII.*

XIII	*Idus*	XIII *Idus*
XIV	*XI Kl. Intercalares*	XIV *Kl. Martii,* hic
XV	*X*	dies in menſe
XVI	*IX*	Mercedonio XXII
XVII	*VIII*	dierum omittebatur
XVIII	*VII*	XV *XV Kl. Martii*
XIX	*VI*	XXIII *VII Kl. Martii.*
XX	*V*	hi ſunt XXI dies Mer-
XXI	*IV*	cedonii
XXII	*III*	XXIV *VI.* Regifugium
XXIII	*Pr. Kl. Intercalares*	XXV *V*
	Terminalia	XXVI *IV*
		XXVII *III*
		XXVIII *pr. Kl. Martii*

Quando autem primum intercalatum fuerit, ipſi inter ſe diſceptant veteres. Cum alii eius rei originem Romulo adſignent; alii Numam Pompilium inueniſſe contendant, alii Seruium Tullium primum intercalaſſe commemorent; alii denique Decemuiros, alii Martium conſulem auctorem faciant; referente diuerſas diuerſorum ſententias Macrobio *(r)*. Sed cum idem ex Varrone antiquiſſimam legem commemoret in columna ærea inciſam, L. Pinatio & Furio Coss. latam, cui mentio intercalaris fuerit adſcripta, quod factum anno V. C CCXCII, nec Martius conſul, nec Decemuiri primi eſſe poterunt auctores, vtpote tempore inferiores. Quare quod vero admodum eſt ſimile, res ad Numam redibit, cui & adſcribit Cicero *(ſ)*. *Verum*, ait Macrobius *(t)*, *fuit tempus, cum propter ſuperſtitionem intercalatio*

(r) Saturn. I c. XIII. *(ſ) lib. II de Legibus c. XII.* *(t) Saturn. I c. XIV.*

Digitized by Google

tio omnis omiſſa eſt : nonnunquam vero per gratiam ſacerdotum, qui cum publicanis proferri vel imminui conſulto anni dies volebant, modo auctio modo retractio dierum proueniebat, & ſub ſpecie obſeruationis emergebat maior confuſionis occaſio. Negotium enim hoc datum erat pontificibus, eorumque arbitrio intercalandi ratio permiſſa. *Horum plerique*, inquit Cenſorinus (u), *ob odium vel gratiam, quo quis magiſtratu citius abiret, diutiusue fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnoue eſſet, plus minusue ex libidine intercalando, rem ſibi ad corrigendum mandatam vltro deprauarunt ;* & breuiter Solinus: (x) *Sacerdotes plerumque gratificantes rationibus publicanorum, pro libidine ſua ſubtrahebant tempora, vel augebant.* Quare & Cicero (y) in prouincia agens, ab Attico ſuo ſæpe petit, vt curet ne quid intercaletur ; imperium enim ſibi prorogari nolebat. Sæpe & eximebantur dies illi præſertim, quibus cum populo agendi fas erat, vti Cicero ad Q. Fratrem ſcribit (z) : *Lentulus non impediente collega, ſic, inquam, bonus, vt meliorem non viderim, dies Comitiales exemit omnes :* & paullo poſt : *Cato concionatus eſt, ſe comitia haberi non ſiturum, ſi ſibi cum populo dies agendi eſſent exempti.* Sed poſtea, inquit Macrobius (a), C. Cæſar omnem hanc inconſtantiam temporum, vagam adhuc & incertam, in ordinem ſtatutæ definitionis coëgit: adnitente ſibi M. Flauio ſcriba : qui ſcriptos dies ſingulos ita ad dictatorem retulit : vt & ordo eorum inueniri facillime poſſet & inuento certus ſtatus perſeueraret. Ergo C. Cæſar exordium nouæ ordinationis initurus,

V v 3 dies

(u) *de die natali c. XX.* (x) *cap. III.* (y) *lib. V ep. IX & XIII.* (z) *lib. II ad Q. Fr. ep. VI.* (a) *Saturn. I c. XIV.*

dies omnes qui confuſionem adhuc poterant facere, conſumſit: eaque re factum eſt, vt annus confuſionis vltimus, in CCCCXLIIII dies protenderetur. Poſt hoc imitatus Aegyptios, ſolos diuinarum rerum omnium conſcios, ad numerum Solis, qui diebus CCCLXV & quadrante curſum conficit, annum dirigere contendit. & paullo poſt: *Iulius ergo Cæſar decem dies obſeruationi veteri ſuperadiecit: vt annum CCC & LXV dies, quibus Sol luſtrat Zodiacum, efficerent. Et ne quadrans deeſſet, ſtatuit vt quarto quoque anno Sacerdotes qui curabant, menſibus ac diebus vnum intercalarent diem: eo ſcilicet menſe ac loco, quo etiam apud veteres menſis intercalabatur: id eſt, ante quinque vltimos Februarii menſis dies; idque biſſextum cenſuit nominandum.* Biſſextus autem dicebatur eo, quod duobus diebus continuis numerarent ſexto Kalendas Martii, duos dies pro vno computantes, quod indicant verſus ſequentes,

Viginti Februus octo,
& ſi biſſextus fuerit, ſuperadditur vnus.
Et tunc bis ſexto Martis conſcribe Kalendas.

Quo facit & Celſus lege XCVIII de verborum ſignificatione: *cum bisſextum Calendis eſt*, inquit, *nihil refert, vtrum priore, an poſteriore die quis natus ſit, & deinceps ſextum Calendas eius natalis dies eſt: nam id biduum pro vno die habetur.* Fecit hæc Iulius Cæſar, dum eſſet Pontifex Maximus, & intercalario menſe, [ſiue illo ipſo qui intercalabatur] ſublato, annum ciuilem ad ſolis curſum formauit, vti inquit Cenſorinus (b). Quibus autem menſibus & quo modo Cæſar decem dies ſuperadditos diſpertitus fuerit, eoſque inſeruerit, late tradit Ma-

(b) *de die natali cap. XX.*

Macrobius, (c) quod in hoc potiſſimum conſtabat, vt Ianuario, Sextili & Decembri bini accederent dies; cæteris ſinguli; iique dies extremis menſis partibus adderentur. Annum autem ciuilem hoc modo conſtitutum edicto palam poſito publicauit (d), quod maxime, ſuo more ridet Cicero. Cum enim primo anno Iuliano diceret aliquis, cras orietur lyra, reſpondet ille, & quidem ex edicto, vt apud Plutarchum eſt in Cæſare. (e) Atque ab eo ſtatim tempore ad noſtram vsque ætatem annus hic dictus eſt Iulianus (f). Ille ipſe autem annus primus a Cæſare ordinatus, dicebatur annus confuſionis, de quo clare Suetonius in vita Cæſaris (g): *annum ad curſum ſolis accommodauit, vt trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet: & intercalario menſe ſublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur.* Quo autem magis in poſterum ex Kalendis Ianuariis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem menſem interiecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc conſtituebantur XV menſium cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat. Dies enim addi, confundi, miſceri omnino neceſſe erat, cum Faſti per intercalandi licentiam vitio pontificum adeo turbati eſſent illo tempore, vt neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno competerent, vti idem inquit Suetonius. Quod & confirmat Dio Caſſius (h) atque Cenſorinus, qui confuſionis annum iuſtius adhuc Macrobio ſupputat, quod quadringentis quadraginta quinque diebus conſtiterit, cum Macrobius CCCCXLIIII

(c) *Saturn. I c. XIV.* (d) *c. l.* (e) *p. m. 735.* (f) Cenſorinus *de die natali cap. XX.* (g) *cap. XL.* (h) *lib. XLIII p. m. 227.*

CCCCXLIIII tantum faciat. Sed cum ſacerdotes, ad quos hæc cura ſpectabat, hunc per biſſextum intercalandi morem non ſatis intelligerent, factum, vt per vitioſam intercalationem tota anni ordinatio corrumperetur. De quo ipſum Macrobium audiamus loquentem. *Nam*, inquit, *cum oporteret diem, qui ex quadrantibus conſit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare: illi quarto non peracto, ſed incipiente, intercalabant. Hic error ſex & triginta annis permanſit: quibus annis intercalati ſunt dies duodecim, cum debuerint intercalari nouem. Sed hunc quoque errorem ſero deprehenſum correxit Auguſtus, qui annos duodecim ſine intercalari die tranſigi iuſſit: vt illi tres dies, qui per annos triginta & ſex vitio ſacerdotalis feſtinationis excreuerant, ſequentibus annis duodecim, nullo die intercalato deuorarentur. Poſt hoc vnum diem ſecundum ordinationem Cæſaris, quinto quoque incipiente anno, intercalari iuſſit: & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam cuſtodiam inciſioni mandauit.* Idem confirmat & Solinus (i). Anno ergo V. C. DCCXLV labente, C. Martio Cenſorino Aſinio Gallo Coſſ. Auguſtus nouo edicto ſanxit, duodecim annos proximos ſine intercalatione tranſigendos eſſe. Ex quibus plane ſequitur, ordinationem anni qualis nunc eſt, deberi Iulio Cæſari, correctionem vero erroris, qui circa biſſextum irrepſerat, Auguſto, vt ergo Ammianus Marcellinus fallatur, qui biſſexti inſtitutionem Auguſto tribuit, cum ſecundum ſacerdotum errorem cum primo confundat.

DE MENSIBVS

Poſt annum iuſtus ordo ad menſes nos ducit, qui varias

(i) *c. l.*

varias adepti adpellationes, haut tamen ſine ratione impoſitas. Marti quem genitorem putabat, primum anni menſem deſtinauerat Romulus; (k) quod mutauit inde Numa, qui *Ianuarium* in Iunonis tutela primum eſſe voluit, tanquam bicipitis dei menſem, reſpicientem ac proſpicientem transacti anni finem, futurique principia. (l) Alias rationes cur a Ianuario anni fecerit initium Numa, refert Plutarchus: (m) è quibus non minima hæc eſt, quod poſt ſolſtitium brumale de nouo curſum ſuum ſol incipiat. Quare & Ianum huius rei rationem reddentem ita inducit Ouidius: (n)

bruma noui prima eſt, veteriſque nouiſſima ſolis:
principium capiunt Phœbus & annus idem.

Secundum dicauit Numa Februo deo, qui luſtrationum potens creditur, & in tutela Neptuni eſſe voluit. Luſtrari autem inquit Macrobius, (o) eo menſe ciuitatem neceſſe erat, quo ſtatuit, vt iuſta diis manibus ſoluerentur. Dictus autem *Februarius*, quod extremo menſe anni populus februaretur, id eſt luſtraretur ac purgaretur ſecundum Feſtum. Februa enim ea omnia adpellabant Romani, quibus malefactorum conſcientiæ purgarentur, delerenturque peccata aut manes defunctorum placidi redderentur. (p) Ita Ouidius: (q)

Februa Romani dixere piamina patres,
nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem.

Vltimus olim menſis erat anni atque duodecimus; vti

X x tra-

(k) Macrobius *Saturn. I c. XII.* (l) Macrobius *Saturn. I c. XIII.* (m) *Numa p. m. 72. & quaſt. Rom. XIX.* (n) *Faſtorum I v. 163.* (o) *Saturn. I c. XIII.* (p) Plutarchus *in Numa p. m. 72.* (q) *II Faſt. v. 19.*

tradunt Varro, (r) Cicero (ſ) atque Plutarchus: (t) Terminalia etiam eius menſis diem anni extremum conſtituebant, de quo canit Ouidius (u):

qui ſequitur Ianum, veteris fuit vltimus anni,
Tu quoque ſacrorum, Termine, finis eras.

Cum enim intercalabatur, inferiores quinque dies duodecimo demebantur menſi (x). *Martius* erat tertius, atque in tutela Mineruæ, initium anni veteris & in Latio & poſt Romam conditam, eo quod gens erat bellicoſiſſima alíis tamen gentibus modo tertius & quartus, modo quintus & ſextus fuit, narrante Ouidio (y) Quare cum priſcis Romanis eſſet primus, multæ huius reliquiæ in eo reſedere. Huius enim die prima, inquit Macrobius (z), ignem nouum Veſtæ aris accendebant, vt incipiente anno cura denuo ſeruandi nouati ignis inciperet. Eodem quoque ingrediente menſe, tam in regia, curiisque atque Flaminum domibus, laureæ veteres nouis laureis mutabantur. Eodem & publice & priuatim ad Annam Perennam ſacrificatum ibatur, vt annare perennareque commode liceat: hoc menſe mercedes exſoluebant magiſtris, quas completus annus deberi fecit; comitia auſpicabantur, vectigalia locabant & ſeruis cœnas adponebant matronæ, vt domini Saturnalibus: illæ, vt principio anni ad promtum obſequium honore ſeruos inuitarent. Quartus eſt *Aprilis*, quem a Venere (a), in cuius tutela erat, quæ Græcis Ἀφροδίτη, ſic dictum

(r) *lib. V de L. L. p. 32.* (ſ) *de LL. lib. II c. XXI.* (t) *quæſt. Rom. XXXIV.* (u) *II Faſt. v. 49.* (x) Varro *c. l.* (y) *III Faſt. v. 85.* (z) *Saturn. I c. XII.* Ouidius *III Faſt. v. 135.* (a) Macrobius *Saturn. I c. XIV.*

ctum putant, alii vero ab aperto anno, quod verno tempore aperiantur omnia. Quare & Ouidius (b) :

nam quia ver aperit tunc omnia : denſaque cedit
frigoris aſperitas, ſetaque terra patet :
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Alii aliunde ducunt (c). Quintus in tutela Apollinis menſis erat *Maius*, a Maia ſic dictus (d), quam Vulcani vel vxorem vel terram habebant (e). In Mercurii tutela ſextus erat *Iunius*, vel a Iuuenibus, vel a gente Iunia, vel a Iunone ſic dictus ; vnaquæque enim ſententia ſuos reperit defenſores (f). Ipſæ autem *Kalendæ* Iunii *fabariæ* vulgo vocabantur : quia hoc menſe adultæ fabæ diuinis rebus adhibebantur (g). Sex reliqui menſes ab ordine a Martio computato adpellati. Sic *Quintilis*, licet addito Ianuario & Februario ſeptimus eſſet menſis, nomen tamen retinuit, inque tutela Iouis erat. Sed poſtea inquit Macrobius (h), in honorem Iulii Cæſaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio, Marci filio conſule, *Iulius* adpellatus eſt : quod hoc menſe ad quartum Idus Quintilis, Iulius procreatus ſit. Plutarchus (i) quidem a Cæſare, qui Pompeium ſuperauit, ſic dictum ait, Sed potius credimus Macrobio, cum & Dio menſem, in quem Cæſaris natalis incidebat, Iulium ab eo dictum commemoret (k). Quod & confirmat Feſtus, Iulium menſem adpellatum, quod eo menſe natus fuerit Cæſar. Octauus menſis erat *Sextilis*, in

 tute-

(b) *Faſt. IV v. 87* (c) Macrobius *I Saturn. c. XII.* (d) Plutarchus *in Numa p. m. 72.* (e) *Saturn. I c. XII.* (f) Macrobius *Saturn. I c. XII.* (g) *c. l.* Feſtus *voce refrina faba.* (h) *Saturn. I c. XII.* (i) *in Numa c. l.* (k) *lib. XLIV p. m. 242.*

tutela Cereris, quem de ſuo nomine adpellari voluit Auguſtus (l); non quod menſis eſſet natalis, ſed quod eo ſæpius euaſiſſet victor (m). Quod latius explicat Macrobius (n), verba Senatus conſulti adducens: *Cum imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili & primum conſulatum inierit, & triumphos tres in vrbem intulerit: & ex Ianiculo legiones deducta, ſecutaque ſint eius auſpicia ac fidem: & Aegyptus hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta ſit: atque ob has cauſas hic menſis huic imperio feliciſſimus ſit, ac fuerit, placere ſenatui, vt menſis Auguſtus adpelletur.* Plebiſcitum quoque factum in eandem rem, Sex. Pacouio tribuno plebem rogante. Nonus in Vulcani tutela menſis eſt *September*; qui licet varias ſubinde adeptus fuerit adpellationes, principale tamen nomen retinuit. Sic Tiberii nomen huic menſi imponere volebat Senatus, intercedente tamen ipſo Tiberio Imp. ne fieret (o). Caligula in memoriam patris hunc menſem Germanicum adpellauit (p). Domitianus Germanici nomine adſumto, Septembrem menſem & Octobrem ex adpellationibus ſuis Germanicum Domitianumque transnominauit: quod altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet. Sic & ex ſubſequentibus imperatoribus quidam de ſuo nomine adpellari voluere Septembrem. Ita menſes Septembrem atque Octobrem Antoninum atque Fauſtinum adpellandos decreuit ſenatus, reſpuente id Antonino (q). Commodus menſem hunc adpellauit Herculem (r). Tacitus de ſe adpellari voluit,

(l) Plutarchus *in Numa c. I.* (m) Dio *lib. LV p. m. 552.* (n) *Saturn. I c. XII.* (o) Suetonius *Tiberio c. XXVI.* (p) Suetonius *Calig. c. XV.* (q) Iulius Capitolinus *in vita c. X.* (r) Lampridius *Commodo cap. XI.*

luit, idcirco quod eo menſe & natus & factus Imperator (ſ). Decimus in tutela Martis menſis eſt *October*, quem vero ſuo nomine Domitianus inuaſerat, vti inquit Macrobius (t). Nec tamen id diu fuit, ſed iugulato Domitiano, priſtinum reſumſit nomen (u). Vndecimus in Dianæ tutela erat *Nouember*, quem Exſuperatorium adpellauit aliquando Commodus (x), vti vltimum atque duodecimum, qui in tutela Veſtæ erat, adpellauit Amazonium. Sed hæc inducta adpellatio haut longe durauit, reſtitutis priſtinis nominibus, vt iſte Nouember, hic adpellaretur December.

DE KALENDIS, NONIS, IDIBVS ET RELIQVIS DIEBVS

Conſiderato menſium ordine, de ipſa horum diuiſione erit agendum. Quilibet autem menſis habebat Kalendas, Nonas & Idus. Kalendæ in tutela erant Iunonis, Idus in Iouis, Nonæ nullum adgnoſcebant deum. Hinc Ouidius: (y)

vindicat Auſonias Iunonis cura Kalendas:
Idibus alba Ioui grandior agna cadet.
Nonarum tutela deo caret: omnibus iſtis
ne fallare caue, proximus ater erit.

Kalendæ adpellabantur primus quisque menſis dies: Nominis rationem exponit Varro (z) & Macrobius (a) dum inquit: *Priſcis temporibus, antequam faſti a Cn. Flauio ſcriba inuitis patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt no-*

Xx 3 *uæ*

(ſ) Fl. Vopiſcus *in vita c. vlt.* (t) *Saturn. I c. XII.* (u) Plutarchus *in Numa c. I.* (x) Lampridius *in vita cap. XI.* (y) *I Faſt. v. 55.* (z) *lib. V de LL. p. m. 35.* (a) *Saturn. I c. XV.*

Digitized by Google

ue lunæ primum obſeruaret adſpectum, viſamque regi ſacrificulo nuntiaret. Itaque ſacrificio a rege & minore pontifice celebrato, idem Pontifex calata [id eſt, vocata in Capitolium plebe] iuxta curiam Calabram, quæ caſa Romuli proxima eſt, quot numero dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat: & quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ, *ſeptimanas repetito ſepties prædicabat. Verbum autem* καλῶ *Græcum eſt, id eſt voco: & hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus eſſet, placuit Kalendas vocari.* Primum menſis diem ſiue Kalendas ſubſequebantur ſtatim *Nonarum* dies, ſine dubio ſic dictarum, quia ab iis ſemper ad idus nouem dies putabantur: (b) Vel ſecundum Varronem & Feſtum quod Nonis noua luna oriatur. (c) Menſes autem alii habebant ſex nonas, quatuor alii; vel vti Macrobius loquitur, aliis quintus a Kalendis dies, aliis ſeptimus Nonas facit; idque ex inſtituto Romuli, qui aliis menſibus triginta & vnum, aliis vndetriginta adſignauit dies. Cæſar autem ſtata ſacra cuſtodiens, nec in illis menſibus, quibus binos adiecit dies, ordinem voluit mutare Nonarum. Diuerſitas ergo earum comprehenditur dicto verſu.

Sex Maius Nonas, October Iulius & Mars
Quatuor at reliqui.

Illud tamen in Nonis eſt ſingulare, in nullius dei peculiaris eas eſſe tutela, vti diximus. *Idus* quilibet menſis ſeruat octo, atque ſtatim poſt Nonas incipiunt, dictæ ſine dubio quod diuidant menſem, cum iduare lingua Hetruſca ſit diuidere; (d) omnesque tributæ erant Ioui. Inter Idus & ſequentes Kalendas conſtitutum eſt ſedecim

(b) *Saturn. I c. XV.* (c) *lib. V de L. L. p. m. 35.* (d) *Saturn. I c. XV.*

decim dies eſſe numerandos, ita vt a maiori ſemper numero fieret initium, ſecus ac numeramus hodie, ita vt poſt Kalendas ſtatim dicatur ſexto Nonas, [vel in aliis quarto,] inde quinto, quarto, tertio, pridie, demum Nonæ; poſt has octauo, ſeptimo, ſexto, quinto, quarto, tertio, pridie, inde Idus; poſt has decimo ſexto Kalendas, decimo quinto & ſic porro: Vltimus ſemper menſis dies dicitur pridie Kalendas. Quod autem in Kalendario Romano Nonas, Idus & Kalendas ſemper efferamus in accuſatiuo, hæc eſt ratio, quod ellipſis ſub ea numerandi ratione lateat; v. g. dum dicimus ſexto nonas Maii, ſenſus eſt ſexto ante nonas Maii: decimo ſexto Kalendas Maii, id eſt decimo ſexto die ante Kalendas Maii, & ſic de reliquis. (e) Ita etiam Romani ſcribebant, omiſſa ſæpe ellipſi: vt eſt apud Liuium (f) *ante diem III Nonarum Quintilis*; vel *ante diem tertium Idus Nouembris*; (g) *ante diem quartum Idus Decembris* (h); id eſt in diem quartum ante Idus Decembris, quod clare exprimit Dionyſius Halicarnaſſenſis, (i) qui primos tribunos creatos ait ἡμέρα τετάρτῃ πρὸ τῶν Ἰδῶν Δεκεμβρίων, *die quarto ante Idus Decembris*. & Plutarchus (k) genium Romanæ locutionis ſecutus, Romam conditam ait ἡμέρα τῇ πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν Μαΐων, ſiue vti Romani exprimunt, XI Kl. Maii; & alio loco (l) pugnatum ait cum Tarquiniis, πρὸ μιᾶς Καλανδῶν Μαρτίων pridie Kl. Martii. Quare cum in Codicibus priſcis, ſæpius extarent binæ initiales *A. D.* quæ ante diem no-

(e) Macrobius *Saturn. I c. XVI.* (f) *XXVII c. XXIII.* (g) Cicero *IV ad Atticum ep. III.* (h) *XXXIX c. LII.* (i) *lib. VI p. m. 410.* (k) *Numa p. m. 23.* (l) *in Publicola p. m. 101.*

notant, ex librariorum incuria perperam fuere coniunctæ. Ex his ergo quæ diximus patebit, cur á maiori ſemper numero incipiant Romani, quia ſcilicet propius venit numerus ad Nonas, Idus vel Kalendas. Quare & dum poſt Idus numeramus Kalendas, ſemper ſequentem addimus menſem; vti poſt Idus Ianuarii, ſemper ſcribimus decimo ſexto Kalendas Februarii; quod talem habet ſenſum, die decimo ſexto ante Kalendas Februarii: in Nonis autem atque Idibus menſem retinemus proprium, in quo verſamur. Litteræ initiales A. B. C. D. E. F. G. H. quarum ſerie totum Kalendarium contextum, dies Nundinarum demonſtrant Romanis æque ſolennes. Singula vt melius pateant, ipſum quoque Kalendarium Romanum ſubiicimus, ex quo omnia patebunt dilucidius.

IANVARIVS

1. F Kl. Ianuarii, *Iani feſtum, Iunonis Iouis & Aeſculapii.*
2. IV Nonas F
3. III Non. C
4. pr. Non. C
5. Nonæ F
6. VIII Idus F
7. VII Id. C
8. VI Id. C
9. V Id. *Agonalia*
10. IV Id. EN.
11. III Id. NP *feſta Carmentis & Iuturnæ CAR.*

IVLIVS

1. Kl. Iulii N *quo die apud Romanos fiebant migrationes in ædes alias.*
2. VI Nonas N
3. V Non. N
4. IV. Non. NP
5. III Non. NP *Populifugia*
6. pr. Non. N *Ludi Apollinares. Feſtum Fortunæ muliebris.*
7. Nonis N *Nonæ Caprotinæ*
8. VIII Idus N *LVDI*
9. VII Idus N *LVDI*
10. VI Idus C *LVDI*
11. V Id. C *Ludi Apollinares*

12. pr.

12. pr. Id. C
13. Idus, *feſtum Iouis* NP
14. XIX Kal. Februarii EN
15. XVIII *ſacrificium Carmentis. Feſtum Porrima & Poſtuerta*
16. XVII C *Feſtum Concordia*
17. XVI C
18. XV C
19. XIV C
20. XIII C
21. XII C
22. XI C
23. X C
24. IX C
25. VIII C
26. VII C
27. VI C *Feſtum Caſtoris & Pollucis.*
28. V C
29. IV F
30. III N *Feſtum pacis*
31. pridie Kl. Februarii C

FEBRVARIVS

1. Kalendæ Februarii N
2. IV Non. N
3. III Non. N
4. pr. Non. N
5. Nonæ
6. VIII Idus N

12. IV Id. NP *LVDI*
13. III Id. C. *LVD. IN CIRC*
14. pr. Id. C *MERCK*
15. Idus NP *MERCK Feſtum Caſtoris & Pollucis*
16. XVII Kl. Auguſti F. *MERCK. Allienſis dies*
17. XVI C *MERCK*
18. XV C *MERCK*
19. XIV NP *MERK Lucaria*
20. XIII C *Ludi victoria Caſ.*
21. XII C
22. XI C *LVDI*
23. X *Neptunales ludi*
24. IX N *LVDI*
25. VIII NP *Furinalia*
26. VII C *LVDI*
27. VI C
28. V C
29. IV C
30. III C
31. pridie Kal. Auguſti C.

AVGVSTVS

1. Kl Auguſti N
2. IV Nonas C *HOC DIE. CAESAR. VICIT. HISP.*
3. III Non. C
4. pr. Non. C.
5. Nonæ F
6. VIII Idus F

7. VII Idus N
8. VI Idus N
9. V Idus N
10. IV Id. N.
11. III Id. N.
12. pr. Idus N
13. Idus. *Feſtum Iouis eſt. & Fauni. nefaſtus dies Fabiorum* NP
14. XVI Kl. Martii N
15. XV Kl. *Lupercalia* N
16. XIV N
17. XIII *Feſtum Quirini* NP
18. XII C
19. XI C
20. X C
21. IX *Feralia* F
22. VIII *Chariſtia* C
23. VII *Terminalia* NP
24. VI N *Regifugium*
25. V C
26. IV EN
27. III NP *Equiria in campo Martio*
28. pr. Kl. Martii C

7. VII Id. C
8. VI Id. C
9. V Id. NP. *HOC.DIE.CAESAR. HISPALIN. VICIT*
10. IV Id. C
11. III Id. C
12. pr. Id. C
13. Idibus NP *Dianæ ſacra natalis Auguſtæ. Dies feſtus ſeruorum & ancillarum.*
14. XIX Kl. Septembris. F
15. XVIII C
16. XVII C
17. XVI NP *Portunalia ad pontem Aemyl.*
18. XV C
19. XIV F. P. *Vinalia poſteriora*
20. XIII C
21. XII N *Conſualia*
22. XI EN
23. X NP *Vulcanalia in Circo Flamin.*
24. IX C
25. VIII NP *Opiconſiua in Capitolio.*
26. VII C
27. VI NP *Vulturnalia*
28. V NP
29. IV F
30. III F
31. pr. Kl. Septembris C

MAR-

MARTIVS

1. Kl. Martii. NP *Feſtum Martis & Iunonis. Ancilia feruntur.*
2. VI Nonas F
3. V Non. C
4. IV Non. C
5. III Non. C *Feſtum Veſtæ.*
6. pr. Non. NP *Feſtum Veiouis*
7. Nonæ F
8. VIII Idus F
9. VII Id. C
10. VI Id. C
11. V Id. C
12. IV Id. C
13. III Id. EN
14. pr. Id NP *altera Equiria iuxta Tiberim*
15. Idus NP *Feſtum Annæ Perennæ.*
16. XVII Kl. Aprilis F
17. XVI Kl. NP *Feſtum Bacchi*
18. XV C
19. XIV N. *Quinquatria Palladis captæ.*
20. XIII C
21. XII C
22. XI N
23. X NP *vltimus dies Quinquatruum, Tubiluſtrium*
24. IX C Q. REX. C. F
25. VIII C *Hilaria*
26. VII C
27. VI NP *Hoc die Cæſar Alexandriam recepit. Lauatio Matris deûm*

SEPTEMBER

1. Kl. Septembris N
2. IV Nonas N
3. III Nonas NP
4. pr. Nonas C *Ludi Romani*
5. Nonæ F. *LVDI*
6. VIII Idus F *LVDI*
7. VII Idus C *LVDI*
8. VI Idus C *LVDI*
9. V Idus C *LVDI*
10. IV Idus C *LVDI*
11. III Idus C *LVDI*
12. pr. Idus N *LVDI*
13. Idus Septembris NP *Prætor maximus clauum pangit.*
14. XVIII Kl. Octobris F EQVOR. PROB.
15. XVII *Ludi Romani & magni.*
16. XVI C
17. XV C
18. XIV C
19. XIII C
20. XII C MERK
21. XI C MERK
22. X C MERK
23. IX NP MERK
24. VIII C. H. D. AVGVSTI NAT. LVD. CIRC.
25. VII C
26. VI C
27. V C

28. V C *Feſtum Iani, Concordiæ, Pacis & Salutis.*
29. IV C
30. III C
31. pridie Kl. Aprilis C

APRILIS

1. Kl. Aprilis. *Feſtum Veneris & virilis Fortunæ.*
2. IV Nonas C
3. III Non. C
4. pr. Non. Hebæ & Matri *Deûm Megalenſes ludi fiunt.* C
5. Nonæ *Feſtum publicæ fortunæ LVD.*
6. VIII Idus NP *LVDI*
7. VII Id. N. *LVDI*
8. VI Id. N *LVDI*
9. V Id. N *LVDI*
10. IV Id. N *LVDI IN CIRC*
11. III Id. N
12. pr. Id. N *LVDI CERER.*
13. Idibus *Feſtum Iouis victoriæ. LVDI* NP
14. XVIII Kl. Maii N
15. XVII Kl. *Fordicidia* NP *LVDI*
16. XVI N *LVDI*
17. XV N *LVDI*
18. XIV N *LVDI*
19. XIII N CER. *LVDI IN CIRCO*
20. XII N
21. XI NP *Palilia. Roma condita.*
22. X N

28. IV C
29. III C
30. pridie Kl. Octobris C. *Epulum Mineruæ. Meditrinalia.*

OCTOBER

1. Kl. Octobris N
2. VI Nonas F
3. V Non. C
4. IV Non. C
5. III Non. C.
6. pr. Non. C.
7. Nonæ Octobris F
8. VIII Idus Octobris F
9. VII Id. C
10. VI Id. C
11. V Id. C
12. IV Id. NP *Auguſtalia*
13. III Id. NP *Fontinalia*
14. pr. Id. EN
15. Idus NP
16. XVII Kl. Nouembris F
17. XVI Kl. C
18. XV Kl. C
19. XIV Kl. NP *Armiluſtrium.*
20. XIII Kl. C
21. XII Kl. C.
22. XI Kl. C

23. IX *Vinalia priora*
24. VIII C
25. VII NP *Robigalia*
26 VI F
27. V C
28. IV NP *Feſtum Floræ & Veſtæ.*
29. III C *LVDI*
30. pridie Kl. Maii C *LVDI*

MAIVS

1. Kl. Maii N
2. VI Nonas Maii *Compitalia* F
3. V Non. C
4. IV Non. C
5 III Non. C
6. pr. Non. C
7. Nonæ N
8. VIII Idus Maii F
9. VII Idus N *Lemuralia Feſtum Mercatorum*
10. VI Id. C *feſtum Martis Bis vltoris*
11. V Id. N
12. IV Id. NP *LVDI MART. IN CIRC*
13. III Id. N
14. pr. Id. C
15. Idus Maii NP *Feſtum Mercurii*
16. XVII Kl. Iunii F
17. XVI C
18. XV C *Agonia*
19. XIV C
20. XIII *Luſtra Vulcani fiunt*

23. X Kl. C
24. IX Kl C
25. VIII Kl. C
26. VII Kl. C
27. VI Kl. C. *LVD. VICTOR*
28. V Kl. C *LVDI*
29. IV Kl. C *LVDI*
30. III Kl. C. *LVDI*
31. prid. Kl Nouembris C

NOVEMBER

1. Kl Nouembris N
2. IV Nonas
3. III Nonas
4. pr. Nonas
5. Nonæ F
6. VIII Idus Nouembris F
7. VII Id. C *LVDI*
8. VI Id. C *LVDI*
9. V Id. C *LVDI*
10. IV Id. C *LVDI*
11. III Id. C *LVDI*
12. pr. Idus Nouembris C *LVDI*
13. Idibus Nouembris NP *Epulum indictum*
14. XVIII Kl. Decembris F *equorum probatio*
15. XVII C *LVD. PLEB. IN CIRC.*
16. XVI C
17. XV C
18 XIV C
19. XIII C
20. XII C

21. XII NP
22. XI N
23. X *Tubiluſtria*
24 IX *Q. R. C. F.*
25 VIII C
26. VII C
27. VI C
28. V C
29. IV C
30. III C
31. pridie Kl. Iunii C

IVNIVS

1. Kl. Iunii N. *Feſta Carnæ, Iunonis Monetæ, Martis & Tempeſtatis*
2. IV Nonas F
3. III Nonas C
4. pr. Nonas C *Bellonæ feſtum*
5. Nonæ
6. VIII Idus N
7. VII Idus N *Ludi Piſcatorii*
8. VI Idus N. *Feſtum Mentis in Capitolio*
9. V Id. NP *Feſtum Veſtæ*
10. IV Id. N
11. III Id. N *Matronalia*
12. pr. Id. N
13. Idus N *Minores Quinquatria Palladis fiunt.*
14. XVIII Kl. Iulii N
15. XVII Kl. Q. ST. D. F
16. XVI C
17. XV C
18. XIV C
19. XIII C

21. XI C
22. X C
23. IX C
24. VIII C
25. VII C
26. VI C
27. V C
28. IV C
29. III F
30. pr. Kl. Decembris C

DECEMBER

1. Kl. Decembris N
2. IV Nonas
3. III Nonas
4. pr. Nonas
5. Nonæ F
6. VIII Idus
7. VII Idus C
8. VI Id. C
9. V Id. C *Faunalia*
10. IV Id. C
11. III Id. *AGON.* NP
12. pr. Id. EN
13. Idus NP
14. XIX Kl. Ianuarii F *Brumalia*
15. XVIII Kl. NP *CONS.*
16. XVII C
17. XVI *Saturnalia incipiunt*
18. XV C
19. XIV NP *Opalia & Saturnalia*

20. XII

20. XII C
21. XI C
22. X C
23. IX C
24. VIII C *Feſtum Fortis Fortunæ.*
25. VII C *Feſtum Larium & Iouis Statoris*
26. VI C
27. V C
28. IV C
29. III F
30. pridie Kl. Iulii C

20. XIII C *Sigillaria*
21. XII NP *Angeronalia Angerona dea. Diualia*
22. XI C *Compitalia*
23. X NP *Larentinalia*
24. IX C
25. VIII C
26. VII C
27. VI C
28. V C
29. IV F
30. III F
31. pr. Kl. Ianuarii C

DE DIE ROMANORVM CIVILI EIVSQVE DIVISIONE

Poſt menſes ſequitur dies Romanorum ciuilis, qui noſtræ eſt conſiderationis. Diei principium Romanis a media nocte erat, ſecundum Plutarchum (m); qui eius rei in cauſſas inquirit, & hanc reddit præcipuam, quod ab ſolis ortu & occaſu id commode fieri nequeat; ideo vel a meridie vel a nocte media computandum, ab hac tamen melius, quia tunc ſol curſum ſuum ad nos vertat. Romani ergo dies ſingulos adnumerabant a media nocte, vsque ad mediam proximam, & qui homines in his viginti quatuor horis nati, vna die nati dicebantur. Qui enim poſt ſolem occaſum ante mediam noctem natus, is ei dies natalis, a quo die ea nox cœpit, contra vero, qui in ſex noctis horis poſterioribus naſcitur, eo die natus dicitur, qui poſt eam noctem diluxe-

(m) *quæſt. Rom. LXXXIII.*

luxerit ; ita decidente ex Varrone Gellio (n). Diem ciuilem autem Romani diſtinguebant in diem atque noctem naturalem. Vnumquemque poſt reperta ſolaria diſtinguebant in duodecim horas æquales, ita tamen vt diurnæ nocturnis non ſint pares ; nec vnius diei horæ cum alterius conuenirent. Diem enim naturalem incipiebant a Solis ortu, & definiebant in ſolis occaſu; omne ergo tempus quod inter ortum eſt ſolis atque occaſum faciebat diem (o), quod diuidebant in duodecim horas inter ſe æquales, quæ tamen ratione temporis modo longiores erant, æſtate ; modo breuiores, tempore hyemali. Cum ergo diurnæ horæ erant longiores, breuiores nocturnæ ; & ſic e contrario, niſi quod vtroque æquinoctio & verno & brumali, horæ diurnæ atque nocturnæ eſſent pares ; de quo Virgilius (p):

libra die ſomnique pares vbi fecerit horas.

Quare & *tardos menſes* idem Virgilius (q) adpellat eos, quibus horæ ſunt longiſſimæ, & *tardas noctes* hybernas dicit (r). Ita cum in duodecim horas æquales diem, & in totidem noctem diuiderent, meridies ſemper hora ſexta erat diei ; media nox, hora ſexta noctis. Inde & Gellius (ſ) diem Romanorum ciuilem a ſexta noctis hora oriri ait, ſeu quod idem eſt a nocte media, vti diximus. Atque ea ratione hora prima diei, illa ipſa hora erat, qua ſol exortus, de qua Horatius (t):

Si te grata quies & primam ſomnus in horam
delectat.

Quar-

(n) *noct. Att. lib. III c. II* (o) Cenſorinus *de die natali cap. XXIII.* (p) *Georg. I v. 208.* (q) *Georg. I v. 32.* (r) *Georg. II v. 82. & Aeneidos I v. 736.* (ſ) *c. l.* (t) *lib. I ep. XVII v. 6.*

Quartam diei horam Virgilius (u) notat, dum canit:

Inde, vbi quarta ſitum cœli collegerit hora.

Qua ratione vero Romani ſuas fuerint diſpertiti horas, docet Martialis ad Euphemum (x).

Prima ſalutantes, atque altera continet hora,
exercet raucos tertia cauſſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
ſexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis; octaua paleſtris,
imperat; extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima eſt Euphemе meorum,
temperat ambroſias cum tua cura dapes.

Octaua maximè hora ceſſabant ab officiis publicis, de quo ad Mecænatem Horatius (y):

Strenuus & fortis, cauſſisque Philippus agendis
clarus, ab officiis octauam circiter horam
dum redit.

Diei partes bifarias faciebant alii, quas meridies diſcernebat; vt aliud *ante meridiem* eſſet tempus, aliud *poſt meridiem.* Quadripartitum alii faciebant diem, eumque ſicut in re militari, in vigilias quatuor diuidebant (z). Plura tamen diei noctisque tempora ſubnotabant alii, quæ explicata videmus apud Varronem (a), Cenſorinum (b) & Macrobium (c), e quibus hauſere recentiores Grammatici. Breuiter ergo ea, quæ ad intelligendos poëtas faciunt, hic enodabimus. A media nocte diei diximus capi initium. Primum igitur diei tem-

 pus

(u) *Georg. III v. 327.* (x) *lib. IV epigr. VIII.* (y) *lib. I epiſt. VII v 46* (z) Cenſorinus *de die nat. c. XXIII* (a) *de LL. lib. V p. m. 31.* (b) *cap. XXIV.* (c) *Saturn. I c, III*

pus dicebatur *mediæ noctis inclinatio* (d). Cenſorino de media nocte (e). *Gallicinium* ſequitur (f), cum galli eo tempore canere incipiant, quos vigiles nocturnos ideo vocat Plinius (g). Inde *conticinium*, cum & galli conticeſcunt, & homines etiam tum quieſcunt (h). Deinde dicebatur *ante lucem* (i), poſt quod *diluculum*, id eſt, cum dies dignoſci incipit, de quo Cicero (k): *Et cum poſt horam primam noctis occiſus eſſet, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit.* Liuius (l) vocat *prima luce.* Secundum diluculum vocabatur *mane*, cum lux videtur ſolis; ab omine boni nominis ſic dictum, quod antiqui adpellabant manum, Varrone (m) teſte atque Macrobio (n). Poſt hoc *ad meridiem;* tunc ipſe *meridies*, quaſi medidies, ſiue medius dies Ciceroni (o) dictus. Inde *de meridie;* porro *tempus occiduum*, cum occaſui proximus ſol eſt, & mox *ſuprema poteſtas;* hoc eſt diei nouiſſimum tempus. Solis quidem occaſum diſtinguunt alii a *ſuprema*, hanc illi poſteriorem facientes, adlegantes hanc in rem ſecundum Cenſorinum, legem ex XII Tabb. qua ſcriptum, SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO: ita vt ſol occaſus hic idem notet, ac ſol poſtquam occidit. Sed Varro, Macrobius atque Feſtus legunt Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto, vt hic omnino cum ſuprema pro vno eodemque habendus. M. Plætorius tamen plebiſcitum poſtea tulit, quo tempus iubet eſſe ſupremum, quo

(d) Macrobius *c. l.* (e) *c. l.* (f) Apuleius *metamorph. libro VIII ineunte.* (g) *Hiſt. nat. X c. XXI.* (h) Macrobius *c. l.* (i) Cicero *III ad Brutum ep. VII.* (k) *pro Sexto Roſcio c. I.* (l) *XXV c. IX. XXXVII c. V.* (m) *c. l.* (n) *c. l.* (o) *Orat. c. XLVII.*

quo prætor in comitio ſupremam pronuntiauit populo; ſiue cum iuris dicendi finem fecit, plebiſcitum adlegante Varrone & Cenſorino. Supremam excipiebat *Veſpera*, a Græcis tracta, qui ἑσπέραν a ſtella Heſpero dicunt. Dicitur & *veſper* Liuio (p): ſic *primo veſpere* dicit Iulius Cæſar (q). *Veſperum* autem vocat Cicero ad Atticum (r), Plautus (ſ) *veſperuginem*, vnde ad Græcorum magis linguam Seneca (t), Heſperuginem. Porro *crepuſculum*, ſic fortaſſe adpellatum, quod res incertæ creperæ dicuntur, idque tempus noctis ſit an diei incertum. Seruius (u) quidem matutino tempori iungi putat crepuſculum : quod tamen contra veterum eſt auctoritatem. Ita Ouidius canit (x):

qualia ſublucent fugiente crepuſcula Phœbo

& Lucanus (y):

longa repercuſſo nituere crepuſcula Phœbo.

Crepuſculum ſequebatur tempus, quod dicimus *luminibus accenſis*, Romanis *prima face* dictum. (z) Horatio dicitur hoc tempus, *prima lumina*; (a) alias *primæ tenebræ*. Apuleio (b) *poſt crepuſculum*; addit hic noctem prouectam & altiorem, quas tamen alii non adgnoſcunt partes: Vltima erant *nox concubia*, & demum intempeſta; quibus mediam noctem addit Cenſorinus. Concubia nox dicebatur dum omnes cubant (c): *ſilen-*

(p) *lib. XLV c. VIII.* (q) *lib. II de B. Ciu. c. XLIII.* (r) *lib. II ep. IX.* (ſ) *Amphitr. act. I ſc. I v. 11.* (t) *Medea v. 877.* (u) *in Virg. II Aen. v. 268.* (x) *Amor. I el. V v. 5.* (y) *lib. II v. 584.* (z) Gellius *III c. II.* (a) *Epiſt. II v. 95.* (b) *II Metam. v. 36.* (c) Liuius *XXV c. IX.* Cicero *de diuin. I c. XXVII.*

tium noctis alias dictum, ſeu prima quies, vt eſt apud Virgilium (d):

> *Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris*
> *incipit.*

Varro quidem hanc atque intempeſtam noctem eandem facit, ſed hæc concubiæ ſuccedit. Definitur a Macrobio, quod ſit, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. Ita Cicero: (e) *Repente nocte intempeſta ſeruorum armatorum fit concurſus atque impetus.* Virgilius: (f) *& lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.*

DE HORIS

Incognita antiquitus Romanis erant horologia, ſed diem ſolum in certa tempora diſtinguebant, quæ pronuntiabantur. Et licet apud Græcos ab Anaximene Mileſio inuenta fuerint ſciateria, (g) ſerius tamen hoc Romæ contigit. De hoc Plinius: (h) *duodecim tabulis ortus tantum & occaſus nominantur: poſt aliquot annos adiectus eſt & meridies, accenſo conſulum id pronuntiante, cum Curio inter roſtra & Græcoſtaſin proſpexiſſet talem ſolem. A columna ænea ad carcerem inclinante ſidere ſupremum pronuntiabant. Sed hoc ſerenis tantum diebus vsque ad primum Punicum bellum.* Florianus Senticenſis emendare conatur dictum Plinii locum ita: *poſt aliquot annos adiectus eſt meridies a Cæſone conſule, dum ad curiam inter roſtra & Græcoſtaſin proſpexiſſet talem ſolis vmbram e columna ærea* &c. Cæſoni ergo conſuli adinuentum meridiem eſſe tribuendum ait. Sed in coniecturis ſuis infelix eſt. Lectionem enim, ab accenſo pronuntia-

(d) *Aeneid. II v. 268.* (e) *VI Verr. c. XLIII.* (f) *Aeneid. III v. 587.* (g) Plinius *II. c. LXXVI.* (h) *lib. VII c. LX.*

tiatum meridiem confirmat locus Varronis, (i) ex Coſconio: *pratorem accenſum ſolitum eſſe iubere, vbi ei videbatur, horam eſſe tertiam, itemque meridiem & horam nonam.* Sic prætor iubebat accenſum, miniſtrum publicum, vt pronuntiaret horam, quam ex certis ſignis coniectabatur; hic exclamabat. Ex vmbra enim radiisque ſolis prout certa loca attingerent, meridiem aliasque diei partes capiebant Romani; non ſecus ac ruſtici noſtri ſolent. Ita ſi inter Roſtra & Græcoſtaſin quæ roſtris vicina erat, prætor proſpexiſſet ſolem, exclamare iubebat meridiem. Sed hoc cum non niſi ſereno tempore procederet, de alio fuere ſolliciti Romani. Inde introducta ſolaria, ſecundum quæ horas ſuas diſtinguebant. Quodnam autem primum Romæ fuerit conſtitutum, de eo ipſi diſceptant veteres. Plinius (k) quidem ex Fabio Veſtali, princeps Romanis ſolarium horologium ſtatuiſſe tradit ad ædem Quirini L. Papirium Curſorem, cum hanc ædem a patre ſuo votam dedicaret; idque factum ante annos duodecim, quam cum Pyrrho eſſet bellatum. Alii in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Auentino, primum horologium ſtatutum dicunt (l), hæc enim tria iſta loca fuiſſe videntur, quibus ſolaria poſita. M. Varro, eodem Plinio (m) teſte, primum ſtatutum in publico ſecundum roſtra, in columna tradit, bello Punico primo, a M. Valerio Meſſala conſule, Catana capta in Sicilia: deportatum inde poſt XXX annos, quam de Papiriano horologio traditum, anno vrbis CCCCLXXVII. Illud quidem conſtat, nullum in foro eo prius fuiſſe (n). Sed cum hoc

Z z 3 ad

(i) *lib. V de LL. p. m. 44.* (k) *lib. II c. LX.* (l) Cenſorinus *de die natali cap. XXIII.* (m) *c. l.* (n) Cenſorinus *c. l.*

ad clima Siciliæ eſſet deſcriptum, ad horas Romæ non conueniebat; paruerunt tamen illi annis vndecentum, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paullo cenſor fuit, diligentius ordinatum iuxta poſuit, idque munus inter Cenſoria opera gratiſſime fuit acceptum. Sed & tum nubilo cœlo incertæ fuere horæ vsque ad proximum luſtrum. Tunc Scipio Naſica primus aqua ſtillante diuiſit horas æque noctium ac dierum, idque horologium ſub tectó dicauit anno vrbis DXCV (o). Ipſum hoc horarium ex conſuetudine noſcendi a ſole horas, ſolarium cœptum vocari (p). Solarium enim, inquit Varro (q), dictum id, in quo horæ in ſole inſpiciebantur: quod Cornelius in baſilica Aemylia & Fuluia inumbrauit. Locus is publicus dicebatur ad ſolarium, in quo verſabantur homines, vti innuit Cicero (r): *vixit ſemper incuite atque horride; natura triſti ac recondita fuit: non ad ſolarium, non in campo, non in conuiuiis verſatus eſt.* Cum autem modo longiores eſſent horæ, modo breuiores, ipſa quoque ſolaria horarum vel augmenta vel decrementa monſtrabant. Vitruuius (s) enim cum mechanicam horologiorum docuiſſet, ſubiicit: *cum hoc ita ſit deſcriptum & explicatum ſiue per hibernas lineas, ſiue per æſtiuas, ſiue per æquinoctiales, aut etiam per menſtruas in ſubiectionibus rationes horarum erunt ex analemmatis deſcribendæ, ſubiicienturque in eo multæ varietates, & genera horologiorum, & deſcribentur rationibus his artificioſis. Omnium autem figurarum deſcriptionumque earum effectus vnus, vti dies æquinoctialis, brumaliſque,*

(o) Plinius *VII c. LX.* (p) Cenſorinus *c. I.* (q) *lib. V de L. L.* (r) *pro Quintio c. X.* (s) *de architect. lib. IX c. IX.*

que, item Solſtitialis in duodecim partes æqualiter ſit diuiſus. Patet id quoque ex verbis Plinii (t), vbi de obeliſco, qui eſt in campo Martio: *ei, qui eſt in campo, diuus Auguſtus addidit mirabilem vſum ad deprehendendas ſolis vmbras, dierumque ac noctium magnitudines, ſtrato lapide ad obeliſci magnitudinem, cui par fieret vmbra Romæ confecto die ſexta hora, paullatimque per regulas [quæ ſunt ex ære incluſæ] ſingulis diebus decreſceret, ac rurſus augeſceret, digna cognitu res & ingenio fæcundo.* In horologiis hydraulicis quoque, quæ Scipio adinuenit, eadem horarum varietas obſeruabatur, de quo Vitruuius: *in his etiam aut in columna aut paraſtatica horæ deſcribuntur, quas ſigillum egrediens ab imo virgula ſignificat in diem totum, quarum breuitates aut creſcentias cuneorum adiectus aut exemtus in ſingulis diebus & menſibus perficere cogit.* Ea tamen inter vtraque, hac in parte erat differentia, vt in ſolariis lineæ vel æſtiuæ vel hibernæ vel æquinoctiales vel menſtruæ eſſent, quibus augmenta vel decrementa horarum monſtrabantur, alias nimius linearum numerus fuiſſet; cum hæc mutatio in hydraulicis iſtis quantum ad ſingulos dies perficeretur. Nec autem ſemper tali ſolario vel horologio vtebantur, cum in publico tantum loco talia expoſita. Proceres quidem Romani pueros habebant, qui nunciarent horas. (u) Ruſtici ad pedum numerum metiebantur vmbras, indeque horas dinumerabant, quem modum in ſingulos menſes præſcribit Palladius. Aſtrologi & horoſcopi vtebantur horis æquinoctialibus, de quibus intelligendus eſt ſemper Manilius. In ſolariis autem ipſe circulus includens dicebatur hemiſphærium; acus vero intermedia, ſtylus; quem Græ-

(t) *XXXVI c. X.* (u) Suetonius *Domitiano c. XVI.*

Græci gnomona (x) vocabant; & partes in quas hemiſphærium pro diuerſitate temporis deſcriptæ, lineæ: vti videmus ex Perſio, (y) qui canit:

Nempe hæc adſidue? iam clarum mane feneſtras
intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.
Stertimus indomitum quod deſpumare Falernum
ſufficiat, quinta dum linea tangitur vmbra.

Quintam lineam ſeu vmbram, horam poſt ortum ſolis computat quintam, quæ meridiei eſt proxima. Ab iſtis autem horologiis hydraulicis, de quibus diximus, aliæ erant *clepſydræ*, quarum vſus in iudiciis. A Græcis hæ ad Romanos translatæ, idque tertio conſulatu Pompeii, quem auctor dialogi de corrupta eloquentia (z) primum adſtrinxiſſe dicendi tempora ait, & veluti frenos impoſuiſſe eloquentiæ. Petebant ergo clepſydras, qui in iudicio litigabant; dabant iudices (a). Accuſator ex lege ſex, reus nouem accipiebat horas (b) ad dicendum; horas vero per clepſydras dimetiebantur. Videmus id ex Plinio (c), qui ipſe patronus, de cauſſa quam egerat: *dixi horis pæne quinque: nam duodecim clepſydris, quas ſpatioſiſſimas acceperam, ſunt additæ quatuor*: ex quo quatuor clepſydris horam fuiſſe dimenſos patet, ita tamen vt ſpatioſiores eſſent aliæ; aliæ minus ſpatioſæ. Præterlapſo autem ſpatio ad dicendum conceſſo, ſilentium clepſydra indicebatur. (d) Sed nondum præterlapſo, dicendi quidem finem poterant facere, vti videmus Plinio quinque horas fuiſſe datas, (e) egiſſe tantum tribus & dimidia, non

(x) Macrobius *II in ſomn. Scip. c. VII.* (y) *ſat. III ab initio.* (z) *cap. XXXVIII.* (a) Plinius *VI ep. II.* (b) Plinius *IV ep. IX.* (c) *II ep. XI.* (d) Plinius *I c. XXIII.* (e) *IV ep. IX.*

non autem oratori habebatur decorum, cum ipſius eſſet omne ſpatium ad dicendum conceſſum adimplere. Deſcribit clepſydram Apuleius : *(f) ſic rurſum*, inquit, *præconis amplo boatu citatus accuſator quidam ſenior exſurgit ; & ad dicendi ſpatium vaſculo quodam in vicem coli graciliter fiſtulato ac per hoc guttatim deſluo infuſa aqua, populum ſic adorat.* Conſtabat ergo ex vaſculo, quod in altera parte in coli modum anguſtiore foramine fiſtulatum erat, vnde aqua guttatim deflueret. Id autem vbi requireretur, vel aperiri vel claudi poterat: ſi quidem aqua eſſet inhibenda, & ſiſtenda ne deflueret, claudebatur, ſin mittenda, aperiebatur. Dum enim teſtimonium dicebatur, aqua inhibebatur, vti Apuleius ait: *lege pauca in principio, deinde quædam de piſcibus. At tu interim, dum legit, aquam ſuſtine.* Erant enim certi homines qui clepſydrarum curam habebant, qui aquam vel ſuſtinebant, vel ſinebant fluere, qualem idem Apuleius (g) compellat: *at tu*, inquit, *licebit aquam ſinas fluere. Namque optimi viri litteras ter & quater adeo quantouis temporis diſpendio lectitarem.*

DE DIERVM DIVERSITATE.

Numa inquit Macrobius, (h) vt in menſes annum, ita in dies menſem quoque diſtribuit : dieſque omnes aut feſtos aut profeſtos aut interciſos vocauit. Idem nefaſtos dies faſtoſque fecit, addit Liuius. (i) Generalis ergo dierum diuiſio erat in feſtos, profeſtos atque interciſos. *Feſti* diis ſacrati dies erant, quibus ſecundum Macrobium inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ, de quibus ſequentibus agetur. Hi autem & faſti eſſe poterant,

 iiſque

(f) *lib. III Metam. p. m. 130.* (g) *apologia p. m. 333.* (h) *Saturn. I c. XVI.* (i) *I c. XIX.*

iisque iudicia exerceri. (k) *Profeſti* dies adpellabantur, quod procul ſint a religione numinis diuini, ſiue omnes dies qui non erant feſti, ſecundum Nonium: nobis *Werckeltag*. Atque hac ratione dies etiam diuidebantur in faſtos atque nefaſtos. *Faſti* dies ſecundum Varronem (l) dicebantur, quibus certa verba legitima ſine piaculo, prætoribus licet fari, quæ verba certa ſiue ſolennia explicat Macrobius, (m) quod ſint *do, dico, addico*. Clarius Ouidius: (n)

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur;
faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Faſti enim dicebantur omnes dies, quas hodie adpellamus iudiciales; quibus de iure agere non erat prohibitum, quare & in tribus iſtis verbis omne iudicum munus poſitum: quod erat iudices vel arbitros dare, ius dicere, prædia ſuo domino, vel debitorem creditori addicere. Faſti ergo dies non ii ſolum erant, qui per litteram F in Kalendario notati, qui proprie tales erant, ſed & dies Comitiales, quia comitialibus & cum populo, & lege agi poterat: hoc quidem obſeruato, vt vno quidem die, non æque vno tempore poſſit fieri: populo enim in forum vocato iuri dicundo nullus locus. Alii autem nefaſti erant toti, & proprie ſic dicti, quibus prætor ius plane non dicebat, alii prima, media & poſtrema diei parte Faſti, reliquis nefaſti. Ita Seruius (o): *item lectum eſt, Deos aliquoties tantum Kalendis, aliquoties Idibus vaticinari: nonnunquam diei vel prima, vel media, vel poſtrema parte: vnde eſt in iure fiſſus dies, id eſt, non totus*

(k) Cicero *pro Cœlio ab initio.* (l) *de L. L. lib. V p. m. 35.* (m) *Saturn. I c. XVI.* (n) *Faſt. I v. 47.* (o) *ad VI Aen. v. 37.*

totus religioſus. Faſtos quidem totos notant Kalendaria priſca per litteram F. Faſtos prima parte per F. P. cum matutinis horis tria verba fari licebat, vt Vinalia menſe Auguſto notata, de quibus Feſtus. *N. P. nota deſignari ſolent, qui nefaſti priores ſunt, quorum pars anterior fas: his ſerui liberati ſunt, delectus habentur, exercitus ſcribuntur & in prouinciam ire licet: ſacra quoque inſtituta ſiunt & vota nuncupata ſolui & ædes ſacrari ſolebant.* Faſtos media notant per EN. quaſi endotercisos ſiue intercisos deorum hominumque communes. Faſtos poſtrema notabant per *NP* id eſt nefaſtos primo; matutinis enim horis ius dicere non licebat, ſecus de pomeridianis. De quo Ouidius: (p)

nec toto perſtare die ſua iura putaris:
qui iam faſtus erit, mane nefaſtus erat.
Nam ſimul exta Deo data ſunt, licet omnia fari,
verbaque honorata libera prætor habet.

Hoſce intercisos dies deſcribit Macrobius: (q) *illorum dierum* inquit, *quibusdam horis fas eſt, quibusdam fas non eſt ius dicere. Nam,* pergit, *cum hoſtia cæditur, fari nefas eſt. Inter cæſa & porrecta fari licet, rurſus cum adoletur, non licet.* Inter cæſa autem & porrecta tempus in ſacrificiis inter victimam cæſam & exta porrecta obueniebat, quod & Cicero tangit, cum ait (r): *ne quid inter cæſa & porrecta* [*vt aiunt*] *oneris mihi addatur, aut temporis:* prouerbium inde ducens ad tempus, quod inter hæſitationem eſt rei cœptæ & perficiendæ. Sic & alii dies in Kalendario notantur Q. REX. C. *quando Rex comitiauit,* quem diem in honorem regis ſacrorum

Aaa 2 nota-

(p) *I Faſt. v. 49.* (q) *Saturn. I c. XVI.* (r) *V ad Atticum ep. XVIII.*

notatum ait Feſtus. Quo enim die rex veniret in Comitium, eius partem anteriorem nefas haberi, poſteriorem fas; quod ſi tamen alius pro rege in comitio ſacra fecerit, totus erat faſtus. Propter regem ſacrorum dies hic ex parte nefaſtus, cui in comitium niſi hoc die, ire non licebat: quod nec magiſtratum, nec verba ad populum habere poterat. Ibat enim in comitium ſacrificii cauſſa, quo properanter peracto, protinus fuga ſe e comitio proripiebat: vnde & notas illas Q. R. C F. alii interpretantur. *Quando Rex Comitio fugit.* Nam explicat Feſtus, dum ait: *Regifugium dies notatur in Faſtis, VI Kalend. Martii, vt ait Verrius, ita dictus, quia eo die Rex Tarquinius Roma fugerit: quod falſum eſſe arguit Cincius in libro Faſtorum & Iulius de Feriis, qui Saliares virgines, & Salios adeſſe dicunt Regi Sacrorum, cum facit ſacrificium in comitio, quo facto ſtatim fugit. Quod verum cognouit eſſe, qui legerit in Faſtis dies tales Q. Rex C. F. id eſt, Quando Rex comitiauit Fas, id eſt, ad comitium itat. His enim tantum feriis Regi Sacrorum in comitium, nec aliis ire licet, qui mos videtur adſcitus ex Etruria.* Alius notatur Q. ST. D. *quando ſtercus delatum;* ſeu cum ex æde Veſtæ ſtercus in aluum Capitolinum fuerit delatum, qui dies eodem Feſto auctore, totus habebatur faſtus. *Nefaſti* dies faſtis erant contrarii, per quos nefas fari prætorem, do, dico, addico: ſeu quibus nec agi nec ius dici poterat. *Quod ſi tum*, inquit Varro, (f) *imprudens verbum emiſit, aut quem manumiſit, ille nihilominus eſt liber, ſed vitio: vt magiſtratus vitio creatus nihilo ſecius magiſtratus. Prætor qui tum fatus eſt, ſi imprudens fecit, piaculari hoſtia facta*

(f) *lib. V de L. L. p. m. 35.*

facta piatur. Atque his neque lege, neque cum populo agere licebat; lege, quod faſtis: cum populo, quod comitialibus eſſent contrarii. Cauſſas tamen agere & conciones habere & leges promulgare licuit. Ita Cicero (t) *ad III Idus Februarii dixi pro Beſtia, de ambitu apud Prætorem.* Is autem dies in Kalendario notatus per N. Agi ergo cum populo nefas erat, quod Comitialibus ſolis licebat; ſecus ad populum, quæ inter ſe diuerſa. Nam *cum populo agere* inquit Gellius (u), *eſt rogare quid populum, quod ſuffragiis ſuis aut iubeat aut vetet; concionem autem habere, eſt verba facere ad populum ſine vlla rogatione.* Concionari enim omnibus diebus ad populum licebat. Leges etiam hiſce promulgari poterant, ferri vero ſiue proponi in publico non niſi comitialibus. Patet id ex rogatione, quam C. Cato Tribunus plebis de imperio, quod Lentulo abrogandum, promulgauit, quod poſt IV Nonas Februarii & ante IIX Idus fecit (x), qui omnes in Kalendario per N notati erant nefaſti. Ex profeſtis alii comitiales erant, comperendini, ſtati & præliares. *Comitiales* ſecundum Macrobium (y) erant, quibus cum populo agi licebat, ſeu quibus populus conueniebat ad ferendum ſuffragium: qui in Kalendario per C notantur, de quibus Ouidius (z):

eſt quoque quo populum fas eſt includere ſeptis:
eſt quoque qui nono ſemper ab orbe redit.

Faſtis quidem lege agi poterat, cum populo ſemper agi non poterat, comitialibus vtrumque poterat (a). Erant enim comitiales dies, qui comitiis gerendis apti at-

(t) *II ad Q. Frat. ep. III.* (u) *XIII c. XIV.* (x) *II ad Q. Fratr. ep. III.* (y) *Saturn. I c. XVI.* (z) *I Faſt. v. 53.* (a) Macrobius *c. l.*

que dicati erant, per quos tamen ex lege Pupia Senatus haberi non poterat (b). Hi autem quibus habebatur ſenatus, dicebantur *dies ſenatorii*, quibus Kalendæ Nonæ & Idus præ reliquis erant deſtinatæ; hinc eas littera C non videmus notatas. Sub initium quidem anni primis quinque diebus, excepto biduo comitiali, ſenatus haberi poterat (c). Poſt Idus Ianuarii ante Kalendas Februarii ſenatus, excepto vnico die, haberi non poterat, nec menſe Februario toto, niſi perfectis aut reiectis legationibus (d). Feſtis quidem & nefaſtis omnibus ſenatus haberi poterat, non æque profeſtis omnibus, ſed iis duntaxat, qui non erant Comitiales. Quibus autem profeſtis ſenatus haberi poterat, iis cum populo agi non licebat; aſt quibus profeſtis ſenatus haberi non poterat, cum populo quidem agendi licentia erat, non autem ſemper agebatur, cum ex eorum voluntate id penderet, penes quos populum cogendi poteſtas erat. Extra ordinem tamen per dies æque comitiales ſenatus fuit habitus (e). Sic etiam XVI Kl. Februarii ſenatum fuiſſe habitum diſcimus ex Cicerone (f), cum tamen poſt Idus Ianuarii omnes fere dies eſſent comitiales. Immo etiam comitia poſtquam dimiſſa, ſenatus vocari poterat, de quo Cicero ad Atticum (g). *Comitia dimittuntur: ſenatus vocatur.* Dies *comperendinos* deſcribit Macrobius (h), quod ſint tales, quibus vadimonium licet dicere. In iudiciis enim Romanorum moris erat, vt ab vtrisque litigantibus ſibi inui-

(b) Cicero *ad Q. Fratr. II ep. II & XII. II ad Fam. ep. IV.*
(c) Cæſar *I Ciu. c. V.* (d) Cicero *I ad Fam. ep. V.*
(e) Cicero *VIII ad Fam. ep. VIII.* (f) *I ad Fam. ep. IV.* (g) *I ad Att. ep. XI.* (h) *Saturn. I c. XVI.*

inuicem denuntiatio fieret in diem tertium, qui vocabatur perendinus; vti videmus in notis Valerii Probi I. D. T. S. P. *in diem tertium ſiue perendinum*, atque tota hæc actio vocabatur comperendinatio. Namque cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem, qui dabatur poſt tertium diem; quo dato, deinde inter ſe in perendinum diem, vt ad iudicium venirent, denuntiabant (i). *Stati* vero dies erant, qui iudicii cauſſa, cum peregrino coram prætore peregrino inſtituebantnr (k). Lex enim eſt XII Tabb. *Si ſtatus dies ſit cum hoſte, venito.* Hoſtis autem priſcis Romanis dicebatur, quem poſt adpellabant peregrinum (l). Alii dein dies erant *præliares* alii non præliares. Illi dicebantur omnes, quibus fas eſt res repetere vel hoſtem laceſſere. *Iuſti* dies continui ſunt triginta dies, quibus exercitu imperato, vexillum ruffi coloris in arce poſitum eſt. Iungit quidem hoſce dies cum præliaribus Macrobius, non autem confundit. Præliares quidem non niſi bello iam indicto locum habebant, & omnes iſti dicebantur, quibus non erat interdictum vel exercitus ducere vel prælia inire. Iuſti vero dies dicebantur, antequam bellum eſſet indictum. Romani enim ob iniurias quas ſibi putabant eſſe illatas, bellum inituri fecialem mittebant ad gentem hoſtilem, qui Romanæ ciuitati ius ſuum repetat, res ablatas per clarigationem repetat, vel auctorem iniuriæ noxæue dedi cupiat. Quod ſi tempus ad deliberandum petunt, decem conceſſis diebus reuertitur & vsque ad tertiam petitionem exſpectat: elapſis

(i) Aſcon. Ped. *in Verrem de prat. vrb. p. m. 76.* (k) Macrobius *c. l.* (l) Cicero *de Off. I c. XII.*

pſis autem triginta diebus, ſi non impetret ius ſuum, obteſtatus ſuperos atque inferos diſcedit, vti rationem hancce nobis exponit Halicarnaſſenſis. (m) Intermedio igitur inter hoſce triginta dies tempore, ruſſum vexillum in arce poſitum, de quo & Arnobius: (n) *cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arce, aut fecialia iura tractatis?* Durante quo tempore nihil hoſtile cum iis agi poterat, quia ſpatium hocce triginta dierum ad deliberandum conceſſum, ideo dies iuſti dictum; ratione ex foro ciuili ducta, cum confeſſis æris ac debiti iudicatis triginta dies conquirendæ pecuniæ cauſſa concedebantur, quos dies decemuiri iuſtos adpellabant; velut iuſtitium quoddam & iuris quaſi interſtitionem atque ceſſationem. (o) Erant autem alii dies, quibus nec prælium inire, nec delectum habere, nec militem proficiſci, nec nauem ſoluere, nec etiam vxorem liberûm quærendorum cauſſa ducere fauſtum habebatur. Atque iſti vocabantur *non præliares.* Vnde feriis latinis, feſto Saturnalium, feſto Ditis & Proſerpinæ prælium ſumere plane nefas habebatur. (p) Hoc autem in tantum, ſi ipſi inferrent bellum, ſecus ſi exciperent, tunc enim nullum diem obſtare putabant, quo minus ſecuritati ſuæ proſpicerent. Præter hoſce erant certi dies, quos adpellabant *atros;* hosque velut infauſta adpellatione damnarunt: quales putabant omnes poſtridianos. (q) Totam rem ex Verrii Flacci de verborum ſignificatione libro quarto exponit Gellius. (r) *Vrbe*, inquit, *a Gallis Senonibus reciperata, L. Atilius in ſenatu verba fecit Q. Sulpi-*

(m) *lib. II p. m. 132.* (n) *lib. II p. m. 91.* (o) Gellius *noct. Att. XX c. I.* (p) Macrobius *c. l.* (q) Macrobius *c. l.* (r) Gellius *V c. XVII.*

Sulpicium Tribunum militum ad Alliam aduerſus Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia poſtridie idus feciſſe; tum exercitum populi Romani occidione occiſum, & poſt diem tertium eius diei, vrbem præter Capitolium captam eſſe: compluresque alii ſenatores recordari ſeſe dixerunt, quoties belli gerendi gratia res diuina poſtridie Kalendas, nonas, idus, a magiſtratu populi Romani facta eſſet, eius belli proximo deinceps prælio rem publicam male geſtam eſſe. tum Senatus eam rem ad pontifices reiecit, vt ipſi, quod videretur, ſtatuerent. pontifices decreuerunt nullum his diebus ſacrificium recte futurum. Eandem cauſſam adfert quoque Liuius (ſ). Atri autem dies ex eo fuere adpellati, quod veteres felicia omina albo; infauſta atro colore notarent, de quo Perſius (t):

quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim
illa prius creta, mox hæc carbone notaſti.

Atque hi ſequiori ætate *nefaſti* etiam & *poſteri* dicti ſecundum Nonium (u). Hos quoque dies neque puros neque comitiales eſſe volebant, nec iisdem parentare, quia tunc Ianum Iouemque præfari neceſſe ſit, quos nominare atro die non oporteret (x). Similis obſeruationis erant dies *innominales*: omnes dies ante quartum Kalendas vel Nonas vel Idus. Cauſſam ex Q. Claudii Annalibus adfert Gellius; quod pugnæ Cannenſis clades vaſtiſſima ante diem quartum nonas Sextilis fuerit facta (y), ideoque Pontificum decreto atri hi dies iudicati ſecundum Feſtum. Ab his diuerſi erant *dies religioſi*, quos multitudo imperitorum praue & perperam adpellauit nefaſtos. Dicuntur autem ſecundum Gellium (z), tri-

(ſ) *lib. VI c. I.* (t) *ſat. V v. 107.* (u) *cap. I n. 40.*
(x) Macrobius *c. l.* (y) *V c. XVII.*

(z), triſti omine infames impeditique, in quibus & res diuinas facere & rem quampiam nouam exordiri temperandum eſt. De quibus & Cicero (a) : *maiores,* inquit, *noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnæ, quam vrbis captæ ;* quod hoc malum ex illo: itaque alter religioſus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus. Inter religioſos præcipue habebatur, quo clades Allienſis accepta, de quo & Liuius (b), dum ait : *Tum de diebus religioſis agitari cæptum, diemque a. d. XV Kalendas Sextiles duplici clade inſignem [quo die ad Cremeram Fabii cæſi : quo deinde ad Alliam cum exitio vrbis fœde pugnatum] a poſteriore clade Allienſem adpellarunt, inſignemque rei nulli publice priuatimque agendæ fecerunt.* Quare infauſti ominis res habebatur, quod Vitellius Pontifex, eodem die Cremerenſi Allienſique cladibus inſigni, edixiſſet (c). Duos quoque dies poſt latinas ferias fuiſſe religioſos ex Cicerone diſcimus (d). Sic & poſt interfectum Cæſarem Idus Martiæ inter dies infauſtos relatæ, atque parricidium nominatæ, ac ne vnquam eo die ſenatus cogeretur decretum (e). Sic diem natalem Agrippinæ vt inter nefaſtos eſſet, decreuit Senatus (f). Auguſtus ſingulari religione dies quoſdam obſeruabat, ne aut poſtridie nundinas quoquam proficiſceretur, aut Nonis quidquam rei ſeriæ incoaret (g). Dies igitur religioſi, ait Feſtus, ſunt, quibus niſi quod neceſſe eſt, nefas habetur facere, quales ſunt ſex & triginta atri, qui adpellantur, & Allienſis, atque ii quibus mundus patet.

Mun-

(z) *IV c. IX.* (a) *lib. IX ad Atticum ep. V.* (b) *lib. VI c. I.* (c) Tacitus *Hiſt. II c. XCI.* (d) *II ad Q. Fr.* (e) Suetonius *Iulio c. LXXXVIII.* (f) Tacitus *Ann. XIV c. XII.* (g) Suetonius *Aug. c. XCII.*

Mundus autem ſecundum eundem *patere* dicitur ter in anno, diebus his: poſtridie Volcanalia, & ante diem ſextum Iduum Nouembris. *Mundo* autem inquit, *nomen impoſitum eſt ab eo mundo, qui ſupra nos eſt: forma enim eius eſt, vt ex his qui intrauere, cognoſcere potuit, adſimilis ille eius inferiorem partem veluti conſecratam dis Manibus, clauſam omni niſi his diebus, qui ſupra ſcripti ſunt, maiores cenſuerunt: quos religioſos iudicauerunt ea de cauſſa, quia quo tempore ea quæ occulta & abdita religionis deorum Manium eſſent, veluti in lucem quandam adducerentur & patefierent, nihil eo tempore in Rep. geri voluerunt: itaque per eos non cum hoſte manus conſerebant, non exercitus ſcribebatur, non comitia habebantur, non aliud quidquam in rep., niſi quod vltima neceſſitas admonebat, adminiſtrabatur.* Sacrum hoc Diti patri & Proſerpinæ dicatum ſcribit Macrobius (h). Is quoque dies, quo penus Veſtæ patebat, religioſus habitus. *Penus* autem vocabatur *Veſtæ*, locus intimus in æde Veſtæ, tegetibus ſeptus, qui certis diebus circa Veſtalia aperitur (i).

* * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT NONVM

De FERIIS ROMANORVM

QVi de feriis Romanorum ſcripſere, admodum ſunt pauci. Ex veteribus quidem VERRIVM FLACCVM, IVLIVM MODESTVM (k) & TITVM de feriis ( )citat Ma-

Bbb 2 cro-

(h) *Saturn. I c. XVI.* (i) Feſtus *voce penus.* (k) *Saturn. I c. IV.* (l) *Saturn. I c. XVI.*

crobius ; qui tamen omnes iniuria temporum intercidere. Ex recentioribus PETRI MORESTELLI, Theologi Galli, extat *Alypius, ſiue de priſcorum Romanorum feriis liber*, *Lugduni 1605. 4* editus, poſt theſauro Græuiano inſertus, & elegans eſt, licet non omnia exhauriat. LILIVS GREGORIVS GYRALDVS pleramque ſyntagmatis ſui decimi ſeptimi partem feſtis deſtinauit, ſed pro debito eſt breuior. RVDOLPHI HOSPINIANI *de feſtis ethnicorum tractatio*, *Tiguri 1593 f.* edita generalis eſt, vſum tamen præſtat non minimum. IOANNIS LVDOVICI RVELLI *religio gentium circa feſta*, leuiſſimi eſt momenti, prodiit *Cellis 1663. 12.* Feſta autem cum pleraque eſſent ſtatiua, Roſinus totum librum quartum qui de feſtis agit, ad ductum faſtorum Romanorum diſpoſuit, idque peculiari tractatu egit SIBRANDVS TETARDVS SICCAMA, in *præcidaneis* ſuis *in faſtos Kalendares Romanorum*, *Campis 1599. 4* editis, quæ totam rem feſtorum optime declarant. Præcidanea autem inſcripſit ea, quæ maiori Faſtorum operi duodecim libris abſoluendo præmittere voluit, vti ipſe auctor eſt. Cui adiungimus PAVLVM MERVLAM, qui vltima capita tractatus ſui de ſacrificiis, feſtorum tractationi deſtinauit, atque reliquis æque prolixior eſt & accuratior ; quem etiam ſæpius, cum rem optime exhauſerit, fuimus ſecuti. Inter ſpeciales feſtorum ſcriptores VERATII librum de *ſupplicationibus* citat Macrobius (m). Cereris ſacra in *Eleuſiniis* ſuis eruditiſſime explicat IOANNES MEVRSIVS, *Lugduni Batauorum 1619. 4* licet ad Græca magis faciat. Integram *ſtrenarum ciuilium hiſtoriam* perſecutus eſt MARTINVS LIPENIVS, *Lipſiæ 1670. 4* ſecundum

(m) *Saturn. III c. VI.*

dum originem, ritum & temporum ſucceſſionem propoſitam tractans materiam. Ritum antiquum & hodiernum *Bacchanaliorum* ſingulari commentatione illuſtrauit IOANNES NICOLAI, quæ prodiit *Helmſtadti 1679. 4.*

FESTORVM DIVERSITAS.

Feſti dies diis ſacrati ſunt, inquit Feſtus, poſterior tamen ætas hominibus tales quoque ſacrauit. Sacra autem feſtiua erant vel publica, vel priuata. *Publica* aut diis omnibus erant communia, aut ſingulis peculiaria. Communia dicebantur alias *Pandicularia*, de quo Feſtus: *Pandicularis dicebatur dies, idem Communicarius, in quo omnibus diis communiter ſacrificabatur.* Peculiaria deorum ſacra erant, quæ certo cuique numini adſcripta. Hæcque erant varia, vt *popularia* : quæ vniuerſus populus aut pars eius maxima faciebat, ſecundum Feſtum, & vel pro vniuerſo populo, vel pro populi tantum parte fiebant : qualia erant *paganalia* & *montana*. Illa diuerſa quidem ab iis, quæ ruſtici faciebant in pagis, & celebrabantur ab iis, qui humiliores vrbis locos incolebant : hæc ab iis, qui montes inhabitabant & vocabantur *Septimontium*, ab his ſeptem montibus, in queis ſita vrbs eſt. Feriæ non populi ſed montanorum, vti inquit Varro (n). Alia erant ſacra *curialia*, quæ curiales eiusdem curiæ faciebant, curione maximo ſacra curante, quibus magna lætitia vna epulabantur : Ita Cicero de oratore (o): *tanta eſſet in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, vt dies inter eos curiæ fuiſſe videretur, conuiuium Tuſculani. Municipalia* ſacra municipum erant, antequam ciuitatem Romanam adipiſcerentur, quæ obſeruare eos volunt pontifices, & ex eo more facere,

(n) *lib. V de L. L. p. m. 55.* (o) *lib. I c. VII.*

Digitized by Google

cere, quo fuiſſent antiquitus, ſecundum Feſtum. Alia denique patritiorum ſacra erant, alia plebis: de qua diſtinctione conſul in oratione aduerſus Canuleium (p) *quam*, inquit, *aliam vim promiſcua connubia habent, niſi vt qui natus ſit, ignoret cuius ſanguinis, quorum ſacrorum ſit; dimidius patrum ſit, dimidius plebis.* Addimus & ferias præcidaneas, quæ ſecundum Gellium (q), non ſuo proprio die celebratæ, ſed ob impedimentum aliquod in alium dilatæ, vel prius actæ.

FESTA GENERALIA

Inter generalia deorum feſta erant SVPPLICATIONES, Tacito (r) quoque *ſupplicia* dictæ atque Salluſtio. Triplici ex ratione decernebantur a Senatu, vel enim pro felici ſucceſſu & euentu rerum peragendarum. Sic decretam memorat Liuius (ſ), quod Scipio in Africam prouinciam traieciſſet, vt ea res ſalutaris populo ipſique duci atque exercitui eſſet. Similiter quod exercitus Romanus tum primum in Aſia poſuiſſet caſtra, vt ea res proſpera & læta eueniret (t). Maxime cum bellum iam declaratum, ſupplicationes indictæ, quo bene atque feliciter eueniret bellum, quod populus Romanus iuſſiſſet (u). Secundo decernebantur ob res proſpere geſtas, atque edicebatur, vt æditui ædes ſacras omnes tota vrbe aperirent, & circumeundi ſalutandique deos agendique grates per totum diem populo poteſtas fieret (x). Ita Senatus ob rem de Perſeo egregie geſtam a L Aemilio con-

(p) Liuius *IV c. II.* (q) *lib. IV c. VI.* (r) *Annal. III c. LXIV. bello Iugurth. c. LV. Catil. c. IX.* Varro *de R. R. c. V.* (ſ) *lib. XXX c. I.* (t) Liuius *lib. XXXVII. c. XLVII.* (u) Liuius *XXI c. XVII. XXXI c. VIII. XLV c. II.* (x) Liuius *XXX c. XVII.*

conſule, in quinque dies ſupplicationes circa omnia puluinaria decreuit, hoſtiisque maioribus ſacrificari iuſſit (y). Sic & victoriæ naualis ergo in vnum diem ſupplicatio decreta (z) & dona diis miſſa (a). Decretæ autem ſupplicationes Imperatoribus bellicis, ad exiſtimationem magis quam ad gratiarum diis actionem: quare & ſupplicationem triumphi dicit prærogatiuam Cicero (b). Licet & non raro ſupplicatio quidem decreta non autem triumphus (c). Et quidem decretæ non in vnicum tantum diem, ſed & in plures, vt in triduum (d). Ita Cn. Pompeio primum decem dierum ſupplicationem fuiſſe decretam, confecto bello Mithridatico tradit Cicero (e). Quindecim dierum ſupplicatio decreta Cæſari, confecto bello Gallico, quod tamen ante id tempus acciderat nunquam, auctore Dione (f) & Cicerone (g). Eidem quoque Cæſari ob res bene geſtas ſupplicatio in LX dies decreta (h). Atque hic dierum cumulus ſingulari hominis dignitati tribuebatur. Sic poſt bellum Africanum ſacrificium quadraginta dierum decretum (i). Poſt deuictum bello Mutinenſi Antonium, Cicero cenſuit, vt ſupplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria conſtituerentur (k). Singulare quid in Cicerone, cui ob detectam Catilinariam coniurationem togato Senatus, non vt multis bene geſtæ, ſed vt nemini conſeruatæ reip., ſingulari genere ſupplicationis, deorum immortalium templa patefecit, vt i-

(y) Liuius *XLV c. II.* (z) Liuius *XXXVII c. XLVII.* (a) Liuius *IV c. XX.* (b) *ad Fam. lib. XV ep. V.* (c) *c. l.* (d) Liuius *XXX c. XL.* (e) *de prouinc. conſul. c. XI.* (f) *lib. XXXIX p. m. 94.* (g) *de prou. conſ. c. X.* (h) Dio *lib. XL p. m. 144.* (i) Dio *lib. XLIII p. m. 222.* (k) Cicero *Philippica XIV extr.*

Digitized by Google

vt ipſe de ſe in Piſonem (l). Supplicationes hæ magna fiebant ſolennitate. Senatus enim ſe ad templa conferebat, quæ patebant omnia (m); ingens turba non virorum modo ſed etiam fœminarum conferta tota vrbe, deorum immortalium templa petebat, pro ſe quisque ex concione ad gratias diis agendas ibat (n). Quandoque & ſupplicabant coronati (o). Publica alias celebrabantur ſacrificia, & epulæ, atque per totam vrbem feſtiuitates. Quare cum feſti eſſent dies ſupplicationum, inter nefaſtos quoque fuere habiti, quibus nec de iure agi, nec conciones haberi poterant. Docet id nos Cœlius, dum ad Ciceronem ita ſcribit (p): *acriter nos tuæ ſupplicationes torſerunt, incideramus enim in difficilem nodum: nam Curio tui cupidiſſimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat ſe vllo modo pati poſſe, decerni ſupplicationes*. Ita Curio metuebat, ne ſibi per cumulum dierum in ſupplicationibus iſto tempore ſolitum, poteſtas cum populo agendi eriperetur. Tertia ſupplicationum ſpecies in rebus aduerſis, vel ad placandos deos, vel auerruncanda prodigia, vel morborum auertendorum cauſſa inſtituebatur. Ita poſt infelicem pugnam ad Thraſimenum lacum, edicta ſupplicatio (q). Auerruncandorum prodigiorum cauſſa ſupplicationes decretas memorat Liuius (r). Ita in triduum quoque, pro collegio decemuirorum imperatam fuiſſe in omnibus compitis, quod luce inter horam tertiam ferme & quartam tenebræ obortæ fuerint, tradit idem (ſ). Sic

& ob

(l) *c. III.* (m) Liuius *XXX c. XL.* (n) Liuius *XLV c. II.* (o) Liuius *XXXVI c. XXXV.* (p) *ad Fam. lib. VIII ep. XI.* (q) Liuius *XXII c. X.* (r) *X c. XXIII,* (ſ) *lib. XXXVIII c. XXXVI.*

& ob fulminibus complura loca deformata (t). Alia exempla vt taceamus, quæ apud eum paſſim habentur. Pro valetudine quoque populi decretæ (u). Et quidem decernebantur a conſulibus ex Scto (x), ſæpe ex Decemuirorum effato (y) vel decreto pontificum; vel in genere omnibus diis, quorum puluinaria Romæ eſſent indicta (z), quod ſupplicationem vocabant circa omnia puluinaria (a). Qui etiam dicebantur Feſto dies *pandiculares* & *communicarii*, cum omnibus diis communiter ſacrificatur, cum & Gloſſarium vetus Pandam alias ἱερήνης θεαὶ explicet. Aliæ erant particulares, certis tantum diis decretæ. Sic ſupplicationem Iunoni in Algido, & ad ædem Herculis indictam memorat Liuius (b). Vulcano, Cereri & Proſerpinæ ad auertendum incendium (c). Indictæ illæ per vrbem Romam non ſolum & totius vrbis compita (d), ſed & per vniuerſam ſæpe Italiam. Ita poſt infelicem pugnam ad Thraſimenum lacum, ſupplicatum iuit agreſtis quoque turba (e). Plerumque vero cum coniugibus ac liberis ſupplicatum ibant (f). Sæpe in rebus deſperatis matronæ ſuppliciis votisque fatigabant deos (g), quod vero non de publicis atque feſtiuis ſupplicationibus, ſed quæ priuatim tantum fiebant, intelligendum. Solennitates nonnunquam additæ, vt matronæ vel virgines manibus ample-

(t) Liuius *XL c. XLV*. (u) Liuius *XXVII c. XXIII. XXXVIII c. XLIV*. (x) Liuius *XXXI c. VIII. XXXVII c. III*. (y) Liuius *XXVII c. XXXVII*. (z) Liuius *XXIV c. X*. (a) Liuius *XXIV c. XI. XXXII c. I. XLI c. IX*. (b) Liuius *XXI c. LXII*. (c) Tacitus *Annal. XV c. XLIV*. (d) Liuius *XXVII c. XXIII*. (e) Liuius *XXII c. X*. (f) Liuius *III c. VII*. (g) Liuius *XXVII c. L*.

Digitized by Google

xæ & coronatæ hymnos certis vocibus canerent. Vti ex decreto pontificum vel decemuirorum virgines ter nouenæ per vrbem euntes carmen cecinere (h). Quod & ex Vitruuio videmus; qui inter vitia ædium ſacrarum refert & id, quod matres familiarum cum ad ſupplicationem gradibus adſcendunt, non poſſint per intercolumnia amplexæ adire, niſi ordine fecerint (i). Ita & Vopiſcus ſub Aureliano (k) ait: *itum ad templum, inſpecti libri, proditi verſus, luſtrata vrbs, cantata carmina, amburbium celebratum, pueris enim patrimis matrimisque carmen indicebatur, ſenatus ſumptum ſacris, apparatum ſacrificiis præbebat.* Alias decretum vt omnes, qui ex vna familia eſſent, pariter ſupplicarent & coronati (l). Sequiore tempore ſub Impp. etiam ob horum geſta tyrannica indictæ ſupplicationes, vt ob ſupplicia de ciuibus ſumta (m); ob occiſam a Nerone matrem Agrippinam ſupplicatio apud omnia puluinaria facta (n); ob Neronis amorem in rem publicam (o); pro fœcunditate Poppæx (p).

Solenne quoque erat lectos ſeu puluinaria penes deorum ſimulacra collocata ſternere, quod LECTISTERNIVM adpellabant. Quem ritum ridet Arnobius (q), dum ait: *Habent dii lectos atque vt ſtratis poſſint melioribus incubare, puluinorum tollitur atque excitatur impreſſio:* & Auguſtinus (r): *lecti ſternebantur*, ait, *in honorem deorum, vnde hoc ſacrum vel potius ſacrilegium nomen*

(h) Liuius *XXVII c. XXXVII. XXXI c. XII.* (i) *lib. III c. I.* (k) *c. XX.* (l) Liuius *XXXIV c. LV.* (m) Tacitus *Annal. II c. XXXII.* (n) *Ann. XIV c. XII.* (o) *Ann. XIV c. LIX.* (p) *Ann. XV c. XXIII.* (q) *lib. VII p. m. 238.* (r) *de Ciu. Dei lib. III c. XVII.*

men accepit. Communis quidem eſt opinio, lectos priuatorum prope deorum ſimulacra fuiſſe ſtratos, ſed contrarium ex Arnobio patet. Lecti enim ſternebantur diis, quorum ſimulacra puluinaribus imponebantur, & dii quaſi ad epulas inuitabantur, quæ paratæ erant, a ſacerdotibus vero conſumebantur, vti ex hiſtoria Beli Babylonici videmus. Primum lectiſternium Romæ A. V. C. CCXII factum ſcribit Liuius (ſ), & quidem per dies octo, quibus Apollinem Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus quam ampliſſime tum adparari poterat, ſtratis lectis placauere. Lectiſternium ſub initium belli Punici ſecundi per triduum habitum idem commemorat (t), decemuiris ſacrorum curantibus, quo ſex puluinaria in conſpectu fuere. Ioui & Iunoni vnus, alter Neptuno ac Mineruæ, tertius Marti ac Veneri, quartus Apollini ac Dianæ, quintus Vulcano ac Veſtæ, ſextus Mercurio ac Cereri, diis ſcilicet conſentibus. Iuuentuti lectiſternium factum idem ſcribit (u). Iunoni lectiſternia ac peruigilia celebrauere fœminæ, quibus mariti erant (x). Immo certa erant fana templaque, in quibus lectiſternium maiorem partem anni fieri ſolebat (y). Decemuiris hæc curare competebat, maximis tamen neceſſitatibus ſenatores quoque lectum ſternebant (z). Priuatim nonnunquam hoc ſacrum quoque fuit celebratum, tota vrbe patentibus ianuis, promiſcuoque vſu rerum omnium in propatulo poſito, noti ignotique paſſim aduenæ in hoſpitium ducti: & cum inimicis quoque benigne ac comiter

Ccc 2

(ſ) *lib. V c. X.* (t) Liuius *XXII c. X.* (u) *XXI c. LXII.* (x) Liuius *XXXVI ineunte.* (y) Tacitus *Annal. XV. c. XLIV.* (z) Liuius *XXII c. I.*

ter ſermones habiti, iurgiis ac litibus temperatum: vinctis quoque demta vincula, narrante ita Liuio (a). Ad ſacrorum ſolennia in deorum honorem inſtituta quoque ſpectant PERVIGILIA, quæ a græca gente conſecrata dicit Arnobius (b), eaque pannychiſmos graues adpellat, quia tota nox tranſigebatur, vti Heſychius explicat παννυχὶη δι᾽ ὅλης τῆς νυκτός. Quare & a Numa non introducta hæc peruigilia, quæ διὰ παννυχισμοὺς ἐν ἱεροῖς ἀνδρῶν σὺν γυναιξὶν vocat Halicarnaſſenſis (c). Cicero (d) adpellat nocturnas peruigilationes. Priuatim tamen a Romanis quoque fuiſſe facta Galbæ hiſtoria teſtatur; de quo dum adhuc priuatus, Suetonius (e) teſtatur: *ſimulacrum fortunæ in parte ædium conſecratum, menſtruis deinceps ſupplicationibus & peruigilio anniuerſario coluit.* Apud Græcos alias nota peruigilia Cereris & Veneris, quæ vigilias Cereris adpellat Plautus (f).

NOVENDIALE SACRVM, ſacrificium etiam nouendiale dictum (g); factis portentis ex decreto Senatus per nouem dies inſtitui ſolitum; ſub Tullii regno vel voce cœleſti, vel haruſpicum monitu primum inſtitutum (h). Exempla ſacri huius inſtituti plura apud Liuium, quod maxime factum, dum lapidibus plueret (i). Ad ferias autem conceptiuas referebatur (k), & differebat ab eo ſacro Nouendiali, quo defunctis parentabant Romani.

Aliud erat AMBVRBIVM, quo vrbs, & AMBARVALIA, quibus agri luſtrabantur, ſummis neceſſitatibus indicta,

(a) *V c. XIII.* (b) *lib. V p. m. 173.* (c) *lib. II p. m. 91.* (d) *II de LI c. XV.* (e) *Galba c. IV.* (f) *Aulul. actu IV ſc. X v. 65.* (g) *XXXIV c. XLIV.* (h) Liuius *I c. XXXI.* (i) Liuius *c. l.* *XXI c. LXII. XXV c. VII. XXIX c. XIV.* (k) Varro *de LL. lib. V p. m. 35.*

dicta. Sic enim ſub Aureliano: *amburbium celebratum & ambarualia promiſſa* ait Vopiſcus. (l) Luſtrale piamentum vocat Apuleius, (m) quo minas portentorum circumforaneis hoſtiis expiabant: ex quo videmus, hoſtias piaculares circa vrbem agroſque fuiſſe deductas. Hoc eſt quod Liuius ait, (n) *hoſtiis maioribus Conſules procurarunt, vrbemque luſtrarunt;* quare & ſacrificium luſtrale dictum eidem. (o) Pro frugibus tamen ſæpe hæc ambarualia facta, vti videmus apud Virgilium: (p)

terque nouas circum felix eat hoſtia fruges:

priuatos quoque lactentibus animalibus Marti mactatis agros luſtraſſe auctor eſt Cato. (q)

Quin & quandoque indicebatur IEIVNIVM, quale ex aditione librorum Sibyllinorum Cereri decretum memorat Liuius, (r) quinto quoque anno ſeruandum.

Alius & plane ſingularis placandi deos ritus CLAVO FIGENDO erat, in peſtilentia maxime; quare & claui figendi cauſſa Dictator dictus, idque ob intermiſſum ſolenne, quo Prætor maximus clauum pangere idibus Septembris ſolebat. Rem totam narrat Liuius, (ſ) dum ait: *Lex vetuſta eſt priſcis litteris, verbisque ſcripta, vt qui prætor maximus ſit, idibus Septembris clauum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Iouis optimi maximi, ea ex parte qua Mineruæ templum eſt. Eum clauum quia raræ per ea tempora litteræ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt: eoque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentum ſit.* Per prætorem autem maximum

(l) *in vita Aureliani c. XX.* (m) *lib. III ab initio.* (n) *XXXIX c. XII.* (o) *l c. XXVIII.* (p) *Georg. I v. 345.* (q) *de R. R. c. CXLI.* (r) *XXXVI c. XXXVII.* (ſ) Liuius *VII c. III.*

Digitized by Google

ximum lege hac intelligitur magiſtratus ſummus, quod videmus, dum Dictator claui pangendi cauſſa dictus, cuius ſummum apud Romanos imperium.

Sic & ludos ſcenicos inter alia cœleſtis iræ placamina inſtitutos Liuius (t) teſtatur, de quibus libro ſecundo.

Reſtant NVDIPEDALIA, quæ optime deſcribit Tertullianus: (u) *cum ſtupet cœlum, & aret annus, nudipedalia denuntiantur, magiſtratus purpuras ponunt, faſces retro auertunt, pacem indigitant, hoſtiam inſtaurant, apud quasdam vero colonias praeterea annuo ritu ſaccis velati, & cinere conſperſi idolis ſuis inuidiam ſupplicem obiiciunt, balnea & tabernacula ad nonam vsque cluduntur, vnus in publico ignis apud aras, aqua nec in lancibus. Niniuitarum credo iuſtitium.* Hæc autem populo denuntiari ſolita, idem alio loco auctor eſt. (x) Nudis itaque pedibus ingreſſos eos tunc fuiſſe ipſa vox docet, quod Statius (y) hunc ritum tangens, ita effert.

crine dato paſſim, plantisque ex more ſolutis.

Crine dato, id eſt ſoluto, nudis paſſisque crinibus, quod in mulieribus ſingularis luctus ſignum. Plantis vero ſolutis, nihil aliud notat ac nudis pedibus, more poëtico, Hinc Ouidius: (z)

Nuda pedem, nudis humeris infuſa capillis.

Inter hæc atque ſimilia deorum placamina tabernæ erant clauſæ, omnis forenſis ſtrepitus quieſcebat, & IVSTITIVM indicebatur. (a) Idque in tumultu quoque vel luctu publico, tum deſerebantur fora, claudeban-

(t) *lib. VII c. II.* (u) *de ieiuniis c. XVI.* (x) *apologetico c. XL.* (y) *IX Thebaid. v. 574.* (z) *VII Metam. v. 183.* (a) Liuius *IV c. XXVI.*

bantur domus, paſſim ſilentia & gemitus, vti deſcribit Tacitus, (b) atque Cicero. (c) Clauſi erant Circi, theatrorum, balneorum aditus, ceſſabant omnes feſtiuitates, veſtes quoque mutabantur, poſitis latis clauis ſenatorum, & annulis aureis equitum; (d) omniaque quæ vel ad ſolennitatem lætitiamue faciebant, plane ceſſabant, quod ferale dicebatur iuſtitium.

FESTA SPECIALIA

In Feſtis hiſce conſideranda veniunt, eorum ſolennitas in genere; diſtinctio in diuerſas ſpecies; & quæ ſingulis diuinitatibus fuerint dicata. Quid feſtis diebus olim fieri ſolenne fuerit, optime ex veteri iure pontificio deſcribit Cicero (e). *Feriis* inquit, *iurgia amouento, easque in famulis, operibus patratis habento. itaque vt ita cadat in annuis anfractibus* [faſtis] *deſcriptum eſto. certasque fruges, certasque baccas ſacerdotes publice libanto: hoc certis ſacrificiis ac diebus.* Ante propoſitos quidem publice faſtos, per præcones ſeu pontificum calatores propalam enuntiabantur feſta, vt eſt apud Arnobium: (f) *Lauatio matris Deûm eſt hodie, Iouis epulum cras eſt. Aesculapi geritur celebraturque vindemia. Lectiſternium Cereris erit idibus proximis. Telluris natalis eſt.* Ipſo enim feſtorum die præcones, quos præclamitatores vocabant, exclamare cogebantur, vt homines abſtineant ſe opere, vti innuit Feſtus. Quod inſtitutum ad Numam refert Plutarchus (g), vbi dicit, ſacerdotes in pompis ſolennibus præiuiſſe præcones, ἐλινύειν κελεύοντες καὶ τὰ ἔργα καταπαύοντες & ſi quid tale accidiſſet, expiatione opus erat.

(b) *Ann. II c. LXXXII.* (c) *de Aruſp. reſp. c. XXVI.* (d) Liuius *IX c. VII.* (e) *lib. II de LL c. VIII.* (f) *lib. VII p. m. 237.* (g) *in Numa p. m. 69.*

rat. Præcones hoſce etiam Precias dictos ab eodem diſcimus, qui a flaminibus præmittebantur, vt denuntiarent opificibus, manu abſtineant ab opere. Huius rationem reddit Macrobius: (h) *adfirmabant*, inquit, *ſacerdotes, pollui ferias, ſi indictis conceptisque opus aliquod fieret. Præterea Regem ſacrorum, flaminesque non licebat videre feriis opus fieri, & ideo per præconem denuntiabant, ne quid tale ageretur & præcepti negligens mulctabatur.* Iure enim pontificio præſcriptum erat, *ad divos adeunto caſte, pietatem adhibento; opes amouento.* (i) Hinc opera neceſſitatis tantum licita: agricolis quoque áliqua permiſſa, quæ feriatis diebus agerent, de quibus ex Virgilio Columella: (k)

riuos deducere nulla
religio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
inſidias auibus moliri, incendere vepres.
balantumque gregem fluuio merſare ſalubri.

Similia fere tradit Cato. (l) Ius dicere plane nefas erat, inde dies nefaſti dicti, exceptis tamen aliquibus: vtpote, quæ moram non patiebantur, vel ad diſciplinam militarem pertinebant, feriatis etiam diebus peragi poterant, inter quæ cuſtodiarum quoque cognitionem reputat Vlpianus. (m) Iurgiis præterea abſtinere iubebantur, de quo Cicero: (n) *Feriarum* ait, *feſtorumque dierum ratio in liberis requiem habet litium & iurgiorum.* Eodem modo Scipio apud Liuium (o): *Hodie litibus & iurgiis ſuperſederi æquum; ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem optimum maximum Iunonemque*

(h) *Saturn. I c. XVI.* (i) Cicero *II de LI c. VIII.* (k) *de R. R. c. XXII.* (l) *de R. R. c. II.* (m) *lege IX π. de feriis.* (n) *II de LI c. XII.* (o) *XXXVIII c. LI.*

que & Mineruam, cæterosque deos, qui Capitolio atque arci præſident, ſalutandos ibo. Nec de ſontibus ſupplicia ſumere licebat, de quo Seneca (p): *accuſatus eſt a fratre parricidii, & damnatus, intercedentibus diebus feſtis pœna ex lege dilata eſt.* Ita Tacitus (q) de tyrannide Tiberii conqueritur: *quem enim diem vacuum pœna, vbi inter ſacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abſtinere mos eſſet: vincla & laqueus inducantur?* Quod ſi ergo imprudens quis egiſſet aliquid, quod feriis non competeret, porco piaculum dare debebat, prudens expiare non poterat (r). Quare & Gellius dicit (ſ), piaculo opus fuiſſe hoſtiam, ſi quis ferias polluiſſet. Et Cicero (t) *diis violatis expiationem deberi* ait. Varias autem adhibebant feſtiuitates: Veſtibus quidem puris atque albis vtebantur, quæ dicebantur ſyntheſiacæ (u), vti & canit Ouidius (x):

proſpera lux oritur; linguisque animisque fauete:
nunc dicenda bono ſunt bona verba die.
Lite vacent aures, inſanaque protinus abſint
iurgia, differ opus liuida turba, tuum.
Cernis odoratis vt luceat ignibus æther,
& ſonet accenſis ſpica Cilïſſa focis.
Flamma nitore ſuo templorum verberat aurum,
& tremulum ſumma ſpargit in æde iubar.
Veſtibus intactis Tarpeias itur in arces,
& populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.

Templorum, immo & domuum limina poſtesque lauru orna-

(p) *lib. V controu. IV.* (q) *Ann. IV c. LXX.* (r) Macrobius *Saturn. I c. XVI.* (ſ) Gellius *II c. XXVIII.* (t) *de baruſp. reſp. c. X.* (u) Martialis *lib. XIV epigr. I.* (x) *Faſt. I v. 71.*

ornabant, deorum etiam ſimulacra atque puluinaria ſertis adficiebant & floribus *(y)*. Quare Seneca inquit: *Quid? tu exiſtimas, ea tantum optabilia eſſe, quæ per voluptatem & otium veniunt, quæ excipiuntur foribus ornatis* (z): & Tertullianus apologetico (a): *cur die læto non laureis poſtes adumbrantur: nec lucernis diem infringimus.* Ex quo etiam videmus, lucernas feſtis diebus adornatas fuiſſe lucentes. Quod & docet Iuuenalis (b), dum canit:

Hic noſtrum placabo Iouem, laribusque paternis
thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos,
& matutinis operatur feſta lucernis.

Et Seneca (c) inquit: *accendere aliquem lucernam ſabbathis prohibeamus: quoniam nec lumine dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Celebrabantur feſta publica per magiſtratus maiores, conſules vel prætores, vel etiam Pontificem maximum, quo ſcilicet ſacris præeſſent eaque facerent. Ille vero dies, quo Seianus occiſus, pro feſto haberi cœpit, quod ab omnibus magiſtratibus omnibusque pontificibus primo tum exemplo celebratum. Cum iam ſacra publica eſſent celebranda, æditui iubebantur, vt primo mane aperirent templa (d). Ipſos autem, qui ſacra eſſent facturi, ante lucem templa ingreſſos diſcimus ex Suetonio (e), vbi de Auguſto: *cum ſacri cauſſa maturius euigilandum eſſet.* Matutinis enim horis ſalutatum ibant deos, & igne aris illato, in deorum honorem hymnos canebant, quos Arno-

(y) *ep. LXVIII.* (z) *lib. VII p. m. 237.* (a) *c. XII.* (b) *ſat. XII v. 89.* (c) *ep. XCV.* (d) Liuius *XXX c. XVII.* (e) *Auguſto c. LXXVIII.*

nobius (f) adpellat *excitationes, quas collatis ad tibiam vocibus canerent matutini.* Seneca (g) *ſalutationes* vocat *matutinas.* Varia autem inter ſe feſtorum erat ratio, de quo Macrobius (h): *Sacra celebritas,* inquit, *eſt, vel cum ſacrificia diis offeruntur, vel cum dies diuinis epulationibus celebratur, vel cum ludi in honorem aguntur deorum, vel cum feriæ obſeruantur.* De ſacrificiis paucis abhinc agemus. EPVLAE cœnæ erant, quas in honorem deorum tribus maximis præcipue diis, Ioui, Iunoni & Mineruæ, quia præſides habebantur Romani imperii (i), miniſtrabant in Capitolio epulones (k); ad quas inuitabantur dii, de quo Valerius Maximus (l): *Iouis epulo,* inquit, *ipſe in lectulum, Iuno & Minerua in ſellas ad cœnam inuitantur:* ab epulonibus vero, & aliis qui exinde epulares dicti, conſumebantur. Diales hæ epulæ dicebantur, & quæ in honorem Cereris, Cereales; vt diſtinguerentur a pontificiis, auguralibus & ſaliaribus, quæ ingreſſu noui ſacerdotii fiebant (m). Solennem alias epulandi menſe Decembri fuiſſe diem, ex Kalendario antiquo adparet, quo notatum: EPVLVM INDICTVM. Dicebatur hic Gellio (n) dies ſolennis, quo Ioui libaretur, atque ob id ſacrificium ſenatus in Capitolio epularetur: honeſtioribus multis ad id inuitatis. Hoc enim epulo alibi non, niſi in Capitolio puluinar ſuſcipi poterat (o). Sic etiam epulas ex antiqua Romuli inſtitutione diis fuiſſe adpoſitas commemorat Halicarnaſſenſis (p). Ab iſto epulo publico diuerſa erat cœna-

(f) *lib. VII p. m. 237.* (g) *ep. XCV.* (h) *Saturn. I c. XVI.* (i) Tacitus *Hiſt. IV c. LIII.* (k) Liuius *V c. LII.* (l) *lib. II c. I.* (m) Macrobius *Saturn. III c. XIII.* (n) *XII c. VIII.* (o) Liuius *c. l.* (p) *lib. II p. m. 93.*

tio Iouis, qui locus vrbis erat ſic dictus, in Auguſtali palatio, regione vrbis X, cuius & mentionem facit Capitolinus (q). Erat autem locus iſte publicus, quo laute cœnarent viri illuſtres, vti Plutarchus cœnationem Apollinis explicat (r). *τοῦτο γὰρ τις εἶχε τῶν πολυτελῶν οἴκων ὄνομα hoc enim nomen vnius ex ſplendidiſſimis domibus erat.* Aliud erat epulum, quod ludorum cauſſa inſtituebatur, quod ludorum ſacrificium epulare adpellat Cicero (ſ), Liuius vero epulum ludorum cauſſa (t). Ludi publici æque inter feſta referebantur. Legum enim conditores, inquit Seneca (u), Feſtos inſtituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publice vrgerentur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. Feriæ autem quas a feriendis victimis ſic dictas putat Feſtus ; in ſpecie ſic dictæ, erant vel publicæ, quæ ab vniuerſo populo Romano celebrabantur, vel priuatæ. Illæ diuidebantur ſecundum Macrobium in ſtatiuas, conceptiuas, imperatiuas & nundinas. Statiuas ferias definit Macrobius (x), quod ſint vniuerſi populi communes, certis & conſtitutis diebus ac menſibus, & in faſtis, ſtatis obſeruationibus adnotatæ, de quibus nunc ſpeciatim.*

FESTA CONSENTIVM

IOVIS ſolenne epulum erat menſe Nouembri, de quo Arnobius: (y) *Iouis epulum cras eſt, Iupiter enim cœnat, magnuque implendus eſt dapibus, iamdudum inedia geſtiens & anniuerſaria interiectione ieiunus. Vinalia* Ioui ſacra erant : ſed cum alia priora dicerentur, quæ

IX. Kl.

(q) *Pertinace c. XI.* (r) *Lucullo p. m. 519.* (ſ) *III de Orat. c. XIX.* (t) *XXXIII c. XLII.* (u) *de tranquillitate vitæ.* (x) *Saturn. I c. XVI.* (y) *lib. VII p. m. 238.*

IX Kl. Maii in Faſtis adnotata; alia altera, quæ XIV Kl. Septembris: (z) aliaque Iouis fuerint, Veneri alia; dubium fuit coortum, quænam huic, quæ illi ſacra. Quod ſi ſcriptores veteres euoluimus, ipſi inter ſe diſcrepant. Varro (a) quidem priora Vinalia Ioui adſignat, cum priorum menſium feſta recenſens, inquit: *Vinalia a vino. Hic dies Iouis non Veneris. Huius rei cura non leuis in Latio: nam aliquot locis vindemiæ primum a ſacerdotibus publice fiebant vt Romæ etiam nunc: nam Flamen dialis auſpicatur vindemiam & vt iuſſit vinum legere, agna Ioui facit: inter cuius exta caſa & porrecta flamen prorſus vinum legit. In Tuſculanis ſacris eſt, vinum ne vebatur in vrbem, antequam vinalia Kalentur.* Rationem videmus apud Feſtum: *Ioui* inquit, *vinum nouum antequam guſtarent, libabant, quod adpellabant calpar; hac ratione, vt reliquum quod in doliis & apothecis illis, vnde calpar depromebatur, remaneret, hoc libato, religione ſolueretur & vſibus humanis poſſit inſeruire.* De Vinalibus poſterioribus idem Varro ait: *vinalia ruſtica dicuntur ante diem duodecimum Kalendas Septembris: quod tum Veneri dedicata ædes, & horti eius tutelæ adſignantur; ac tum ſunt feriati olitores.* Feſtus autem poſteriora Vinalia Iouis diem feſtum dicit, ipſum dedicatione ædis Veneris alias inſignem, dum ait: *Ruſtica vinalia adpellantur menſe Auguſto, quarto decimo Kalendas Septembris. Iouis dies feſtus, quia Latini bellum gerentes aduerſus Mezentium omnis vini libationem ei deo dedicauerunt. eodem autem die Veneri templa ſunt conſecrata, alterum ad Circum maximum, alterum in luco Libitinenſi, quia in ipſius dei tutela ſunt horti.* Eandem originem adſcribit

 Oui-

(z) Plinius *XVIII c. XXIX*. (a) *lib. V de L. L. p. m. 33.*

Digitized by Google

Ouidius, accuratiſſimus alias faſtorum commentator, eademque hæc autumni Vinalia Ioui tribuit, dum canit: (b)

Venerat autumnus calcatis ſordidus vuis,
redduntur merito debita vina Ioui.
Dicta dies hinc eſt Vinalia, Iupiter illa
vindicat & feſtis gaudet ineſſe ſuis.

Iacobus Gutherius (c) eadem in hac ſcriptorum varietate rem acu tetigiſſe ſibi perſuadet, dum diem a feſto ſeparat, ex verbis Ouidii (d):

Cur igitur feſtum Veneris Vinalia dicant,
quæritis? & quare ſit Iouis iſta dies?

concludens, Veneris fuiſſe feſtum, Iouis vero diem, cui ſacra fierent. Sed præterquam quod contra morem hoc Romanorum, contra mentem etiam eſt Ouidii; qui vti & verba & ſermonis contextus docet, bina proponit Vinalia; hæc Veneris vocat feſtum, illa pro more poëtico, ſermone variato, diem Iouis, & clare innuit, priora menſis Aprilis Veneri; altera autumni, Ioui competere. Idus præterea omnes Ioui ſacræ, ideo ouis mactabatur ex eo Idulis dicta Feſto. In IVNONIS tutela omnium menſium Kalendæ erant: hinc Ouidius (e)

Vindicat Auſonias Iunonis cura Kalendas.

Kalendis Februarii vero feſtum erat dedicationis templi Iunonis Soſpitæ, de quo idem Ouidius: (f)

Principio menſis Phrygiæ contermina matri
ſoſpita delubris dicitur aucta nouis.

Iunonis Monetæ feſtum ob dedicatam ædem, Kalendis Iuniis

(b) *IV Faſt. v. 897.* (c) *de Vet. I Pontif. lib. III c. XV.*
(d) *IV Faſt. v. 875.* (e) *I Faſt. v. 56.* (f) *II Faſt. v. 55.*

Digitized by Google

Iuniis erat (g). Iunonis Caprotinæ feſtum erat (h) Nonis Iulii, quæ ipſæ Caprotinæ dictæ, *Iunoni* enim, inquit Macrobius, (i) *Caprotinæ, die illo liberæ pariter ancillæque ſacrificant ſub arbore caprifico, in memoriam benignæ virtutis, quæ in ancillarum animis pro conſeruatione publicæ dignitatis adparuit.* Factum inde ancillarum latius narrat, quod matronarum habitum induentes, vrbem & rempublicam Romanam e periculo, quod a finitimis imminebat, liberauerint atque ex caprifico, arbore ſignum contra hoſtes dederint; quos Romani repentina incurſione ſuperauerint, atque in eius memoriam ſacrificium annua ſolennitate celebrandum ſtatuerint, cui lac quod ex caprifico manat, propter memoriam facti iſtius adhibeatur. Licet alias inſtitutæ ſolennitatis haut tamen ſatis conuenientes, adferat Plutarchus (k). APOLLINI ludi ſcenici ſacri, qui vel cum omnibus feſtis coniuncti: peculiares autem in ſtatum diem ante diem III Nonas Quintilis ei vouit P. Licinius Varus, prætor vrbanus, lege a populo de eo lata. (l) DIANAE feſtum Idibus Auguſti celebratur, vti videmus apud Martialem: (m)

Maia Mercurium creaſtis idus,
Auguſtis redit idibus Diana.

& Auſonium: (n)

& medias Eidus Maii, Auguſtique recurſu
quas ſibi Mercurius quasque Diana dicat.

Huius

(g) Macrobius *Saturn. I c. XII.* (h) Varro *lib. V de L. L. p. m. 330.* (i) *Saturn. I c. XI.* (k) *Numa p. m. 60.* (l) Liuius *XXVII c. XXIII.* (m) *lib. XII ep. LXVII.* (n) *de feriis Romanis v. 5.*

Huius feſti cærimonias Ouidius (o) deſcribit, dum canit:

ſæpe potens voti frontem redimita coronis
fœmina lucentes portat ab vrbe faces:

& clarius Propertius: (p)

- - - - - ſed tibi me credere turba vetat:
cum videt accenſis deuotam currere tædis
in nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ.

Mulieres enim voti damnatæ ardentes faces ab vrbe in Aricinum nemus, antiqua religione Dianæ ſacrum, portabant. Venatores quoque accenſis facibus eo ſe conferebant, vti ex Gratio videmus; (q) atque canes ſuos ſenes, morbo ac ſcabie infectos, infulaque velatos, inſtrumentaque ſua venatoria Dianæ ſiſtebant. Hinc optime Statius: (r)

ipſa coronat
emeritos Diana canes, & ſpicula tergit:
& tutas ſinit eſſe feras.

Locum religionis optime deſcribit Strabo, (ſ) qui hæc quoque addit: perfugam ibi ſacerdotem conſtitui, qui ſacerdotem priorem ſua trucidauerit manu: quod ad intelligendum Suetonii (t) locum facit, qui de Caligula, quod Nemorenſi regi, quia permultos iam annos potiretur ſacerdotio, validiorem ſubornauerit aduerſarium. MERCVRII feſtum erat Idibus Maii, mercatoribus ſolenne, qui ſe de fonte Mercurii ad portam Capenam adſpergebant, lauri ramo immerſo. Totam rem exponit Ouidius, (u) dum canit:

Eſt

(o) *Faſt. III v. 269.* (p) *lib. II el. XXXII v. 8.* (q) *de venatione v. 484.* (r) *III ſylu. I v. 57.* (ſ) *lib. V p. m. 165.* (t) *Calig. c. XXXV.* (u) *V Faſt. v. 674.*

Eſt aqua Mercurii porta vicina Capenæ:
ſi iuuat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator & vrna
purus ſuffuſa, quam ferat, haurit aquam.
Vda fit hinc laurus: lauro ſparguntur ab vda
omnia quæ dominos ſunt habitura nouos.
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos:
& peragit ſolita fallere voce preces.
Ablue præteriti periuria temporis, inquit:
ablue præterita perfida verba fide,
Siue ego te feci teſtem falſoue citaui
non audituri numina vana Iouis:
ſiue deum prudens alium, diuamue fefelli:
abſtulerint celeres improba verba Noti.
Et pereant veniente die periuria nobis:
nec curent ſuperi, ſi qua locutus ero.
Da modo lucra mihi: da facto gaudia lucro:
& face vt emtori verba dediſſe iuuet.

Maii autem idibus hoc feſtum erat, quia eo die ædes ipſi dedicata, (x) vti & Ouidius clare demonſtrat: (y)

Templa tibi poſuere patres ſpectantia Circum
Idibus: ex illo eſt hæc tibi feſta dies.

Quinquatrus ſiue Quinquatria MINERVAE XIV Kl. Aprilis celebrabantur; non a quinque dierum numero, ſed quod poſt diem quintum Idus peragebantur, ita (z) adpellata. Vnicus ſic ab initio tantum erat dies, (a) poſt quinque facti; quare quaſi a quinario numero nomen adeptum hoc feſtum quidam voluere, ſed perperam. Rationem autem dierum docet Ouidius (b):

(x) Liuius *II c. XXI.* (y) *Faſt. V v. 670.* (z) Gellius *lib. II c. XXI.* (a) *lib. V de L. L. p. m. 33.* (b) *III Faſt. v. 809.*

Vna dies media eſt, & fiunt ſacra Mineruæ;
nomina quæ a iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro:
cauſſa quod eſt illa nata Minerua die.
Altera treſque ſuper raſa celebrantur arena:
enſibus exertis bellica læta dea eſt.

Primus quidem dies quia Mineruæ habebatur natalis, quem ſanguine fœdare nefas, abſque ludis; reliqui ludis publicis priuatiſue peragebantur. Ita enim Auguſtus ad Tiberium: (c) *nos mi Tiberi, Quinquatrus ſatis iucunde egimus. Luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Domitianus, teſte Suetonio, (d) ea quotannis in Albano monte inſtituit, atque iis venationes, ludos ſcenicos, oratorum & poetarum certamina exhibuit. Quo faciunt verba Iuuenalis, dum canit: (e)

profuit ergo nihil miſero, quod cominus vrſos
figebat Numidas, Albana nudus arena
venator:

& de poetarum certamine Statius (f):

lux mihi Troiana qualis ſub collibus Alba,
cum modo germanas arces modo Daca ſonantem
prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Feriæ & tum in ludis litterariis auctore Horatio, (g) & Mineruał pueri magiſtris ſuis offerebant (h). Quare Ouidius de quinquatribus agens, canit: (i)

nec vos turba feri cenſu fraudata magiſtri,
ſpernite: diſcipulos attrahit illa nouos.

&

(c) Suetonius *Aug. c. LXXI.* (d) *in vita c. IV.* (e) *ſat. IV v. 99.* (f) *ſylu. IV v. 65.* (g) *lib. II ep. II v. 197.* (h) Angelus Politianus *miſcell. c. XXI* Nic. Loenſis *epiphyll. lib. II c. XIII.* (i) *III Faſt. v. 829.*

& clarius adhuc Iuuenalis: (k)

eloquium ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis
incipit optare, & totis quinquatribus optat,
quisque adhuc vno partam colit aſſe Mineruam.

Hieronymus vocat (l) *munus Mineruale*. Munus enim erat atque donum gratuitum, non ſalarium, quæ menſtrua erant, & idibus perſoluebantur. Quare Horatius (m) de pueris ludi litterarii dicit *octonis referentes idibus æra*. Tertullianus diſcipuli ſtipem vocat (n), quam Mineruæ quoque ſi prima noui diſcipuli eſſet, dicabant. Sapientiæ dediti, medici, magiſtri litterarii, pictores & ſcriptores, lanam tractantes, fullones & ſimilis generis, Mineruæ hoc feſto ſacra faciebant, eamque ſibi propitiam adoptabant. Ita enim Ouidius (o):

Pallada nunc pueri, teneraque orate puellæ,
qui bene placârit Pallada: doctus erit.
Pallade placata, lanam mollire puellæ
diſcant: & plenas exonerare colos.
Illa etiam ſtantes radio percurrere telas
erudit, & rarum pectine denſat opus.
Hanc cole, qui maculas læſis de veſtibus aufers:
Hanc cole, velleribus quisquis abena paras.
Vos quoque Phœbea morbos qui pellitis arte:
munera de veſtris pauca referte deæ.
Nec vos turba feri cenſu fraudata magiſtri
ſpernite: diſcipulos attrahit illa nouos.
Quique moues cœlum, tabulamque coloribus vris:
quique facis docta mollia ſaxa manu.

 Mille

(k) *ſat. X v. 114.* (l) *ad cap. VI ep. ad Ephesios.* (m) *lib. I ſat. VI v. 72.* (n) *de idol. c. X.* (o) *III Faſt. v. 815.*

Mille Dea eſt operum: certa dea carminis illa eſt:
ſi mereor ſtudiis adſit amica meis.

Quintus huius feſti dies adpellabatur *Tubiluſtrium* ſecundum Varronem, (p) quia eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrabantur; de quo Ouidius: (q)

Summa dies e quinque tubas luſtrare canoras
admonet, & forti ſacrificare dea.

Ab ſimilitudine maiorum, *Quinquatrus minuſcula* dictæ Idus Iuniæ, quod tubicines tum feriati per vrbem vagabantur, & ad ædem Mineruæ conueniebant. Originem late deſcribit Liuius (r): *Tibicinum enim officium olim vt in ſacrificiis precinerent. hi cum a cenſoribus probiberentur in æde Iouis paſci, Tibur vno agmine abierunt, ſed dolo liberti cuiusdam ad epulas inuitati atque dum vino onuſti in plauſtra coniiciuntur atque Romam vehuntur, ita vt plauſtris in foro relictis plenos crapula eos lux opprimeret, in cuius memoriam hoc feſtum celebrabatur.* Mineruæ quoque epulum Septembri menſe Kalendarium indicat: Palladi vero in Auentino ſacrum fiebat XIV Kl. Iulii (ſ). MARTIS in honorem a matronis Kalendis Martii celebrabantur *matronalia;* ſic dicta a matronis, ob diremtum bellum Romanos inter ac Sabinos. Hinc Ouidius, (t) cum hanc cauſſam prius adlegaſſet;

Inde diem, primasque meas celebrare Kalendas
Oebaliæ matres non leue munus habent.

licet alias alii adlegent. Iisdem fœminæ dabant & accipie-

(p) *lib. V de L. L. p. m. 47.* (q) *II Faſt. v. 829.* (r) *lib. IX c. XXX* Valer. Maximus *lib. II c. V.* Plutarchus *qu. LV* Ouidius *VI Faſt. v. 651.* (ſ) Ouidius *VI Faſt. v. 727* (t) *III Faſt. v. 229.*

cipiebant ſtrenas atque apophoreta, vti viri Saturnalibus. (u) De quo & Tibullus: *(x)*

Martis Romani feſta venere Kalendæ;
exoriens noſtris hinc fuit annus auis.
Et vaga tunc certa diſcurrunt vndique pompa,
perque vias vrbis munera perque domos.

& Martialis: (y)

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
lux formoſior omnibus Kalendis;
qua mittunt mihi munus & puellæ
quinquageſima liba.

Ideoque matronæ ſeruis ſuis parabant cœnas ſicut Saturnalibus domini (z). Fœmineas inde Kalendas dixit Iuuenalis. *(a)* Eodem die fiebat *feſtum Saliorum* a Numa inſtitutum, quo per vrbem diſcurrebant Salii, circumferentes ancilia, Martis arma, & canentes Mamurium, vti feſti ſolennitatem deſcribit Halicarnaſſenſis, atque Ouidius (b). Per triduum agebatur hoc feſtum, per quod & epulæ ſaliares opipare parabantur; vnde Horatius (c):

nunc ſaliaribus
ornare puluinar deorum
tempus erat dapibus.

Hiſce diebus nubere vel aliud quidpiam inceptare, motis nec dum conditis, ſeu ad locum proprium reſtitutis anci-

(u) Suetonius *Veſpaſiano cap. XIX.* (x) *lib. III el. I v. 1.* (y) *X epigr. XXIV v. 1.* (z) Solinus *c. III.* (a) *ſat. IX v. 52.* (b) *lib. II p. m. 129. III Faſt. v. 259.* (c) *lib. I ode XXXVII.*

ancilibus, habebatur ominoſum (d). De quo & Ouidius (e):

Nubere ſi qua voles, quamuis properabitis ambo;
differ, habent parua commoda magna mora.
Arma mouent pugnam, pugna eſt aliena maritis,
condita cum fuerint aptius omen erit.

Sacrificium ludosque Marti vltori ob deditionem Phraatis regis IV Idus Maii inſtituit Auguſtus, (f) qui dein ſtato die fuere celebrati (g). Suntque ſine dubio, quos Suetonius (h) ludos vocat Martiales. Sic & Kalendis Iunii, Martis feſtum erat Gradiui, cui in ædilitate ſua templum centum columnis marmoreis ſuperpoſitum conſecrauit Sylla (i). *Equiria* quoque in honorem Martis a Romulo fuere inſtituta (k), ab equorum curſu alias dicta, cum iis in campo Martio, vel inundato Tiberi in Cœlio monte currerent (l). Bifariam in Kalendario ea notata reperimus. Prima III Kl. Martii, de quibus Ouidius (m):

iamque duæ reſtant noctes de menſe ſecundo,
Marsque citos iunctis curribus vrget equos.

Altera Equiria pridie Idus Martii celebrabantur, vt ex eodem diſcimus (n):

Sex vbi diſtuleris, totidem quoque deſeret ortus,
purpuream rapido qui vehit axe diem.
Altera gramineo ſpectabis Equiria campo,
quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.

Qui

(d) Suetonius *Ottone c. VIII.* Tacitus *Hiſt. I c. LXXXIX.*
(e) *III Faſt. v. 399.* (f) Dio *lib. LIV p. m. 526.* (g) Dio *lib. LVI p. m. 588.* (h) Claudio *cap. IV.* (i) Ouidius *VI Faſt. v. 191.* (k) Feſtus *hac voce.* (l) Varro *lib. V de L. L. p. m. 32.* (m) *II Faſt. v. 857.* (n) *III Faſt. v. 517.*

Qui tamen eiecta ſi forte tenebitur vnda.
Cœlius accipiet pulueruleutus equos.

Eidem Marti ſacræ quoque Idus Octobris, quibus equum, ipſum Octobrem dictum immolabant Romani: de quo Feſtus: *October equus*, inquit, *adpellatur, qui in campo Martio, menſe Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricum dexterior*; addit autem rationem, *quod equum hoſtiæ loco Marti bellico ſacrauerint veteres.* In huius ritus rationes inquirit Plutarchus (o), in eo tamen lapſus, quod Idibus Decembris hoc factum ſcribat. Kalendæ Aprilis VENERI ſacræ erant, mulieresque myrteis redimitæ coronis ſe & Veneris ſimulacrum lauabant, teſte Plutarcho (p). Huius rationem reddit Ouidius (q), dum canit:

Littore ſiccabat rorantes nuda capillos:
viderunt Satyri turba proterua deam.
Senſit, & oppoſita texit ſua tempora myrto.
tuta fuit facto: vosque referre iubet.

Vinalia eodem menſe Veneri ſacra, IX Kl. Maii, a Iouis vinalibus diſtincta, ſæpius tamen a ſcriptoribus confuſa. Pro curandis hortis, vitibusque hæc dicata, iisdemque multum vini effundebatur e templo Veneris. Cuius rei in cauſſas inquirit Plutarchus (r), quarum præcipua videtur, hoc ſigno monuiſſe veteres, feſtos dies ſobrie, non per ebrietatem debere agitari. Eodem quoque feſto meretrices Veneri Erycinæ ſacrificabant, de quo Ouidius (ſ):

Nomina vulgares Veneris celebrate puellæ,
multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.

Poſci-

(o) *quæſt. Rom. XCVI.* (p) *in Numa p. m. 72.* (q) *IV Faſt. v. 133.* (r) *qu. XLIV.* (ſ) *IV Faſt. v. 865.*

Poſcite thure dato formam, populique fauorem,
poſcite blanditias dignaque verba loco.

Tria hoc menſe tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, dieſque feſtos inquit Plinius (t), Robigalia, Floralia, Vinalia. Ludos Veneri Genetrici in memoriam ædis ſacræ, a Cæſare dicatæ conſules fecerunt, vti nos docet Dio; (u) quod, vti in Kalendario reperimus, V Kl. Octobris factum. *Neptunalia* feriæ NEPTVNI, decimo Kalendas Auguſti in Kalendario notata: quæ in caſis frondeis ad Tiberis ripam extructis, agebant. Aliæ Feriæ Neptuni Kl. Septembris notatæ, de quibus tamen nihil alias in hiſtoriis. Aliud III Kl. Auguſti Neptuno feſtum erat, Arcadibus *Hippocratia*, Romanis *Conſualia* dictum, a Conſo, quod tum feriæ publicæ ei deo, & in circo ad aram eius ab ſacerdotibus fiebant ludi, quibus virgines Sabinæ raptæ, ſecundum Varronem (x): quod idem confirmat Liuius (y), qui Conſualia, ludos Neptuni equeſtris prodit, illud ipſum feſtum, quo Sabinæ raptæ. Hoc autem die ara ſubterranea, ſita prope Circum Maximum, refoſſa terra, ſacrificiis igneis honorabatur & libaminibus, equorum etiam & quadrigarum committebantur certamina, vti videmus ex Halicarnaſſenſi (z). Eodem feſto apud Romanos ex more immunes erant equi & muli, qui & floribus coronabantur, (a) idque quia equeſtri Neptuno ſacrum (b). *Cerealia* ſacrum erat quod a ſolis matronis peragebatur annis ſingulis, V Idus Aprilis. Græ-

(t) *XVIII c. XXIX.* (u) *lib. XLIX p. m. 416.* (x) *lib. V de L. L. p. m. 34.* (y) *lib. I c. IX.* (z) *lib. II p. m. 100.* (a) *lib. I p. m. 26.* (b) Plutarchus *qu. XLVIII.*

Græca hæc ſacra ſecundum Ciceronem (c) & Feſtum, quæ ob inuentam Proſerpinam matronæ colebant. Quæ ſacra dum non eſſent matronæ, quæ facerent, propter cladem Cannenſem & frequentiam lugentium, inſtitutum eſt, ne amplius centum diebus lugeretur. Lugentibus enim hæc ſacra facere nefas (d). Fiebant luce obſcura, ſacerdotesque facibus diſcurrentes, curſu fanatico ſacra peragebant; a quibus velut ſanctiſſimis & impollutis impii ſceleratique amouebantur voce præconis, ita vt templum velut omni religione ſanctum alicuius criminis aut noxæ conſcio adire non liceret: quod ſi quis adiiſſet non initiatus, capite luebat: cuius exemplum præbet Liuius (e). De hoc Iuuenalis (f):

quis enim bonus, & face dignus
arcana, qualem Cereris vult eſſe ſacerdos.

& de ſe Phædra, apud Senecam (g):

non colere donis templa votiua libet;
non inter aras, Atthidum miſtam choris,
iactare tacitis conſcias ſacris faces.

Alii in Kalendario notantur Cereris ludi, in circo inſtituti, quibus peractis vulpes ſtipulis adligatæ accenſa flamma curſitabant, cuius rationem reddit Ouidius (h): dies autem vti ex lapide priſco diſcimus, erat XIII Kl. Maii (i). Alia erant ſacrificia anniuerſaria, quæ ſimul cum æde ſacra Cereri vouit A. Poſthumius dictator, bello cum latinis (k): dies autem quo celebrata non extat. *Vulcanalia* in honorem VVLCANI inſtituebantur

Fff XKl.

(c) *pro Balbo c. XXIV.* (d) Liuius *XXII c. LVI.* (e) Liuius *XXXI c. XIV.* (f) *ſat. XV v. 141.* (g) *Hippolyto v. 104.* (h) *III Faſt. v. 677.* (i) Gruterus *p. XXVI n. 9.* (k) Dionyſ. Halic. *lib. VI p. m. 354.*

X Kl. Septembris, quo die populus pro ſe in ignem animalia mittebat (l); idque pro auertendo vrbis incendio. Quod docet inſcriptio apud Gruterum (m);

CVI. HAEC. REGIO. SORTI. OBVENERIT. LITATVRVM. SE. SCIAT. ALIVSVE. QVIS. MAGISTRATVS. VOLCANALIBVS. X. KAL. SEPT. OMNIBVS. ANNIS. VITVLO. ROBIO. ET. VERRE.

Iis quoque lucubrare auſpicabantur eruditi (n). VESTAE, præterquam quod Kl. Martii in aris Veſtalibus nouos accenderent ignes Veſtales, de quo Ouidius (o):

adde quod arcana fieri nouus ignis in æde
dicitur; & vires flamma refecta capit.

Idibus quoque Iunii *Veſtalia* erant, in memoriam ſeruatæ contra Priapi inſidias pudicitiæ Veſtæ celebrata, quæ prolixe deſcribit Ouidius (p), atque Lactantius (q). Conuiuia enim ante focos agebantur (r):

ante focos olim ſcamnis conſidere longis
mos erat, & menſa credere adeſſe deos.
Nunc quoque cum fiunt antiqua ſacra Vacunæ,
ante Vacunales ſtantque ſedentque focos.

Virginibus Veſtalibus cibi mittebantur a ciuibus, qui Veſtæ libarentur: aſini floribus coronati atque monilibus ex pane ornati, per vrbem ducebantur, molisque ſerta imponebantur: de quibus Ouidius (ſ):

Venit in hos annos aliquid de more vetuſto,
fert miſſos, Veſta pura patella cibos.

Ecce

(l) Varro *lib. V de L. L p. m. 48.* (m) *p. LXI n. 3.* (n) Plinius *lib. III ep. V.* Muretus *Var. lect. lib. XVIII c. XIII.* (o) *III Faſt v. 143.* (p) *VI Faſt. v. 249.* (q) *l. c. XXI.* (r) *VI Faſt. v. 305.* (ſ) *VI Faſt. v. 309.*

Ecce coronatis panis dependet aſellis,
& velant ſcabras florea ſerta molas.

Iis quoque matronæ Romanæ nudis pedibus ad Veſtæ templum ibant, vti pergit Ouidius (t) :

Forte reuertebar feſtis Veſtalibus illac,
qua via Romano nunc noua iuncta foro eſt.
Huc pede matronam nudo deſcendere vidi,
obſtupui tacitus, ſuſtinuique gradum.

FESTA SELECTORVM.

IANO ſacræ erant Kalendæ Ianuariæ, quibus annum aperiebant, & ſacra faciebant Iano thure meroque (u), quod adpellabant Ianual, ſecundum Feſtum : eiusque ſtatuæ laureis nouis ornabantur veteribus abiectis, ſecundum Ouidium (x) :

Laurea Flaminibus, quæ toto perſtitit anno,
tollitur : & frondes ſunt in honore nouæ.

quod Kalendis Martiis primum, tum anni initio factum, poſt ad Ianuarias ductum. Faſtus erat dies, quo quisque quæ ſui officii, incoabat, ex quo de totius anni induſtria augurabantur. Rem late exponit Ouidius (y), vbi canit :

Poſtea mirabar, cur non ſine litibus eſſet
prima dies. Cauſſam percipe, Ianus ait.
Tempora commiſi naſcentia rebus agendis ;
totus ab auſpicio ne foret annus iners.
Quisque ſuas artes ob idem delibat agendo :
nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.

Sic legere, ſcribere, dicere, operari, quisque opus ſuum incoabant, quod dicebant *auſpicari* (z). De quo Columel-

(t) *VI Faſt. v. 395.* (u) Herodianus *lib. I c. XVI.* (x) *III Faſt. v. 137.* (y) *I Faſt. v. 165.* (z) Seneca *ep. LXXXIII.*

lumella (a); *per hos quoque dies abſtinent terrenis operibus religioſiores agricolæ: ita tamen vt ipſis Kalendis Ianuariis auſpicandi cauſſa omne genus operis inſtaurent.* Ita & cum magiſtratum iniiſſent, auſpicandi gratia munia ſua obibant (b). Amici ſibi inuicem fauſta quælibet adprecabantur, de quo Ouidius (c) ad Ianum:

at cur læta tuis dicuntur verba Kalendis?
& damus alterius accipimusque preces.

quæ dein proſpera verba vocat (d). Cautum enim erat inquit Plinius (e), apud Romanos, ne quod mali ominis verbum Kalendis Ianuariis efferretur; ſi quid enim ſiniſtro omine auditum eſſet, infelicem annum portendere putabatur, quod idem & priuatim diebus natalibus obſeruabant. Mittebant etiam munera, dulcia præſertim, boni ominis cauſſa: videlicet caricas, cariotides, mella atque id genus alia, vt a rebus dulcibus dulces anni dies auſpicarentur. De quo Martialis (f):

hoc linitur ſputo Iani caryota Kalendis,
quam fert cum paruo ſordidus aſſe cliens,

& alio loco (g):

aurea porrigitur Iani caryota Kalendis,
ſed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

Vocabatur munus hoc die miſſum *ſtrena*, a numero ſic dictum, vti vult Feſtus, *quo ſignificatur alterum tertiumque venturum ſimilis commodi; veluti Trenam prepoſita S littera, vt in loco & lite ſolebant antiqui, dicentes ſlocum, ſlitem.* Creſcente apud Romanos luxu, maiora dona

(a) Columella *de R. R. lib. XI c. II.* (b) Tacitus *ann. IV c. XXXVI.* (c) *I Faſt. v. 175.* (d) *de Ponto el. IV.* (e) *lib. XXVIII c. II.* (f) *lib. VIII ep. XXXIII. v. 11.* (g) *lib. XIII ep. XXVII v. 1.*

dona aurea atque argentea mitti ſolita, præcipue Imperatoribus, quod Auguſto factum ſcribit Suetonius (h). Tiberius autem ſtrenam a quibusdam oblatam non accepit, eaque de re edictum propoſuit (i). Caligula ſtrenas ſe recepturum iterum edixit (k). Claudius vero ſtrenarum oblationem ſub Auguſto & Caio vſitatam edicto alio ſuſtulit (l); quod ſub reliquis Imperatoribus immutatum. Ita & Symmachus (m) ad Theodoſium & Arcadium de ſtrenis agens, addit: *Sumite igitur, defenſores publicæ ſalutis, ſolenniter auro ducta munuſcula; non quia diuitiis metalli honore gaudetis, ſed vt noſtra deuotio felicis ſeculi teſtetur opulentiam.* Vocabatur ſequiori ætate aurum oblatitium, quia imperatori offerebatur, de quo integer titulus Codicis Theodoſiani. Nec tamen Kalendis ſolum Ianuariis, ſed & ſequentibus diebus ſtrenas ſæpe fuiſſe miſſas, teſtatur edictum Tiberii, quo prohibitum, ne ſtrenarum commercia vltra Kalendas Ianuarii exercerentur (n). Immo ipſe Tiberius ſtrenam a quibusdam oblatam plane non recepit (o). Hoc ipſo Kalendarum die Conſules aliique magiſtratus eundem ſolenni pompa inibant; vti ritum hunc optime deſcribit Ouidius (p), dum canit:

Cernis odoratis vt luceat ignibus æther,
Et tremulum ſumma ſpargit in æde iubar.
Veſtibus intactis Tarpeias itur ad arces:
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt,

Fff 3 *Iam-*

(h) *in vita Auguſti c. LVII.* (i) Dio *lib. LVII p. m. 613.* (k) Suetonius *Caligula c. XLII.* (l) Dio *lib. LX p. m. 668.* (m) *lib. X ep. XXVIII.* (n) Suetonius *in vita Tiberii c. XXXIV.* (o) Dio Caſſius *lib. LVII p. m. 613.* (p) *I Faſt. v. 75.*

Digitized by Google

Iamque noui praeunt faſces, noua purpura fulget,
& noua conſpicuum pondera ſentit ebur.
Colla rudes operum prabent ferienda iuuenci,
quos aluit campis berba Faliſca ſuis.

Eidem Iano dicata quoque a Numa Pompilio (q) erant *Agonalia*, ſiue dies agonales, *dicti ab agone, eo quod interrogatur a principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur*, ſecundum Varronem. (r) Agon? enim formula in ſacrificiis erat recepta, antequam immolarent. Aliam adpellationis rationem adducit Feſtus, dum ait: *Agonium dies adpellatur, quo rex boſtiam immolabat; boſtiam enim Agoniam vocabant. Agonium etiam putabant deum dici praſidentem rebus agendis, cuius feſta Agonalia dicebantur. Siue quia Agones dicebant montes, Agonia ſacrificia, qua fiebant in monte. Hinc Roma mons Quirinalis, Agonius & Collina porta Agonenſis.* Ouidius (ſ) alias adhuc adducit, atque vltimam facit: quod quibusdam agonia a Græcorum agonibus ſiue ludis dicta videantur. Solennitas in eo conſtabat, vt rex ſacrificulus in regia immolaret arietem; (t) & quidem prout adnotatum in Kalendario, ter in anno celebrata, V Idus Ianuarii, XII Kl. Iunii & III Idus Decembris. Quæ vltima etiam ſacrum Septimontiale ſiue Septimontium dicebantur, quod in ſeptem montibus dum fierent ſacra, auctore Feſto. Saturnalia menſis Decembris feſtum erat in honorem SATVRNI inſtitutum, XVI Kl. Ianuarii: quo reſpicit Martialis, (u) dum ait:

otia dum medius praſtat tibi parua December

Se-

(q) *Saturn. I c. IV.* (r) *lib. V de L. L. p. m. 32.* (ſ) *I Faſti v. 319.* (t) *lib. V de L. L. p. m. 32.* (u) *VII ep. XXVIII v. VII.*

Septembri autem menſe celebrabantur, quod eo die ædes illi dedicata, ſecundum Feſtum. Horum originem longe ante Romæ natalia refert Macrobius. (x) Liuius (y) tamen apud Romanos ea primum A. V. C. CCLVII inſtituta ſcribit, cum quo conſentit Dionyſius Halicarnaſſenſis (z). Feſtis his Saturni diebus inquit Alexander ab Alexandro, (a) ſeruos ingenuorum miniſteria occupare, pileos ſumere, & a liberis nullo diſcrimine differre, ſtipesque inuicem dare & munera, apophoreta dicta, miſſitare, ſeruatum eſt. Regna quoque ſortiri inter æquales, & tanquam reges imperitare, magiſtratus purpuram induere, (b) reliquos in veſte candida diem concelebrare; vti canit Martialis: (c)

ſynthesibus dum gaudet eques, dominusque Senatus,
dumque decent noſtrum pilea ſumta Iouem:
nec timet ædilem moto ſpectare fritillo.

Immo & domini ſeruos conuiuio ſolebant excipere, ſeruilia miniſteria ipſi obeuntes, a Græcis more ſumto (d). Qua de re belle Seneca: (e) *inſtituerunt*, inquit, *diem feſtum, non quo ſolum cum ſeruis domini veſcerentur, ſed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiſerunt, & domum puſillam rempublicam eſſe iudicauerunt.* Omnigena enim ſeruis hoc feſto licentia permittebatur, immo cuicunque libertas omnigena, vti deſcribit Martialis. (f) Quieſcebant ſcholæ, libere ludebant aleatores, immo quidquid placebat, licebat: quod ius luxuriæ publi-

(x) *Saturn. I c. IV.* (y) *lib. II c. XXI.* (z) *lib. VI ab initio.* (a) *gen. dier. lib. II c. XXI.* (b) Dio *lib. LX p. m. 677.* (c) *lib. XIV ep. I v. 1.* (d) Macrobius *Saturn. I c. VII.* (e) *ep. XLVII.* (f) *lib. XI ep. VI.*

Digitized by Google

publice datum adpellat Senecà. (g) Mittebant præterea ſibi inuicem munera, dicta apophoreta, quo præter àlia infinita fere loca, totus liber decimus tertius atque quartus Martialis facit. Ipſe Auguſtus talia diuidebat. (h) Sed cum multi occaſione Saturnaliorum per auaritiam à clientibus ambitioſe munera exigerent, idque onus tenuiores grauaret, Publicius Tribunus plebis legem tulit, vt nonniſi cerei ditioribus miſſitarentur. (i) Cereis autem vtebantur eo, quod Saturnum luminibus accenſis colerent. Atque ea omnia in memoriam regnorum Saturniorum. Adligatum quoque alias & compedibus vinctum Saturni ſimulacrum tunc ſoluebatur. (k) De ſingulis latius agit Statius, (l) & feſti leges tribus dialogis inter Saturnum & ſacerdotem præſcribit Lucianus. Bellum hiſce Saturnalibus ſuſcipere nefas habebatur, pœnasque ab nocente iisdem diebus exigere piaculare erat. (m) Per vnicum tantum diem priſcis temporibus celebrabantur & quidem A. D. XIV Kl. Ianuarias: ſed poſtquam C Cæſar huic menſi duos addidit dies, ſexto decimo cœpta celebrari: qua re factum eſt, vt cum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, nonnullique a C. Cæſare inſerto die, & alii vetere more celebrarent, plures dies in Saturnalia numerarentur. (n) Sic Saturnalia ſecunda habet priſcus lapis apud Gruterum, (o) & Cicero; (p) Saturnalia tertia reperiuntur apud eundem. (q) Sub Imperatoribus dein ad ſeptem vsque

(g) *ep. XVIII.* (h) Suetonius *in vita c. LXXV.* (i) Macrobius *Saturn. I c. VII.* (k) Macrobius *Saturn. I c. VIII.* (l) *lib. I ſylu. VI.* (m) Macrobius *Saturn. I c. VIII.* (n) *Saturn. I c. X.* (o) *p. CXXIV n 1.* (p) *XIII ad Atticum ep. vlt.* (q) *V ad Fam. ep. XX.*

vsque dies extenſa (r) ita vt ipſa Saturnalia per quinque tantum durarent dies: duorum autem dierum appendix Sigillaria dicta, a ſigillis, quæ arte fictili parata, pro ſe & ſuis piaculum pro Dite Saturno faciebant, ſic adpellata, vti innuit Macrobius. (ſ) Hiſce quoque mittere olim ſoliti munera, ipſa dicta ſigillaria. (t) Immo locus erat, vbi ſigilla fictilia pro pueris, dein quoque ſumtuoſa, libri etiam venales habebantur, dictus Sigillaria. (u) Fuiſſe autem conuentum mercatus cauſſa, quales noſtræ nundinæ, ex Suetonii Nerone adparet. (x) *Feralia* IX Kl. Martii in Kalendario notata, atque ab inferis & ferendo ſic dicta, quod ferant tum epulas ad ſepulcrum, quibus ius ibi parentare. (y) PLVTONI & diis inferis fiebant, vt manibus iuſta perſoluerentur. (z) Horum originem ab Aenea repetit Ouidius; (a) apud Romanos vero a Numa inſtituta ſcribit Macrobius (b). Hoc feſto nepotes mortuis auis perſoluebant parentationes; mortuis enim Februario menſe parentari voluere Romani, inquit Cicero (c). Mortuorum autem manes ita placabant, vt ad eorum ſepulcra epulas deferrent, quas dein in pauperum vſus erogabant. Ita enim Ouidius (d):

eſt honor & tumulis animas placare paternas:
paruaque in extructas munera ferre pyras.

 Par-

(r) *Saturn. I c. X.* (ſ) *I Saturn. c. XIII.* (t) Suetonius *Claudio c. V.* Spartianus *Adriano c. XVII.* (u) Gellius *lib. II c. III.* Seneca *ep. XII.* Suetonius *Claudio c. XVI.* (x) *c. XXVIII.* Spartianus *Caracalla cap. I.* (y) Varro *de L. L. lib. V p. m. 32.* Feſtus *voce Feralia.* (z) Macrobius *Saturn. I c. XIII.* (a) *II Faſt. v. 543.* (b) *c. l.* (c) *II de LL c. XXI.* (d) *II Faſt. v. 532.*

Parua petunt manes. pietas pro diuite grata eſt
munere: non auidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
& ſparſa fruges: paruaque mica ſalis.
Inque mero mollita Ceres, violaque ſoluta:
hac habeat media teſta relicta via.
nec maiora veto: ſed & his placabilis umbra eſt:
adde preces, poſitis & ſua verba focis.

Hæ epulæ dictæ Silicernium, vti ex Varrone probat Nonius (e); idque eo, quod ſupra nudum ſilicem ponerentur, auctore Seruio (f). Hoc feſto die templa omnia erant clauſa, nec ſacra vlla peragebantur; connubia item erant inauſpicata, vſque ad finem menſis, quippe per vndecim dies durabant. Quod late exponit Ouidius (g), dum canit:

dum tamen hæc fient, vidua ceſſate puella:
expectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
comat virgineas haſta recurua comas.
Conde tuas Hymenee faces, & ab ignibus atris
aufer: habent alias mœſta ſepulcra faces.
Dii quoque templorum foribus celentur opertis:
thure vacent aræ: ſtentque ſine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa ſepulcris
errant: nunc poſito paſcitur vmbra cibo.
Nec tamen hoc vltra, quam cum de menſe ſuperſunt
luciferi, quot habent carmina noſtra pedes.
Hanc, quia iuſta ferunt, dixere Feralia lucem:
vltima placandis Manibus illa dies.

Libe-

(e) *cap. I n. 235.* (f) *ad Aeneid. V v. 92.* (g) *Faſt. II v. 549.*

Liberalia XV Kl. Aprilis adnotata, vti numerat Ouidius (h):

tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho,
Bacche faue vati, tum tua feſta cano.

A pontificibus agonium Martiale adpellata (i). Liberalia autem dicebantur a Libero ſiue BACCHO, qui vini habebatur inuentor (k). Varro (l) a libertate ſic dicta putat Solennitas in eo conſtabat, vt per totum oppidum ſederent ſacerdotes Liberi ; hedera coronatæ anus cum libis & foculo pro emtore ſacrificarent, vti loquitur Varro (m): ſeu quod idem eſt, celebrabant Bacchum extra templum in focis domeſticis. Vilis enim anus hedera coronata, liba calentia, quibus mel erat infuſum, Baccho offerebat, inde illa ſecum ducens fœminarum choros & greges, populum inuitabat ad liba guſtanda, vti late deſcribit Ouidius (n). Hoc ipſo quoque feſto pueri, poſita prætexta, ſumebant togam (o). Peregrinum quidem, Romanis tamen quandoque celebratum feſtum erat, *Baccbanalia*, quorum celebritatem exemplo Meſſalinæ optime deſcribit Tacitus (p): *adulto*, ait, *autumno, ſimulacrum vindemiæ per domum celebrabat : vrgeri prela, fluere lacus & fœminæ pellibus accinctæ adſultabant vt ſacrificantes vel inſanientes Bacchæ: ipſa crine fluxo, thyrſum quatiens iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cotburnos, iacere caput, ſtrepente circum procaci choro. Adhibebantur quoque tibiæ, cymbala ex ære, & tympana.* Feſtum erat obſcœnum ſtupris, adulteriis & cæ-

(h) *III Faſt, v. 713.* (i) Macrobius *Saturn. I c. IV.* Varro *lib. V p. m. 46.* (k) Feſtus *hac voce.* (l) *c. l.* (m) *c. l.* (n) *III Faſt. v. 766.* (o) *III Faſt. v. 771.* (p) *Ann. XI c. XXXI.*

& cædibus clarum ; cuius originem & generalem prohibitionem late deſcribit Liuius (q), qui ſacra hæc nocturna fuiſſe & in luco Similæ inſtitui ſolita docet (r). Telluris ſeu VESTAE PRISCAE feſta erant varia. Primum VIII Kl. Septembris, *Opiconſiua* dictum, quod ideo actum, ſcribit Varro (ſ), vt eo præter virgines Veſtales & ſacerdotem publicum introeat nemo : is cum eat, ſuffibulum haut habeat. Ipſa autem Opis dicta quoque conſiua, a qua hoc feſtum (t). Aliud Bonæ Deæ ſacrum Kalendis Maii celebratum, ob dedicatum eodem die in Auentino monte, a Veſtali templum ; de quo Ouidius (u) :

dedicat hoc veteris Clauſorum nominis hares,
virgineo nullum corpore paſſa virum.
Liuia reſtituit.

Feſtum hoc ſecundum Ciceronem (x) fiebat per virgines Veſtales, pro populo Romano, in ea domo, quæ eſt in imperio, incredibili cærimonia, ei deæ, cuius ne nomen quidem ſcire fas eſt. Fiebat quippe in domo pontificis, conſulis (y) & prætoris, (z) illius cuius illo anno menſeue regimen : ſiue per eius coniugem, ſiue per matrem familias aliam caſtam, (a) cum virginibus Veſtæ, expulſo omni maſculo, ipſo etiam patrefamilias (b). Et quia non niſi caſtæ ingrediebantur fœminæ, myrtum quo-

(r) *c. XII.* plura vide apud Blondum Flauium *de Roma triumphante lib. II p. m. 37.* & Auguſtinum *de Ciuitate Dei lib. VII c. XXI.* (ſ) *lib V de L. L. p. m. 34.* (t) Feſtus *voce opima ſpolia.* (u) *V Faſt. v. 154.* (x) *de haruſp. reſp. c. XVII.* (y) Plutarchus *Cicerone p. m. 870.* (z) Plutarchus *Caſare p. m. 711.* (a) Plutarchus *Cicerone p. m. 870.* (b) Plutarchus *Caſare p. m. 711.*

Digitized by Google

quoque abominabantur, Veneri ſacram. (c) Domus ornabatur ramis pampineis; maximaque ſacrorum pars nocte, ſono & cantibus peragebatur. (d) Canes tunc bonæ Deæ immolabantur, & ſus prægnans: (e) vinum quoque ſub lactis nomine libabatur, & vas in quo vinum inditum, nominabatur mellatium (f). Quod pro populo ſacrificium dicit Seneca, (g) ὑπὲρ τοῦ δήμου Plutarchus, Damium adpellat Feſtus: idque a contrario dictum putat, quod minime eſſet δημόσιον quia fiebat in operto. Fœminæ illi ſupplicantes probris & maledictis deam inceſſebant, neminem optantes bonum inueniri, qui domi naſceretur (h). De his nihil certi proditum, antequam feſto eodem P. Clodius Cæſaris vxori ſtuprum vel intulit, vti vult Seneca (i), vel ſaltim inferre tentauit, ſecundum Plutarchum (k). Tertia poſt Saturnalia die, IV Kl. Ianuarii, erant *Opalia*, feriæ Opis (l), quibus ſedentes deæ vota faciebant, terramque de induſtria tangebant (m). Aliud ab hoc *Lauatio erat matris deûm* VI Kl. Aprilis, quam pompis celebrari ſolennibus, & carpentum, quo vehitur ſimulacrum, Almonis vndis ablui tradit Ammianus Marcellinus (n). Aliquot dies ſeſe ſubſequentes ſacris matris deûm erant dicati; & quidem Kalendarium vetus Lambecii, menſe Martio ſex adnotat dies.

(c) Plutarchus *quæſt. Rom. XX.* Macrobius *I Saturn. XII.* (d) Plutarchus *Cæſare p. m. 711.* (e) Macrobius *c. l.* (f) Macrobius *c. l.* (g) *ep. XCVII.* Cicero *c. l.* Iuuenalis *ſat. IX v. 117.* (h) Plutarchus *quæſt. Rom. LI.* (i) *ep. XCVII* Suetonius *Cæſare c. VI & LXXIV.* Cicero *oratione pro Milone c. V.* (k) *in Cæſare c. l.* (l) Varro *de L. L lib. V p. m. 39.* (m) Macrobius *Saturn. I c. X.* (n) *lib. XXIII p. m. 241.*

XII Kl. Aprilis	*Arbor intrat*
X	*Tubiluſtrium*
IX	*Sanguen*
VIII	*Hilaria*
VII	*Requietio*
VI	*Lauatio*

Clarius hæc explicat Iulianus in oratione, quam in deorum matrem compoſuit (o), dum ait: Τέμνεται γὰρ φασὶ τὸ ἱερὸν δένδρον καθ' ἣν ἡμέραν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ἰσημερινῆς ἁψῖδος ἔρχεται· εἶθ' ἑξῆς περισαλπισμὸς παραλαμβάνεται, τῇ τρίτῃ δὲ τέμνεται τὸ ἱερὸν καὶ ἀπόρρητον θέρος τοῦ θεοῦ γάλλου· ἐπὶ τούτοις ἱλάρια φασὶ καὶ ἑορταί; *ſacram arborem ſuccidi illo ipſo die ferunt, quo ſol ſupremam æquinoctiorum apſidem attigit: altero die tubarum clangore perſtrepunt: tertio, ſacra & arcana dei Galli meſſis putatur. Secundum hæc, vt aiunt, Hilaria feſtique dies ſuccedunt.* Vndecimo enim Kalendas Aprilis, quo primum die ſol æquinoctialem attingit circulum, pinus ſuccidebatur, & in matris Deûm ſacrarium inferebatur, de quo Arnobius (p): *quid enim ſibi vult*, ait, *illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in deûm matris intromittitis ſanctuarium.* Poſtridie tubiluſtrium, dies erat, tubis, quarum ad ſacra vſus, luſtrandis deſtinatus, quod Iulianus περισαλπισμὸν vocat. Sanguinis dicebatur (q) dies IX. Kl. Aprilis, quo archigallus ſanguinem impurum lacertos etiam caſtrando libabat (r). Ad octauum Kalendas Aprilis celebrabatur lætitiæ exordium, quem diem Hilaria adpellabant (ſ), quo primum tempore ſol diem longiorem nocte proten-

(o) *p. m. 168.* (p) *lib. V p. m. 167.* (q) Trebellius Pollio *in vita Claudii c. IV* Tertullianus *in carmine ad Senatorem conuerſ. cap. I v. 29.* (r) Tertullianus *Apologetico c. XXV.* (ſ) Macrobius *Saturn. I c. XXI.*

Digitized by Google

tendit. VII Kl. requiem adpellabant, VI vero Lauatio dicebatur matris deûm, quæ pompis celebrabatur annalibus. Pompa autem hæc erat, vt eo die carpentum, quo vehitur ſimulacrum, Almonis vndis abluatur, licet & ipſum ſimulacrum Almonis vnda ablui ſolitum tradat Ouidius (t), dum canit:

eſt locus in Tiberim qua lubricus influit Almo,
& magno nomen perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veſte ſacerdos,
Almonis dominam ſacraque lauit aqua.

Ipſos autem ſolennes ritus optime deſcribit Prudentius (u) ſequentibus:

Nudari plantas ante carpentum ſcio
proceres togatos matris Idaeæ ſacris,
Lapis nigellus euehendus eſſedo,
muliebris oris clauſus argento ſedet:
quem dum ad lauacrum praeundo ducitis
pedes remotis atterentes calceis
Almonis vſque peruenitis riuulum

Nudis enim pedibus ſimulacrum matris Idææ in eſſedo vectum antecedebant proceres, quod dein vndis, vbi ad Almonem fluuium venerant, qui ad portam Capenam erat, abluebatur. Plures ritus addit Halicarnaſſenſis (x). Huic enim deæ Duces ſeu proceres Romano ritu victimas cædere & ludos addere ait; eius vero ſacerdotio fungi dicit Phrygii generis virum & mulierem, qui ſimulacrum deæ per vrbem circumferebant, ſtipem Matri colligentes & pectora plangentes, proſequentibus cum matroo carmine tibiis & tympanorum pulſu. Matroum

(t) *IV Faſt. v. 337.* (u) *hymno X v. 154.* (x) *lib. II p. m. 91.*

troum autem carmen nullum videtur aliud, quam in honorem eius, quæ mater deûm dicebatur, confectum. Non autem caſtum hocce fuiſſe ex eo patet, quod Auguſtinus obſcœna inter hæc cantari ſolita tradat (y).

FESTA INDIGETVM.

HERCVLIS ſacrum antiquiſſimum, quod Græco ritu primus fecit Romulus, in eo loco, quo abducti a Caco paſtore oues, quos Hercules, Geryone interemto eo abegerat (z). Sacrum fiebat boue eximia, capta de grege, adhibitis ad miniſterium Potitiis atque Pinariis, quos ſacro præfecit (a). Huius feſti ſolennitatem quoque deſcribit Virgilius, (b) qui præter ſacra in aris facta, etiam hæc addit:

populeis adſunt euincti tempora ramis.
Hic iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes
Herculeas & facta ferunt:

de die vero nihil extat. CASTORIS & POLLVCIS feſtum VI Kl. Februarii Kalendarium adnotat. Cum enim fratres iſti gemini bello latino ad Numicum amnem equorum ſudorem abſtergere viſi eſſent, moxque e conſpectu hominum ſe eripuiſſent, tanquam dii proprii anniuerſariis ſacris coli cœpere. De quo Ouidius (c):

Fratribus illa dies, fratres de gente deorum
iuxta Iuturnæ compoſuere lacus.

Et cum eodem latino bello Romani victoriam adepti, quod auxiliis gemellorum factum putabant, eius cauſſa quotannis per proceres equeſtris ordinis viros Idibus Quin-

(y) *II de C. D. c. IV.* (z) Liuius *I c. VII.* (a) Halic. *lib. I p. m. 91.* (b) *VIII Aeneid. v. 286.* (c) *I Faſt. circa finem.*

Quintilis, qua die hæc victoria contigerat, ſacrificium factum, & poſt ſacrificium tranſuectio equitum eorum, qui equos habebant ex publico, qui per tribus ſuas & centurias diſtincti, ordine in equis vehebantur omnes, quaſi e pugna redeuntes, coronati fronde oleagina, & palmatis e purpura togis amicti, initio pompæ facto a Martis æde, quæ extra vrbem ſita, tum per vrbem, Caſtorum quoque ædem tranſeuntes, fortitudinis præmia quæ a ducibus acceperant, quisque præferens, narrante ita Halicarnaſſenſi (d); addit auctor de viris illuſtribus (e) in Capitolium demum tranſiiſſe, a quo etiam atque Tito Liuio (f) diſcimus, tranſuectionem hancce a Q Fabio Maximo fuiſſe inſtitutam. AESCVLAPIO & Ioui Kalendis Ianuarii in inſula Tiberina templa fuere dedicata, de quo Ouidius (g):

Iupiter in parte eſt, cepit locus vnus vtrumque
iunctaque ſunt magno templa nepotis auo

Quirinalia XIII Kl. Martii ſacra erant, Romulo dicata, vti canit Ouidius (h):

Proxima lux vacua eſt, at tertia dicta Quirino,
qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.

Eadem quoque ferias ſtultorum dicta ait Feſtus, idque ideo, quod quidam, qui ſacrorum Fornacalium ſacra Romæ ignorauerant, eo potiſſimum rem diuinam facerent. *Vortumnalia* a Vortumno inquit Varro (i), cuius feriæ Octobri menſe. *Portumnalia* in Portumni honorem, menſe Auguſto facta, quod ipſi eo die ædes in por-

(d) *lib. VI p. m. 351.* (e) *cap. XXXII.* (f) *lib. IX extremo.* (g) *I Faſt. v. 295.* (h) *II Faſt. v. 475.* (i) *lib. V p. m. 34.*

Digitized by Google

portu Tiberino facta, & feriæ inſtitutæ, ſecundum Varronem (k).

FESTA VIRTVTVM

Fortunæ publicæ feſtum erat VIII Kl Iunii, ob templum eo die dicatum, de quo Ouidius (l):

nec te prætereo populi fortuna potentis
publica, cui templum luce ſequente datum eſt.

Aliud erat VIII Idus Iunii, eodem, quo matralia die, vti canit Ouidius (m):

lux eadem fortuna tua eſt.

In cuius templo ſimulacrum erat Seruii Tullii, toga obtectum, de cuius ratione late agit idem. *Fortis Fortunæ* feſtum VIII Kl. Iulii celebrabatur: a Seruio Tullio ſic adpellatus dies, quod is fanum Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra vrbem dedicarit, Iunio menſe. Ritum deſcribit Ouidius (n):

Ite deam læti fortem celebrate Quirites,
in Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lintres,
multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia qui poſuit, de plebe fuiſſe
fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.
Conuenit & ſeruis, ſerua quia Tullius ortus,
conſtituit dubiæ templa propinqua deæ.

Plebeii enim homines & qui arte aliqua viuebant, conuiuia ſuper Tiberim inſtituebant, & varia ſolennitate diem concelebrabant. *Fortunæ muliebris* feſtum primum Ka-

(k) *lib. V p. m. 33.* (l) *V Faſt. v. 729.* (m) *VI Faſt. v. 569.* (n) *VI Faſt. v. 775.*

Kalendis Decembris celebratum, poſt in pridie Nonas Quintilis translat um, quo die eius ædes a Proculo Virginio fuit dedicata (o). *Virili* vero *fortunæ* ſacrificium thure fiebat Kl. Aprilis, quo virgines viro maturæ in templum ducebantur, & ibi depoſitis veſtibus, corporis vitia detegebant, fore ſperantes vt ea fortunæ beneficio viros laterent. De quo Ouidius (p):

Diſcite nunc quare fortunæ thura virili
detis eo, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus poſito velamine cunctas,
& vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc, celetque viros, Fortuna virilis
præſtat, & hoc paruo thure rogata facit.

Fortunæ *huiusque diei* feſtum III Kl. Auguſti in Kalendario adnotatum videmus, quæ quia templum proprium, ſacra quoque habuit ſingularia. VICTORIAE feſtum ante Romam conditam inſtituerunt Arcades, quod ſacrum anniuerſarium poſt ſeruarunt Romani (q); & per ludos Victoriæ Kl. Nouembris in Kalendario priſco deſignatum putem. Alio modo in Kalendario ad V Kl. Septembris notatum reperimus. HOC DIE ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDICATA EST. Quod ab Auguſto factum, imaginem victoriæ in curia Iulia, confecto bello Aegyptiaco conſecrante (r). *Pacalia* a. d. III Kl. Februarii notant Kalendaria, quo die ſacra fiebant PACI, vti & canit Ouidius (ſ):

ipſum nos carmen deduxit pacis ad aram
hæc erit a menſis fine ſecunda dies

Hhh 2 *Con-*

(o) *Halic. lib. VIII p. m. 525.* (p) *IV Faſt. v. 143.* (q) *Halic. lib. I p. m. 26.* (r) Dio *lib. LI p. m. 459.* (ſ) *I Faſt. circa finem.*

Concordiæ feſtum XVII Kl. Februarii celebrabatur, quod illo die ædes eidem vota, de quo Ouidius (t):

nunc bene proſpicies Latiam Concordia turbam,
nunc te ſacratæ conſtituere manus.
Furius antiquus populi ſuperator Hetruſci
vouerat, & voti ſoluerat ille fidem.

MENTI in Capitolio ædes dicata & ſacra facta VI Idus Iunii, vti canit Ouidius (u):

adſpicit inſtantes mediis ſex lucibus Idus
illa dies, quæ ſunt vota ſoluta deæ.

Quod bello Punico II vti ſupra diximus, primum factum.

FESTA RVSTICORVM

Lupercalia PANI feſtus erat dies, XV Kl Martii, quorum originem ad Romulum plerumque referunt (x), vel Euandrum (y). Ritum deſcribit Plutarchus. Iugulabant enim capras indeque nobilibus duobus adoleſcentibus adductis, alii gladio cruento tingebant frontem, alii ſtatim imbuta lacte lana detergebant eam: deterſa ridere adoleſcentes oportet. Pellibus autem, capris & canibus quos etiam iugulabant, detractis, pudenda tegebant, reliqua nudi, curſitantes per vrbem, luperci dicti, obuios quosque flagro & ferula percutiebant: ſteriles inprimis mulieres eorum percuſſionem expetebant, quo eo facilius conciperent: quæ & late narrat Ouidius (z) *Faunalia* bis in anno celebrata, primum idibus Februarii, de quo Ouidius (a):

Idi-

(t) *I Faſt. v. 633.* (u) *VI Faſt. v. 246.* (x) Valerius Maximus *lib. II c. II n. 9.* (y) Plutarchus *in Romulo p. m. 31.* Dionyſius Halicarn. *lib. I p. m. 67.* Liuius *I c. V.* (z) *II Faſt. v. 267.* (a) *II Faſt. v. 193.*

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni,
hic vbi diſcretas inſula rumpit aquas.

Eidem Fauno hoc die in luco agnam immolabant ſiue hœdum ( ). Alterum eius feſtum erat Nonis Decembris, cuius ſolennitatem deſcribit Horatius (c):

Si tener pleno cadit hœdus anno,
larga nec deſunt Veneris ſodali
vina cratera, vetus ara multo
fumat odore.
Ludit herboſo pecus omne campo,
cum tibi nonæ redeunt Decembres:
Feſtus in pratis vacat otioſo
cum boue pagus.
Inter audaces lupus errat agnos:
ſpargit agreſtes tibi ſilua frondes,
gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor
ter pede terram.

Terminalia in X Kl. Martii incidebant, quæ Varro (d) inde dicta putat, quod is dies anni extremus conſtitutus. Cum enim intercalabatur, poſteriores dies menſi demebantur. Feſtus vero a Termino deo deriuat, cui hoc die fiebant ſacra. Originem a Numa ducit Halicarnaſſenſis (e), aliique. Cum enim vnumquemque iusſiſſet Numa agrum ſuum circumſcribere, ac in finibus ſtatuere lapides Ioui Terminali, eos ſacros eſſe voluit, iuſſitque vt quotannis ſtato die res diuina eo loco in paganorum cœtu fieret, ſacrato inprimis nobili feſto in honorem deorum, qui terminis tutelares præſident. Id Romani vocabant Terminalia. His autem animal non ma-

(b) *I. Carm. od. IV.* (c) *III Carm. od. XVIII. v. 5.* (d) *lib. V p. m. 32.* (e) *lib. II p. m. 133.*

& cædibus clarum ; cuius originem & generalem prohibitionem late deſcribit Liuius (q), qui ſacra hæc nocturna fuiſſe & in luco Similæ inſtitui ſolita docet (r). Telluris ſeu VESTAE PRISCAE feſta erant varia. Primum VIII Kl. Septembris, *Opiconſua* dictum, quod ideo actum, ſcribit Varro (ſ), vt eo præter virgines Veſtales & ſacerdotem publicum introeat nemo : is cum eat, ſuffibulum haut habeat. Ipſa autem Opis dicta quoque conſiua, a qua hoc feſtum (t). Aliud Bonæ Deæ ſacrum Kalendis Maii celebratum, ob dedicatum eodem die in Auentino monte, a Veſtali templum ; de quo Ouidius (u) :

dedicat hoc veteris Clauſorum nominis heres,
virgineo nullum corpore paſſa virum.
Liuia reſtituit.

Feſtum hoc ſecundum Ciceronem (x) fiebat per virgines Veſtales, pro populo Romano, in ea domo, quæ eſt in imperio, incredibili cærimonia, ei deæ, cuius ne nomen quidem ſcire fas eſt. Fiebat quippe in domo pontificis, conſulis (y) & prætoris, (z) illius cuius illo anno menſeue regimen : ſiue per eius coniugem, ſiue per matrem familias aliam caſtam, (a) cum virginibus Veſtæ, expulſo omni maſculo, ipſo etiam patrefamilias (b). Et quia non niſi caſtæ ingrediebantur fœminæ, myrtum quo-

(r) *c. XII.* plura vide apud Blondum Flauium *de Roma triumphante lib. II p. m. 37.* & Auguſtinum *de Ciuitate Dei lib. VII c. XXI.* (ſ) *lib V de L. L. p. m. 34.* (t) Feſtus *voce opima ſpolia.* (u) *V Faſt. v. 154.* (x) *de haruſp. reſp. c. XVII.* (y) Plutarchus *Cicerone p. m* (z) Plutarchus *Cæſare p. m. 711.* (a) Plut... *... nne p. m. 870.* (b) Plutarchus *Cæſar...*

quoque abominabantur, Veneri ſacram. (c) Domus ornabatur ramis pampineis; maximaque ſacrorum pars nocte, ſono & cantibus peragebatur. (d) Canes tunc bonæ Deæ immolabantur, & ſus prægnans: (e) vinum quoque ſub lactis nomine libabatur, & vas in quo vinum inditum, nominabatur mellatium (f). Quod pro populo ſacrificium dicit Seneca, (g) ὑπὲρ τοῦ δήμου Plutarchus, Damium adpellat Feſtus: idque a contrario dictum putat, quod minime eſſet δημόσιον quia fiebat in operto. Fœminæ illi ſupplicantes probris & maledictis deam inceſſebant, neminem optantes bonum inueniri, qui domi naſceretur (h). De his nihil certi proditum, ante quam feſto eodem P. Clodius Cæſaris vxori ſtuprum vel intulit, vti vult Seneca (i), vel ſaltim inferre tentauit, ſecundum Plutarchum (k). Tertia poſt Saturnalia die, IV Kl. Ianuarii, erant *Opalia*, feriæ Opis (l), quibus ſedentes deæ vota faciebant, terramque de induſtria tangebant (m). Aliud ab hoc *Lauatio erat matris deûm* VI Kl. Aprilis, quam pompis celebrari ſolennibus, & carpentum, quo vehitur ſimulacrum, Almonis vndis ablui tradit Ammianus Marcellinus (n). Aliquot dies ſeſe ſubſequentes ſacris matris deûm erant dicati; & quidem Kalendarium vetus Lambecii, menſe Martio ſex adnotat dies.

(c) Plutarchus *quæſt. Rom. XX.* Macrobius *I Saturn. XII.* (d) Plutarchus *Cæſare p. m. 711.* (e) Macrobius *c. l.* (f) Macrobius *c. l.* (g) *ep. XCVII.* Cicero *c. l.* Iuuenalis *ſat. IX v. 117.* (h) Plutarchus *quæſt. Rom. LI.* (i) *ep. XCVII* Sueto[illegible] *Cæſare c. VI & LXXIV.* Cicero oratione pro [illegible] (k) *in Cæſare c. l.* (l) Varro [illegible] (m) Macrobius *Saturn. I c. X.*

XII Kl. Aprilis	*Arbor intrat*
X	*Tubiluſtrium*
IX	*Sanguen*
VIII	*Hilaria*
VII	*Requietio*
VI	*Lauatio*

Clarius hæc explicat Iulianus in oratione, quam in deorum matrem compoſuit (o), dum ait: Τέμνεσθαι γὰρ φασὶ τὸ ἱερὸν δένδρον καθ' ἣν ἡμέραν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ἰσημερινῆς ἀψῖδος ἔρχεται· εἶθ' ἑξῆς σαλπισμὸς παραλαμβάνεται, τῇ τρίτῃ δὲ τέμνεται τὸ ἱερὸν καὶ ἀπόῤῥητον θέρος τοῦ θεοῦ γάλλου· ἐπὶ τούτοις ἱλάρια φασὶ καὶ ἑορταί; *ſacram arborem ſuccidi illo ipſo die ferunt, quo ſol ſupremam æquinoctiorum apſidem attigit: altero die tubarum clangore perſtrepunt: tertio, ſacra & arcana dei Galli meſſis putatur. Secundum hæc, vt aiunt, Hilaria feſtique dies ſuccedunt.* Vndecimo enim Kalendas Aprilis, quo primum die ſol æquinoctialem attingit circulum, pinus ſuccidebatur, & in matris Deûm ſacrarium inferebatur, de quo Arnobius (p): *quid enim ſibi vult,* ait, *illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in deûm matris intromittitis ſanctuarium.* Poſtridie tubiluſtrium, dies erat, tubis, quarum ad ſacra vſus, luſtrandis deſtinatus, quod Iulianus σαλπισμὸν vocat. Sanguinis dicebatur (q) dies IX. Kl. Aprilis, quo archigallus ſanguinem impurum lacertos etiam caſtrando libabat (r). Ad octauum Kalendas Aprilis celebrabatur lætitiæ exordium, quem diem Hilaria adpellabant (ſ), quo primum tempore ſol diem longiorem nocte proten-

(o) *p. m. 168.* (p) *lib. V p. m. 167.* (q) Trebellius Pollio *in vita Claudii c. IV* Tertullianus *in carmine ad Senatorem conuerſ. cap. I v. 29.* (r) Tertullianus *Apologetico c. XXV.* (ſ) Macrobius *Saturn. I c. XXI.*

tendit. VII Kl. requiem adpellabant, VI vero Lauatio dicebatur matris deûm, quæ pompis celebrabatur annalibus. Pompa autem hæc erat, vt eo die carpentum, quo vehitur ſimulacrum, Almonis vndis abluatur, licet & ipſum ſimulacrum Almonis vnda ablui ſolitum tradat Ouidius (t), dum canit:

eſt locus in Tiberim qua lubricus influit Almo,
& magno nomen perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veſte ſacerdos,
Almonis dominam ſacraque lauit aqua.

Ipſos autem ſolennes ritus optime deſcribit Prudentius (u) ſequentibus:

Nudari plantas ante carpentum ſcio
proceres togatos matris Idææ ſacris,
Lapis nigellus euehendus eſſedo,
muliebris oris clauſus argento ſedet:
quem dum ad lauacrum praeundo ducitis
pedes remotis atterentes calceis
Almonis vsque peruenitis riuulum

Nudis enim pedibus ſimulacrum matris Idææ in eſſedo vectum antecedebant proceres, quod dein vndis, vbi ad Almonem fluuium venerant, qui ad portam Capenam erat, abluebatur. Plures ritus addit Halicarnaſſenſis (x). Huic enim deæ Duces ſeu proceres Romano ritu victimas cædere & ludos addere ait; eius vero ſacerdotio fungi dicit Phrygii generis virum & mulierem, qui ſimulacrum deæ per vrbem circumferebant, ſtipem Matri colligentes & pectora plangentes, proſequentibus cum matroo carmine tibiis & tympanorum pulſu. Matroum

(t) *IV Faſt. v. 337.* (u) *hymno X v. 154.* (x) *lib. II p. m. 91.*

troum autem carmen nullum videtur aliud, quam in honorem eius, quæ mater deûm dicebatur, confectum. Non autem caſtum hocce fuiſſe ex eo patet, quod Auguſtinus obſcœna inter hæc cantari ſolita tradat (y).

FESTA INDIGETVM.

HERCVLIS ſacrum antiquiſſimum, quod Græco ritu primus fecit Romulus, in eo loco, quo abducti a Caco paſtore oues, quos Hercules, Geryone interemto eo abegerat (z). Sacrum fiebat boue eximia, capta de grege, adhibitis ad miniſterium Potitiis atque Pinariis, quos ſacro præfecit (a). Huius feſti ſolennitatem quoque deſcribit Virgilius, (b) qui præter ſacra in aris facta, etiam hæc addit:

populeis adſunt euincti tempora ramis.
Hic iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes
Herculeas & facta ferunt:

de die vero nihil extat. CASTORIS & POLLVCIS feſtum VI Kl. Februarii Kalendarium adnotat. Cum enim fratres iſti gemini bello latino ad Numicum amnem equorum ſudorem abſtergere viſi eſſent, moxque e conſpectu hominum ſe eripuiſſent, tanquam dii proprii anniuerſariis ſacris coli cœpere. De quo Ouidius (c):

Fratribus illa dies, fratres de gente deorum
iuxta Iuturnæ compoſuere lacus.

Et cum eodem latino bello Romani victoriam adepti, quod auxiliis gemellorum factum putabant, eius cauſſa quotannis per proceres equeſtris ordinis viros Idibus Quin-

(y) *II de C. D. c. IV.* (z) Liuius *I c. VII.* (a) Halic. *lib. I p. m. 91.* (b) *VIII Aeneid. v. 286.* (c) *I Faſt. circa finem.*

Quintilis, qua die hæc victoria contigerat, ſacrificium factum, & poſt ſacrificium transuectio equitum eorum, qui equos habebant ex publico, qui per tribus ſuas & centurias diſtincti, ordine in equis vehebantur omnes, quaſi e pugna redeuntes, coronati fronde oleagina, & palmatis e purpura togis amicti, initio pompæ facto a Martis æde, quæ extra vrbem ſita, tum per vrbem, Caſtorum quoque ædem transeuntes, fortitudinis præmia quæ a ducibus acceperant, quisque præferens, narrante ita Halicarnaſſenſi (d); addit auctor de viris illuſtribus (e) in Capitolium demum transiiſſe, a quo etiam atque Tito Liuio (f) diſcimus, transuectionem hancce a Q Fabio Maximo fuiſſe inſtitutam. AESCVLAPIO & Ioui Kalendis Ianuarii in inſula Tiberina templa fuere dedicata, de quo Ouidius (g):

Iupiter in parte eſt, cepit locus vnus vtrumque
iunctaque ſunt magno templa nepotis auo

Quirinalia XIII Kl. Martii ſacra erant, Romulo dicata, vti canit Ouidius (h):

Proxima lux vacua eſt, at tertia dicta Quirino,
qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.

Eadem quoque ferias ſtultorum dicta ait Feſtus, idque ideo, quod quidam, qui ſacrorum Fornacalium ſacra Romæ ignorauerant, eo potiſſimum rem diuinam facerent. *Vortumnalia* a Vortumno inquit Varro (i), cuius feriæ Octobri menſe. *Portumnalia* in Portumni honorem, menſe Auguſto facta, quod ipſi eo die ædes in

Hhh por-

(d) *lib. VI p. m. 351.* (e) *cap. XXXII.* (f) *lib. IX extremo.* (g) *I Faſt. v. 295.* (h) *II Faſt. v. 475.* (i) *lib. V p. m. 34.*

portu Tiberino facta, & feriæ inſtitutæ, ſecundum Varronem (k).

FESTA VIRTVTVM

Fortunæ publicæ feſtum erat VIII Kl. Iunii, ob templum eo die dicatum, de quo Ouidius (l):

nec te prætereo populi fortuna potentis
publica, cui templum luce ſequente datum eſt.

Aliud erat VIII Idus Iunii, eodem, quo matralia die, vti canit Ouidius (m):

lux eadem fortuna tua eſt.

In cuius templo ſimulacrum erat Seruii Tullii, toga obtectum, de cuius ratione late agit idem. *Fortis Fortunæ* feſtum VIII Kl. Iulii celebrabatur: a Seruio Tullio ſic adpellatus dies, quod is fanum Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra vrbem dedicarit, Iunio menſe. Ritum deſcribit Ouidius (n):

Ite deam læti fortem celebrate Quirites,
in Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lintres,
multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia qui poſuit, de plebe fuiſſe
fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.
Conuenit & ſeruis, ſerua quia Tullius ortus,
conſtituit dubiæ templa propinqua deæ.

Plebeii enim homines & qui arte aliqua viuebant, conuiuia ſuper Tiberim inſtituebant, & varia ſolennitate diem concelebrabant. *Fortunæ muliebris* feſtum primum Ka-

(k) *Lib. V p. m. 33.* (l) *V Faſt. v. 729.* (m) *VI Faſt. v. 569.* (n) *VI Faſt. v. 775.*

Kalendis Decembris celebratum, poſt in pridie Nonas Quintilis tranſlatum, quo die eius ædes a Proculo Virginio fuit dedicata (o). *Virili* vero *fortunæ* ſacrificium thure fiebat Kl. Aprilis, quo virgines viro maturæ in templum ducebantur, & ibi depoſitis veſtibus, corporis vitia detegebant, fore ſperantes vt ea fortunæ beneficio viros laterent. De quo Ouidius (p):

Diſcite nunc quare fortunæ thura virili
detis eo, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus poſito velamine cunctas,
& vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc, celetque viros, Fortuna virilis
præſtat, & hoc paruo thure rogata facit.

Fortunæ *huiusque diei* feſtum III Kl. Auguſti in Kalendario adnotatum videmus, quæ quia templum proprium, ſacra quoque habuit ſingularia. VICTORIAE feſtum ante Romam conditam inſtituerunt Arcades, quod ſacrum anniuerſarium poſt ſeruarunt Romani (q); & per ludos Victoriæ Kl. Nouembris in Kalendario priſco deſignatum putem. Alio modo in Kalendario ad V Kl. Septembris notatum reperimus. HOC DIE ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDICATA EST. Quod ab Auguſto factum, imaginem victoriæ in curia Iulia, confecto bello Aegyptiaco conſecrante (r). *Pacalia* a. d. III Kl. Februarii notant Kalendaria, quo die ſacra fiebant PACI, vti & canit Ouidius (ſ):

ipſum nos carmen deduxit pacis ad aram
hæc erit a menſis fine ſecunda dies

(o) *Halic. lib. VIII p. m. 525.* (p) *IV Faſt. v. 143.* (q) *Halic. lib. I p. m. 26.* (r) Dio *lib. LI p. m. 459.* (ſ) *I Faſt. circa finem.*

Parua petunt manes. pietas pro diuite grata eſt
munere : non auidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
& ſparſæ fruges : paruaque mica ſalis.
Inque mero mollita Ceres, violaque ſoluta :
hæc habeat media teſta relicta via.
nec maiora veto : ſed & his placabilis vmbra eſt :
adde preces, poſitis & ſua verba focis.

Hæ epulæ dictæ Silicernium, vti ex Varrone probat Nonius (e); idque eo, quod ſupra nudum ſilicem ponerentur, auctore Seruio (f). Hoc feſto die templa omnia erant clauſa, nec ſacra vlla peragebantur; connubia item erant inauſpicata, vsque ad finem menſis, quippe per vndecim dies durabant. Quod late exponit Ouidius (g), dum canit :

dum tamen hæc fient, viduæ ceſſate puellæ :
expectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
comat virgineas haſta recurua comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
aufer : habent alias mœſta ſepulcra faces.
Dii quoque templorum foribus celentur opertis :
thure vacent aræ : ſtentque ſine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa ſepulcris
errant : nunc poſito paſcitur vmbra cibo.
Nec tamen hoc vltra, quam cum de menſe ſuperſunt
luciferi, quot habent carmina noſtra pedes.
Hanc, quia iuſta ferunt, dixere Feralia lucem :
vltima placandis Manibus illa dies.

Libe-

(e) *cap. I n. 235.* (f) *ad Aeneid. V v. 92.* (g) *Faſt. II v. 549.*

Liberalia XV Kl. Aprilis adnotata, vti numerat Ouidius (h):

tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho,
Bacche faue vati, tum tua feſta cano.

A pontificibus agonium Martiale adpellata (i). Liberalia autem dicebantur a Libero ſiue BACCHO, qui vini habebatur inuentor (k). Varro (l) a libertate ſic dicta putat Solennitas in eo conſtabat, vt per totum oppidum ſederent ſacerdotes Liberi; hedera coronatæ anus cum libis & foculo pro emtore ſacrificarent, vti loquitur Varro (m): ſeu quod idem eſt, celebrabant Bacchum extra templum in focis domeſticis. Vilis enim anus hedera coronata, liba calentia, quibus mel erat infuſum, Baccho offerebat, inde illa ſecum ducens fœminarum choros & greges, populum inuitabat ad liba guſtanda, vti late deſcribit Ouidius (n). Hoc ipſo quoque feſto pueri, poſita prætexta, ſumebant togam (o). Peregrinum quidem, Romanis tamen quandoque celebratum feſtum erat, *Bacchanalia*, quorum celebritatem exemplo Meſſalinæ optime deſcribit Tacitus (p): *adulto,* ait, *autumno, ſimulacrum vindemiæ per domum celebrabat: vrgeri prela, fluere lacus & fœmina pellibus accinctæ adſultabant vt ſacrificantes vel inſanientes Bacchæ: ipſa crine fluxo, thyrſum quatiens iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, ſtrepente circum procaci choro. Adhibebantur quoque tibiæ, cymbala ex ære, & tympana.* Feſtum erat obſcœnum ſtupris, adulteriis & cæ-

Ggg 2

(h) *III Faſt, v. 713.* (i) Macrobius *Saturn. I c. IV.* Varro *lib. V p. m. 46.* (k) Feſtus *hac voce.* (l) *c. l.* (m) *c. l.* (n) *III Faſt. v. 766.* (o) *III Faſt. v. 771.* (p) *Ann. XI c. XXXI.*

& cædibus clarum ; cuius originem & generalem prohibitionem late deſcribit Liuius (q), qui ſacra hæc nocturna fuiſſe & in luco Similæ inſtitui ſolita docet (r). Telluris ſeu VESTAE PRISCAE feſta erant varia. Primum VIII Kl. Septembris, *Opiconſua* dictum, quod ideo actum, ſcribit Varro (ſ), vt eo præter virgines Veſtales & ſacerdotem publicum introeat nemo : is cum eat, ſuffibulum haut habeat. Ipſa autem Opis dicta quoque conſiua, a qua hoc feſtum (t). Aliud Bonæ Deæ ſacrum Kalendis Maii celebratum, ob dedicatum eodem die in Auentino monte, a Veſtali templum ; de quo Ouidius (u) :

dedicat hoc veteris Clauſorum nominis heres,
virgineo nullum corpore paſſa virum.
Liuia reſtituit.

Feſtum hoc ſecundum Ciceronem (x) fiebat per virgines Veſtales, pro populo Romano, in ea domo, quæ eſt in imperio, incredibili cærimonia, ei deæ, cuius ne nomen quidem ſcire fas eſt. Fiebat quippe in domo pontificis, conſulis (y) & prætoris, (z) illius cuius illo anno menſeue regimen : ſiue per eius coniugem, ſiue per matrem familias aliam caſtam, (a) cum virginibus Veſtæ, expulſo omni maſculo, ipſo etiam patrefamilias (b). Et quia non niſi caſtæ ingrediebantur fœminæ, myrtum quo-

(r) *c. XII.* plura vide apud Blondum Flauium *de Roma triumphante lib. II p. m. 37.* & Auguſtinum *de Ciuitate Dei lib. VII c. XXI.* (ſ) *lib V de L. L. p. m. 34.* (t) Feſtus *voce opima ſpolia.* (u) *V Faſt. v. 154.* (x) *de haruſp. reſp. c. XVII.* (y) Plutarchus *Cicerone p. m. 870.* (z) Plutarchus *Caſare p. m. 711.* (a) Plutarchus *Cicerone p. m. 870.* (b) Plutarchus *Caſare p. m. 711.*

Digitized by Google

quoque abominabantur, Veneri ſacram. (c) Domus ornabatur ramis pampineis; maximaque ſacrorum pars nocte, ſono & cantibus peragebatur. (d) Canes tunc bonæ Deæ immolabantur, & ſus prægnans: (e) vinum quoque ſub lactis nomine libabatur, & vas in quo vinum inditum, nominabatur mellatium (f). Quod pro populo ſacrificium dicit Seneca, (g) ὑπὲρ τοῦ δήμου Plutarchus, Damium adpellat Feſtus: idque a contrario dictum putat, quod minime eſſet δημόσιον quia fiebat in operto. Fœminæ illi ſupplicantes probris & maledictis deam inceſſebant, neminem optantes bonum inueniri, qui domi naſceretur (h). De his nihil certi proditum, antequam feſto eodem P. Clodius Cæſaris vxori ſtuprum vel intulit, vti vult Seneca (i), vel ſaltim inferre tentauit, ſecundum Plutarchum (k). Tertia poſt Saturnalia die, IV Kl. Ianuarii, erant *Opalia*, feriæ Opis (l), quibus ſedentes deæ vota faciebant, terramque de induſtria tangebant (m). Aliud ab hoc *Lauatio erat matris deûm* VI Kl. Aprilis, quam pompis celebrari ſolennibus, & carpentum, quo vehitur ſimulacrum, Almonis vndis ablui tradit Ammianus Marcellinus (n). Aliquot dies ſeſe ſubſequentes ſacris matris deûm erant dicati; & quidem Kalendarium vetus Lambecii, menſe Martio ſex adnotat dies.

(c) Plutarchus *quæſt. Rom. XX.* Macrobius *I Saturn. XII.* (d) Plutarchus *Cæſare p. m. 711.* (e) Macrobius *c. l.* (f) Macrobius *c. l.* (g) *ep. XCVII.* Cicero *c. l.* Iuuenalis *ſat. IX v. 117.* (h) Plutarchus *quæſt. Rom. LI.* (i) *ep. XCVII* Suetonius *Cæſare c. VI & LXXIV.* Cicero *oratione pro Milone c. V.* (k) *in Cæſare c. l.* (l) Varro *de L. L lib. V p. m. 39.* (m) Macrobius *Saturn. I c. X.* (n) *lib. XXIII p. m. 241.*

XII Kl. Aprilis	*Arbor intrat*
X	*Tubiluſtrium*
IX	*Sanguen*
VIII	*Hilaria*
VII	*Requietio*
VI	*Lauatio*

Clarius hæc explicat Iulianus in oratione, quam in deorum matrem compoſuit (o), dum ait: τέμνεται γὰρ φασὶ τὸ ἱερὸν δένδρον καθ' ἣν ἡμέραν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ἰσημερινῆς ἁψῖδος ἔρχεται· εἶθ' ἑξῆς περισαλπισμὸς παραλαμβάνεται, τῇ τρίτῃ δὲ τέμνεται τὸ ἱερὸν καὶ ἀπόρρητον θέρος τοῦ θεοῦ γάλλου· ἐπὶ τούτοις ἱλάρια φασὶ καὶ ἑορταί; *ſacram arborem ſuccidi illo ipſo die ferunt, quo ſol ſupremam æquinoctiorum apſidem attigit: altero die tubarum clangore perſtrepunt: tertio, ſacra & arcana dei Galli meſſis putatur. Secundum hæc, vt aiunt, Hilaria feſtique dies ſuccedunt.* Vndecimo enim Kalendas Aprilis, quo primum die ſol æquinoctialem attingit circulum, pinus ſuccidebatur, & in matris Deûm ſacrarium inferebatur, de quo Arnobius (p): *quid enim ſibi vult*, ait, *illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in deûm matris intromittitis ſanctuarium.* Poſtridie tubiluſtrium, dies erat, tubis, quarum ad ſacra vſus, luſtrandis deſtinatus, quod Iulianus περισαλπισμὸν vocat. Sanguinis dicebatur (q) dies IX. Kl. Aprilis, quo archigallus ſanguinem impurum lacertos etiam caſtrando libabat (r). Ad octauum Kalendas Aprilis celebrabatur lætitiæ exordium, quem diem Hilaria adpellabant (ſ), quo primum tempore ſol diem longiorem nocte proten-

(o) *p. m. 168.* (p) *lib. V p. m. 167.* (q) Trebellius Pollio *in vita Claudii c. IV* Tertullianus *in carmine ad Senatorem conuerſ. cap. I v. 29.* (r) Tertullianus *Apologetico c. XXV.* (ſ) Macrobius *Saturn. l c. XXI.*

tendit. VII Kl. requiem adpellabant, VI vero Lauatio dicebatur matris deûm, quæ pompis celebrabatur annalibus. Pompa autem hæc erat, vt eo die carpentum, quo vehitur ſimulacrum, Almonis vndis abluatur, licet & ipſum ſimulacrum Almonis vnda ablui ſolitum tradat Ouidius (t), dum canit:

eſt locus in Tiberim qua lubricus influit Almo,
& magno nomen perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veſte ſacerdos,
Almonis dominam ſacraque lauit aqua.

Ipſos autem ſolennes ritus optime deſcribit Prudentius (u) ſequentibus:

Nudari plantas ante carpentum ſcio
proceres togatos matris Idææ ſacris,
Lapis nigellus euehendus eſſedo,
muliebris oris clauſus argento ſedet:
quem dum ad lauacrum praeundo ducitis
pedes remotis atterentes calceis
Almonis vsque peruenitis riuulum

Nudis enim pedibus ſimulacrum matris Idææ in eſſedo vectum antecedebant proceres, quod dein vndis, vbi ad Almonem fluuium venerant, qui ad portam Capenam erat, abluebatur. Plures ritus addit Halicarnaſſenſis (x). Huic enim deæ Duces ſeu proceres Romano ritu victimas cædere & ludos addere ait; eius vero ſacerdotio fungi dicit Phrygii generis virum & mulierem, qui ſimulacrum deæ per vrbem circumferebant, ſtipem Matri colligentes & pectora plangentes, proſequentibus cum matroo carmine tibiis & tympanorum pulſu. Matroum

(t) *IV Faſt. v. 337.* (u) *hymno X v. 154.* (x) *lib. II p. m. 91.*

troum autem carmen nullum videtur aliud, quam in honorem eius, quæ mater deûm dicebatur, confectum. Non autem caſtum hocce fuiſſe ex eo patet, quod Auguſtinus obſcœna inter hæc cantari ſolita tradat (y).

FESTA INDIGETVM.

HERCVLIS ſacrum antiquiſſimum, quod Græco ritu primus fecit Romulus, in eo loco, quo abducti a Caco paſtore oues, quos Hercules, Geryone interemto eo abegerat (z). Sacrum fiebat boue eximia, capta de grege, adhibitis ad miniſterium Potitiis atque Pinariis, quos ſacro præfecit (a). Huius feſti ſolennitatem quoque deſcribit Virgilius, (b) qui præter ſacra in aris facta, etiam hæc addit:

populeis adſunt euincti tempora ramis,
Hic iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes
Herculeas & facta ferunt:

de die vero nihil extat. CASTORIS & POLLVCIS feſtum VI Kl. Februarii Kalendarium adnotat. Cum enim fratres iſti gemini bello latino ad Numicum amnem equorum ſudorem abſtergere viſi eſſent, moxque e conſpectu hominum ſe eripuiſſent, tanquam dii proprii anniuerſariis ſacris coli cœpere. De quo Ouidius (c):

Fratribus illa dies, fratres de gente deorum
iuxta Iuturnæ compoſuere lacus.

Et cum eodem latino bello Romani victoriam adepti, quod auxiliis gemellorum factum putabant, eius cauſſa quotannis per proceres equeſtris ordinis viros Idibus Quin-

(y) *II de C. D. c. IV.* (z) Liuius *I c. VII.* (a) Halic. *lib. I p. m. 91.* (b) *VIII Aeneid. v. 286.* (c) *I Faſt. circa finem.*

Quintilis, qua die hæc victoria contigerat, ſacrificium factum, & poſt ſacrificium transuectio equitum eorum, qui equos habebant ex publico, qui per tribus ſuas & centurias diſtincti, ordine in equis vehebantur omnes, quaſi e pugna redeuntes, coronati fronde oleagina, & palmatis e purpura togis amicti, initio pompæ facto a Martis æde, quæ extra vrbem ſita, tum per vrbem, Caſtorum quoque ædem transeuntes, fortitudinis præmia quæ a ducibus acceperant, quisque præferens, narrante ita Halicarnaſſenſi (d); addit auctor de viris illuſtribus (e) in Capitolium demum transiiſſe, a quo etiam atque Tito Liuio (f) diſcimus, transuectionem hancce a Q. Fabio Maximo fuiſſe inſtitutam. AESCVLAPIO & Ioui Kalendis Ianuarii in inſula Tiberina templa fuere dedicata, de quo Ouidius (g):

Iupiter in parte eſt, cepit locus vnus vtrumque
iunctaque ſunt magno templa nepotis auo

Quirinalia XIII Kl. Martii ſacra erant, Romulo dicata, vti canit Ouidius (h):

Proxima lux vacua eſt, at tertia dicta Quirino,
qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.

Eadem quoque ferias ſtultorum dicta ait Feſtus, idque ideo, quod quidam, qui ſacrorum Fornacalium ſacra Romæ ignorauerant, eo potiſſimum rem diuinam facerent. *Vortumnalia* a Vortumno inquit Varro (i), cuius feriæ Octobri menſe. *Portumnalia* in Portumni honorem, menſe Auguſto facta, quod ipſi eo die ædes in por-

Hhh

(d) *lib. VI p. m. 351.* (e) *cap. XXXII.* (f) *lib. IX extremo.* (g) *I Faſt. v. 295.* (h) *II Faſt. v. 475.* (i) *lib. V p. m. 34.*

portu Tiberino facta, & feriæ inſtitutæ, ſecundum Varronem (k).

FESTA VIRTVTVM

Fortunæ publicæ feſtum erat VIII Kl. Iunii, ob templum eo die dicatum, de quo Ouidius (l):

nec te prætereo populi fortuna potentis
publica, cui templum luce ſequente datum eſt.

Aliud erat VIII Idus Iunii, eodem, quo matralia die, vti canit Ouidius (m):

lux eadem fortuna tua eſt.

In cuius templo ſimulacrum erat Seruii Tullii, toga obtectum, de cuius ratione late agit idem. *Fortis Fortunæ* feſtum VIII Kl. Iulii celebrabatur: a Seruio Tullio ſic adpellatus dies, quod is fanum Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra vrbem dedicarit, Iunio menſe. Ritum deſcribit Ouidius (n):

Ite deam læti fortem celebrate Quirites,
in Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lintres,
multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia qui poſuit, de plebe fuiſſe
fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.
Conuenit & ſeruis, ſerua quia Tullius ortus,
conſtituit dubiæ templa propinqua deæ.

Plebeii enim homines & qui arte aliqua viuebant, conuiuia ſuper Tiberim inſtituebant, & varia ſolennitate diem concelebrabant. *Fortunæ muliebris* feſtum primum Ka-

(k) *lib. V p. m. 33.* (l) *V Faſt. v. 729.* (m) *VI Faſt. v. 569.* (n) *VI Faſt. v. 775.*

Kalendis Decembris celebratum, poſt in pridie Nonas Quintilis translatum, quo die eius ædes à Proculo Virginio fuit dedicata (o). *Virili* vero *fortunæ* ſacrificium thure fiebat Kl. Aprilis, quo virgines viro maturæ in templum ducebantur, & ibi depoſitis veſtibus, corporis vitia detegebant, fore ſperantes vt ea fortunæ beneficio viros laterent. De quo Ouidius (p):

Diſcite nunc quare fortunæ thura virili
detis eo, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus poſito velamine cunctas,
& vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc, celetque viros, Fortuna virilis
præſtat, & hoc paruo thure rogata facit.

Fortunæ *huiusque diei* feſtum III Kl. Auguſti in Kalendario adnotatum videmus, quæ quia templum proprium, ſacra quoque habuit ſingularia. VICTORIAE feſtum ante Romam conditam inſtituerunt Arcades, quod ſacrum anniuerſarium poſt ſeruarunt Romani (q); & per ludos Victoriæ Kl. Nouembris in Kalendario priſco deſignatum putem. Alio modo in Kalendario ad V Kl. Septembris notatum reperimus. HOC DIE ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDICATA EST. Quod ab Auguſto factum, imaginem victoriæ in curia Iulia, confecto bello Aegyptiaco conſecrante (r). *Pacalia* a. d. III Kl. Februarii notant Kalendaria, quo die ſacra fiebant PACI, vti & canit Ouidius (ſ):

ipſum nos carmen deduxit pacis ad aram
hæc erit a menſis fine ſecunda dies

(o) *Halic. lib. VIII p. m. 525.* (p) *IV Faſt. v. 143.* (q) *Halic. lib. I p. m. 26.* (r) Dio *lib. LI p. m. 459.* (ſ) *I Faſt. circa finem.*

Digitized by Google

Concordiæ feſtum XVII Kl. Februarii celebrabatur, quod illo die ædes eidem vota, de quo Ouidius (t):

nunc bene proſpicies Latiam Concordia turbam,
nunc te ſacrata conſtituere manus.
Furius antiquus populi ſuperator Hetruſci
vouerat, & voti ſoluerat ille fidem.

MENTI in Capitolio ædes dicata & ſacra facta VI Idus Iunii, vti canit Ouidius (u):

adſpicit inſtantes mediis ſex lucibus Idus
illa dies, quæ ſunt vota ſoluta deæ.

Quod bello Punico II vti ſupra diximus, primum factum.

FESTA RVSTICORVM

Lupercalia PANI feſtus erat dies, XV Kl Martii, quorum originem ad Romulum plerumque referunt (x), vel Euandrum (y). Ritum deſcribit Plutarchus. Iugulabant enim capras indeque nobilibus duobus adoleſcentibus adductis, alii gladio cruento tingebant frontem, alii ſtatim imbuta lacte lana detergebant eam: deterſa ridere adoleſcentes oportet. Pellibus autem, capris & canibus quos etiam iugulabant, detractis, pudenda tegebant, reliqua nudi, curſitantes per vrbem, luperci dicti, obuios quosque flagro & ferula percutiebant: ſteriles inprimis mulieres eorum percuſſionem expetebant, quo eo facilius conciperent: quæ & late narrat Ouidius (z) *Faunalia* bis in anno celebrata, primum idibus Februarii, de quo Ouidius (a):

Idi-

(t) *I Faſt. v. 633.* (u) *VI Faſt. v. 246.* (x) Valerius Maximus *lib. II c. II n. 9.* (y) Plutarchus *in Romulo p. m. 31.* Dionyſius Halicarn. *lib. I p. m. 67.* Liuius *I c. V.* (z) *II Faſt. v. 267.* (a) *II Faſt. v. 193.*

Digitized by Google

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni,
hic vbi diſcretas inſula rumpit aquas.

Eidem Fauno hoc die in luco agnam immolabant ſiue hœdum ( ). Alterum eius feſtum erat Nonis Decembris, cuius ſolennitatem deſcribit Horatius (c):

Si tener pleno cadit hœdus anno,
larga nec deſunt Veneris ſodali
vina cratera, vetus ara multo
fumat odore.
Ludit herboſo pecus omne campo,
cum tibi nonæ redeunt Decembres:
Feſtus in pratis vacat otioſo
cum boue pagus.
Inter audaces lupus errat agnos:
ſpargit agreſtes tibi ſilua frondes,
gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor
ter pede terram.

Terminalia in X Kl. Martii incidebant, quæ Varro (d) inde dicta putat, quod is dies anni extremus conſtitutus. Cum enim intercalabatur, poſteriores dies menſi demebantur. Feſtus vero a Termino deo deriuat, cui hoc die fiebant ſacra. Originem a Numa ducit Halicarnaſſenſis (e), aliique. Cum enim vnumquemque iuſſiſſet Numa agrum ſuum circumſcribere, ac in finibus ſtatuere lapides Ioui Terminali, eos ſacros eſſe voluit, iuſſitque vt quotannis ſtato die res diuina eo loco in paganorum cœtu fieret, ſacrato inprimis nobili feſto in honorem deorum, qui terminis tutelares præſident. Id Romani vocabant Terminalia His autem animal non

Hhh 3 ma-

(b) *I. Carm. ode IV.* (c) *III Carm. od. XVIII. v. 5.* (d) *lib. V p. m. 32.* (e) *lib. II p. m. 133.*

Digitized by Google

mactabant, nefas putantes cruentari hos lapides, ſed liba cerealia frugumque offerebant primitias, de quo more agit Plutarchus (f). *Robigalia* Numa inſtituit, inquit Plinius (g), anno regni ſui vndecimo, quæ nunc aguntur ad ſeptimum Kalendas Maii, quoniam tunc fere ſegetes rubigo occupat. Idem confirmant Varro (h) atque Feſtus. Sacrificabant autem illo die ſecundum ſegetes (i), offerebantque deo Robigo ouem, canisque exta cum thure & vino. Rem exponit Ouidius (k):

Thura focis vinumque dedit, fibrasque bidentis
turpiaque obſcœna vidimus exta canis.
Tu mibi cur detur ſacris noua victima quæris,
Quæſieram, cauſſam percipe Flamen ait.
Eſt canis [Icarium dicunt] pro ſidere noto
Tota ſitit tellus, præripiturque ſeges.
Pro cane ſidereo canis bic imponitur aris,
Et quare fiat, nil niſi nomen habet.

Fornacalia XII Kl Martii feſtum, farris torrendi gratia a Numa inſtitutum: ſic dictum Feſto, quod ad fornacem, quæ in piſtrinis erat, ſacrificium fieri ſoleret. Indicebatur autem a Curione, vti de eo Ouidius: (l)

Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
maximus indicit, nec ſacra ſtata facit.
Inque foro multa circumpendente tabella,
ſignatur certa curia quæque nota.
Stultaque pars populi, quæ ſit ſua curia noſcit:
Sed facit extrema ſacra relicta die.

Ex quo Ouidii loco indictiua fuiſſe videmus, & nonnun-

(f) *quæſt. Rom. XV.* (g) *XVIII c. XXIX.* (h) *lib. V de L. L p. 33.* (i) Varro *c. l.* (k) *IV Faſt. v. 935.* (l) *II Faſt. v. 527.*

nunquam ante Quirinalia celebrata, cum iis Quirinalibus, ſtulta populi pars, quæ curiam ſuam ignoraret, rem ſacram Fornacalibus omiſſam faceret: inde feriæ ſtultorum iſta dictæ, vti ſupra explicauimus.

FESTA DEORVM, QVI VARIIS ACTIONIBVS PRAESVNT.

CARNAE deæ ſacrum Iunius Brutus voti damnatus, in monte Cœlio primus fecit, Kalendis Iunii (m). Prolixe de hoc ſacro agit Ouidius (n); ait enim:

prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc eſt,
numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

Sacrum deæ fiebat pulte fabaria & larido, quod vires corporis maxime his rebus roborentur; Inde & Kalendæ Iuniæ fabaceæ vulgo vocatæ, quia hoc menſe adultæ fabæ diuinis rebus adhibebantur (o). *Angeronalia* ab ANGERONA dicta, cui XII Kl. Ianuarias feriæ erant publicæ, (p) cuique pontifices in ſacello Volupiæ ſacrum faciebant (q). Feſtum in Kalendario adnotatum, DIVALIA ANGERONALIA. *Volturnalia* Volturno deo ſacra erant, cuius ſacerdotem Volturnalem vocabant, inquit Feſtus. *Matralia* MATVTAE feſtum erat, III Idus Iunii celebre, a cuius ſacris omnes ſeruæ arcebantur, vna tantum introducta cui colaphos infligebant (r), quod ex æmulatione deæ aduerſus maritum factum ait Plutarchus (ſ). Liba illi offerebantur, de quo Ouidius: (t)

ite bonæ matres, veſtrum Matralia feſtum
flauaque Thebanæ reddite liba deæ:

quæ

(m) Macrobius *I Saturn. c. XII.* (n) *VI Faſt. v. 102.* (o) Macrobius *c. l.* (p) Macrobius *Saturn. I c. X.* (q) Varro *lib. V p. m. 34.* (r) Plutarchus *Camillo p. m. 131.* (ſ) *quæſt. Rom. XVI.* (t) *VI Faſt. v. 473.*

Digitized by Google

quæ liba teſtuacea dicta, quod in teſta calida coquerentur (u). In eiusque ſacris fratrum & ſororum nepotibus bona adprecari ſolebant (x). *Furinalia* a Furina dea ſic dicta & VIII Kl. Auguſti adnotata, cuius tamen feſti vel ſolus Varro (y) meminit.

FESTA ADIVNCTORVM.

BELLONAE Feſtum pridie nonas Iunii celebrabatur, vti nos docet Ouidius (z). Laribus & Præſtitibus conſecratæ erat Maii Kalendæ; *Lararia* feſtum inde dictum, quod eo die a Curibus Sabinis ara fuerit conſecrata, teſtante id Ouidio: (a)

Præſtitibus Maiæ Laribus videre Kalendæ,
aram conſtitui paruaque ſigna deûm;
Ara erat illa quidem Curibus: ſed longa vetuſtas
deſtruit, & ſaxo longa ſenecta nocet.

Hoc autem feſto lares, deos domeſticos conciliabant, quibus pro ciuitate atque familiarum ſalute porcum immolabant. Iisdem ſacra erant *Compitalia*, alia ſtata, quæ menſe Maio in Faſtis, alia conceptiua, quæ quotannis menſe Decembri, paullo poſt Saturnalia concipiebantur, cuius originem ad Seruium Tullium referunt Plinius (b), atque Halicarnaſſenſis (c). Et quidem VI Kl. Ianuarii feſtum fuiſſe Macrobius auctor eſt (d). Fiebant autem laribus compitalibus pro tuendis compitis, & liba ſingulæ domus conferre tenebantur (e): ludi quoque fuere additi inde Compitales dicti (f). Pueros olim Laribus ac

(u) Varro *de L. L. lib IV p. m. 19.* (x) Plutarchus *queſt. Rom. XVI.* (y) *lib. V de L. L. p. m. 33.* (z) *VI Faſt. v. 199.* (a) *V Faſt. v. 129.* (b) *XXXVI c. XXVII* (c) *lib IV p. m. 219.* (d) *Saturn. I c. X.* (e) Halicarnaſſenſis *c. l.* (f) Plinius *c. l.*

ac Maniæ deæ ſacrificatos ſcribit Macrobius (g); quod tamen ſacrificii genus dein in allii atque papaueris capita mutauit Iunius Brutus. Iſti ſacrificio ſeruos tantum non etiam ingenuos adeſſe voluit Tullius (h). Singulis alias menſibus ruſtici laribus offerebant thura, fruges, porcam (i), epulas quoque e carnibus ſuillis ſtruebant, quas pauperibus dein erogabant. Compitales hosce lares Auguſtus (k) quoque bis in anno ornare inſtituit vernis floribus & æſtiuis, quod de priuato tamen cultu potiſſimum intelligunt. *Lemuralia* IX Kl. Maii ad placandos lemures, depellendaque ſpectra & terrores nocturnos conſecrata, tribus noctibus celebrabantur, iisdem tamen non continuis, ſed interueniente ſemper vna, de quo Ouidius (l):

> *ſed tamen hæc tria ſunt ſub eodem tempore feſta.*
> *inter ſe nulla continuata die.*

Originem ducunt ad Romulum, nocturnis temporibus ob necatum fratrem Remum vexatum (m). Ritus in eo conſtabant, vt qui Lemures eſſet placaturus, nocte intempeſta ſurgeret, nudis incedens pedibus, & poſtquam aqua fontana ſe abluiſſet, iunctis digitis cum medio pollice, fabas nigras, quas primum ore verſauerat, a tergo iaciebat, dicebatque quod iis ſe ſuosque redimeret, & vbi pulſaſſet æra, vt tectis exeat vmbra ſuis, rogabat, narrante ita Ouidio (n). Toto hoc feſti tempore templa

(g) *Saturn. I c. VII.* (h) Halicarn. *c. l.* Petrus Pithœus *animadu. ſubſec. lib. I c. IX.* (i) Horatius *III Carm. c. XXIII & lib. II ſat. III v. 164. atque ibi Torrentium.* (k) Suetonius *Aug. c. XXXI.* (l) *V Faſt. v. 491.* (m) *V Faſt. v. 479.* (n) *V Faſt. v. 429.*

Digitized by Google

deorum erant clauſa, & nuptias celebrare habebatur ominoſum (o).

FESTA NYMPHARVM.

Annae perennae feſtum Idibus Martii erat (p), quod ſolennibus commeſſationibus peragebatur. Ita enim Ouidius:

Plebs venit, ac virides paſſim disiecta per herbas
potat, & accumbit cum pare quisque ſua.
ſub Ioue pars durat, pauci tentoria ponunt.
Sunt quibus e ramis frondea facta caſa eſt.
Pars ibi pro rigidis calamos ſtatuere columnis,
deſuper extentas impoſuere togas:
Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt:
Inuenies illic, qui Neſtoris ebibat annos,
quae ſit per calices facta Sybilla ſuos.
Illic & iactant, quidquid didicere theatris,
& iactant faciles ad ſua verba manus.

Carmentalia in III Idus Ianuarii incidebant, qui dies nefaſtus primo erat, quo ſacra fiebant Carmentæ, additis quoque ludis. Alia erant *Carmentalia ſecunda* dicta in Kalendario, a matronis dedicatum feſtum, quod is honor a ſenatu matronis decretus, vt pilento ad ſacra ludosque; carpentis feſto profeſtoque vterentur (q). Matronæ enim inter ſeſe conſpirauerant, neque vterum gerere ſe neque parere velle, vsque dum vſus vehiculorum concederetur; quo facto, cum ipſæ iterum parerent, ſacrum hoc inſtituere (r). Carmentis vero hæc carmentalia

(o) Ouidius *V Faſt. v. 485.* Plutarchus *quaeſt. Rom. LXXXV.* (p) *III Faſt. v. 523.* (q) Liuius *V c. XXV.* (r) Plutarchus *quaeſt. Rom. LVI.* Ouidius *I Faſt. v. 611.*

talia ſacra vult Varro (ſ), ſiue Porrimæ atque Poſtuertæ, quæ inter parturientium deas habebantur, quod & inſtituto propius venit. *Palilia* XI Kl. Maii honori PALIS nymphæ fiebant (t), licet alii ſecundum Halicarnaſſenſem (u), Parilia vocent, a partu quadrupedum ſic dicta. Agricolarum erat feſtum, quo ouilia purgabant, oues ſolenni ritu luſtrabant, Palique nymphæ lacte libabant. Et cum in Fordicidiis, quæ proxime præceſſerant, fordei boues triginta, ad curiarum numerum, pro gregum ſanitate fuerint immolati (x), exſectos inde vitulos virgo Veſtalis maxima cremabat, & cinere luſtrabat (y). Peractis his ſacris paſtores aqua adſpergebantur, & cœnæ parabantur, quibus finitis ignes e ſtramine vel fœno accendebantur, quos tranſiliebant, vt corpora ſua expiarent. Hoc inſtitutum a Romulo, de quo Halicarnaſſenſis (z): πυρκαϊὰς πρὸ τῶν σκηνῶν γενέσθαι κελεύσας, ἐξάγει τὸν λεὼν τὰς φλόγας ὑπερθρώσκοντα τῆς ὁσιώσεως τῶν μιασμάτων ἕνεκα. *pyris ante tentoria incendi iuſſis, educit populum, & piaculi cauſſa per flammas ſalire iubet.* Hinc Perſio (a) *fumoſa Palilia fœno.* Hoc die quoque Romæ vrbis fundamenta iacta credebantur, id quod teſtatur Propertius (b) & Velleius (c). Ita & inter alios honores Iulio Cæſari a Senatu decretos, hic quoque poſt confectum bellum Hiſpanienſe fuit, vt Palilibus, diis immortalibus ſacra fierent, & equorum certamen celebraretur: non eam ob cauſſam, vti inquit Dio (d),

Iii 2 quod

(ſ) *de L. L lib. V p. m. 32.* (t) Varro *lib. V de L. L. p. m. 33.* (u) Halic. *lib. I p. m. 75.* (x) Ouidius *IV. Faſt. v. 529.* (y) *v. 639. & 725.* (z) *lib. I p. m. 75.* (a) *ſat. I v. 86.* (b) *lib. IV el. IV v. 73.* (c) *lib. I c. VIII n. 4.* (d) *lib. XLIV p. m. 234.*

Digitized by Google

quod is dies natalis vrbis erat, ſed quod nuntius de victoria Cæſaris pridie eius diei ſub veſperam adlatus fuerat. Sic & Caligulæ placuit, vt dies, quo cœpiſſet imperium, Palilia vocaretur (e). Alia Parilia erant feſta, quæ priuatim obſeruabant puerperæ, pro partu ſine dubio feliciori. *Floralia* IV Kl. Maii feſtum FLORAE ſacrum, ex oraculis Sibyllæ, vti rebantur, inſtitutum, vt omnia bene defloreſcerent (f). Obſcœniſſimum alias, quod omni laſciuia peragebatur, narrante Lactantio (g), aliisque (h). Quare & Martialis (i) ait:

Noſſes iocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
feſtosque luſus & licentiam vulgi.

Addebantur & huic feſto ludi, Floralia dicti, quibus non animalia alias ſolita, leones, vrſi, ſimilisue generis, ſed quia hortis præerat atque pratis, capræ & lepores exhibebantur (k). Galba tamen dum adhuc prætor, nouum ſpectaculi genus, elephantos funambulos edidit (l). Sicuti autem in Cerealibus, albis; ſic in Floralibus verſicoloribus veſtibus vtebantur ſpectantes, de quo Ouidius (m):

Cur tamen & dantur veſtes Cerealibus albæ:
ſic eſt hæc cultu verſicolore decens?
An quia maturis albeſcit meſſis ariſtis:
& color & ſpecies floribus omnis ineſt?
Annuit.

Larentinalia vltimus dies feſtus in Kalendario X Kl. Ianuarii notatus, quæ cum Lararibus quidam confundunt, pri-

(e) Suetonius *Caligula c. XVI.* (f) Plinius *XVIII. c. XXIX.* (g) *I c. XX.* (h) Valerius Maximus *II c. X.* Ouidius *V. Faſt. v. 347.* (i) *lib. I epigr. I v. 1.* (k) Ouidius *V. Faſt. v. 209.* (l) Suetonius *Galba c. VI.* (m) *V Faſt. v. 359.*

pridie notatis. Varro (n) vocat Accalia, quæ ita deſcribit: *Laurentiæ is dies erat, quem quidam in ſcribendo Laurentalia adpellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui ſacerdotes noſtri publice parentant ſexto die, qui atra dicitur, & dicunt hunc diem Tarentini Accas Tarentinas. Hoc ſacrificium fit in Velabro, qua in nouam viam exitur, vt aiunt quidam, ad ſepulcrum Accæ.* Confirmat idem Feſtus, qui Larentalia dicit coniugis Fauſtuli, nutricis Remi & Romuli, Laurentiæ feſta. Sic & Gellius (o) ait Accæ Laurentiæ diem in faſtos additum. Ioui vero has ferias conſecratas ſcribit Macrobius (p). Plutarchus (q) eadem confundit cum Floralibus & Aprilis menſis feſtum facit, ex illorum forſan opinione (r), qui Laurentiam multum pecuniæ meretricio quæſtu emeruiſſe, & populum Romanum hæredem ſcripſiſſe volunt.

FESTA VARIA.

Veiouis feſtum nonis Martii erat, ob templum illo die conſecratum ad duos lucos aſyli, de quo Ouidius (ſ):

Vna nota eſt Martis Nonis, ſacrata quod illis,
templa putant lucos Veiouis ante duos.

Tempeſtati ob conſecratum delubrum, feſtum Iunii Kalendis ſacrum, de quo idem canit (t):

Te quoque tempeſtas meritam delubra fatemur,
cum pene eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Alia adhuc erant feſta, non in deorum quidem memoriam,

Iii 3

(n) *lib. V de L. L. p. m. 34.* (o) *lib. VI c. VII.* (p) *Saturn. I c. X.* (q) *Romulo p. m. 19.* (r) Gellius *c. l.* Plutarchus *quaſt. Rom. XXXIV.* (ſ) *III Faſt. v. 429.* (t) *VI Faſt. v. 193.*

Digitized by Google

riam, publica tamen. Inter quæ *Chariſtia*, VIII Kl. Martii, de quibus Ouidius (u):

Proxima cognati dixere Chariſtia chari
& venit ad ſocios turba propinqua deos.

Ea optime deſcribit Valerius Maximus (x), quod ſcilicet ad tollendas adgnatorum ſimultates ſtatuta. *Hilaria* celebrabantur VIII Kl. Aprilis, quo primum tempore ſol diem longiorem nocte protendit (y). Matri deûm quidem hoc feſtum attribuunt ex verbis Lampridii (z), dum ait: *Kalendis Ianuarii & hilariis, matris deûm* [ſubintellige feſto die, quod præmiſerat] *& ludis Apollinaribus & Iouis epulo & Saturnalibus & huiusmodi feſtis diebus*: ſed potius diſtinguit, quam coniungit. Kalendas vero Ianuarii & Hilaria coniungit, quia vti illæ initium anni, ſic hæc initium veris. Neque idem ex Macrobii (a) verbis ſequitur: *præcipuam* inquit, *ſolis in his cærimoniis verti rationem, hinc etiam poteſt intelligi, quod ritu eorum Katabaſi finita, ſimulationeque luctus peracta* [loquitur autem de luctu & planctu Gallorum matris deûm ſacerdotum] *celebratur lætitiæ exordium ad octauum Kalendas Aprilis, quem diem Hilaria adpellant, quo primum tempore ſol diem longiorem nocte protendit.* His enim verbis Macrobius innuit, conuenire inter ſe cultum matris deûm & ſolis, quia finito luctu ſacerdotum matris deûm, oriantur Hilaria, ob longiorem curſum Solis. Ipſis autem Kalendis Aprilis paullo poſt ſequentibus, ſolenne matris deûm feſtum erat, quo eius ſimulacrum in Almonis vndis abluebatur. *Fontinalia* III Idus

(u) *II Faſt. v. 617.* (x) *lib. II c. I.* (y) Macrobius *Saturn. I c. XXI.* (z) *Alexandro Seuero c. XXXVII.* (a) *I Saturn. c. XXI.*

Digitized by Google

dus Octobris celebrabantur, quibus ſecundum Varronem (b), coronas in fontes iaciebant, & puteos coronabant. Quod Scaliger quidem tantum de eo fonte, cuius delubrum iuxta portam Capenam extat, explicauit; ſed de omnibus potius fontibus ſacris intelligimus, cum de fontibus loquatur Varro & fontium ſacra innuat Feſtus. *Lucaria* XIV Kl. Auguſti notata, quæ feſta in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, pro eo quod victi a Gallis fugientes e prœlio ibi ſe occultauerint, narrante ita Feſto. *Fordicidia* XVII Kl. Maii celebrabantur; a fordeis bobus ſic dicta. Bos autem forda dicitur Varroni (c), quæ fert in ventre, quod ea die publice immolantur boues prægnantes in curiis complures. Immolabantur autem boues grauidæ triginta, pro numero curiarum; aliquæ etiam in templo Iouis Capitolini, vti canit Ouidius (d):

pars cadit arce Iouis: terdenas Curia vaccas
accipit, & largo ſparſa cruore madet.

A Numa hoc feſtum ex effato Fauni, inſtitutum idem ſcribit. *Populifugia* dies III Nonas Iulii notatus, atque ſic denominatus videtur Varroni (e), quod eo die orto repente tumultu, fugerit populus. *Non multo enim poſt, hic dies*, pergit, *quam deceſſus Gallorum ex vrbe & qui tum ſub vrbe populi, vt Ficulneates ac Fidenates & finitimi alii contra nos coniurarunt.* Macrobius (f) vero diem, quo populus a Tuſcis in fugam verſus, ſic adpellatum ait. *Meditrinalia* V Idus Octobris adnotata, dicta hac de cauſſa ſecundum Feſtum. *Mos erat latinis populis,* quo

(b) *lib. V de L.L. p.m. 34.* (c) *lib. V. de L.L. p.m. 33.* (d) *IV. Faſt. v. 635.* (e) *c. l.* (f) *Saturn. III. c. II.*

quo die quis primum guſtaret muſtum, diceret ominis gratia: vetus nouum vinum bibo, veteri nouo morbo medeor: inde a medendo dies dictus, vti innuit Varro (g). *Fugalia* feſtum Auguſtinus memorat, obſcurum alias & ob lætitiam de fugatis hoſtibus celebratum ſcribit Ludouicus Viues (h). Aliud erat *Regifugium*, qui dies notatur in Faſtis, VI Kl. Martias, auctore Feſto; dictus autem vel quod eo die Tarquinius rex Roma fugerit, (i) vel ex mente Iulii apud Feſtum, a fuga regis ſacrorum e foro vel comitio, poſt ſacrificium peractum: cuius etiam ſententiæ eſt Plutarchus (k). *Armiluſtrium* feſtum XIV Kl. Nouembris, quo res diuinas armati faciebant Romani, inter ſacrificia tubis canentes, ſecundum Feſtum. Varro ait, quod in armiluſtrio circumiuerint ludentes ancilibus armati. *Maiumam* quoque feſtum Romanis fuiſſe vſitatum contendit Lipſius (l), ſed tacent ſcriptores antiqui, immo contrarium potius patet ex lege vnica Codicis de Maiuma, vbi tantum vt prouincialibus reddatur lætitia, conſtituitur. Prouinciale itaque fuit feſtum Orientis, & quod veroſimile, a Gazæorum emporio ſic dictum. Fœdum atque indecorum ſpectaculum omnis licentiæ, prohibitum aliquando per Orientem, ab Arcadio reſtitutum, ita tamen vt ſeruetur honeſtas (m). Hac non ſeruata ab eodem iterum triennio poſt prohibitum (n). Ad *Argeos*, ſeu loca vrbis, vbi

(g) *de L. L. lib. V p. m. 34.* (h) *ad Auguſtinum II de Ciu. D. c. VI.* (i) Ouidius *II Faſt. v. 685.* Auſonius *ecl. de feriis Rom. v. 13.* (k) *quaſt. Rom. LXII.* (l) *ad XI Annal. p. m. 106.* (m) *l. vn. C. de Maiuma.* (n) *l. II C. Th. de Maiuma &* Franc. ab Amaya *lib. III obſ. V.*

vbi ſacra fiebant, a Numa conſecrata (o) ibant quotannis XVII & XVI. Kl. Aprilis, vti canit Ouidius (p):

Itur ad Argeos, qui ſint, ſua pagina dicet,
hac, ſicut memini, prateritaque die.

die ſcilicet Liberaliûm, de qua agit. Idibus vero Maii argeorum ſcirpea ſimulacra & oſcilla de ponte ſublicio in Tiberim quotannis præcipitari ſolebant (q). Fiebant autem argei e virgultis ſcirpeis, & ſimulacra erant hominum triginta, quæ a ſacerdotibus quotannis e ponte ſublicio in Tiberim publice iaci ſolebant (r).

FESTA IN HONOREM IMPERATORVM.

Faſtos inde Kalendares fœdiſſima populi Romani adulatio corrupit, vt etiam dies Imperatorum ſolennes iisdem adſcriberent. Antonium Conſulem adſcribi iuſſiſſe in faſtis ad Lupercalia: C. Cæſari dictatori perpetuo, populi iuſſu regnum delatum, Cæſarem vti noluiſſe, auctor eſt Cicero (ſ). In idem tamen, quod in Antonio reprehendit, ipſe delapſus eſt Cicero; cum ad eum diem, quo Cæſar interfectus, isque caſu Bruti natalis eſſet, in Faſtis Bruti nomen adſcribi voluit (t). Imitati illud fuere alii, vt adularentur Imperatoribus. Sic pridie Nonas Martii in Kalendario adnotatum reperimus HOC. DIE. CAESAR. PONT. MAXIM. FACT. EST. VI Kl. Aprilis HOC. DIE. CAESAR. ALEXAND. RECEPIT. III Nonas Iulii CAESARIS. NAT. XIII Kl. Augusti LVD. VICT. CAES. IV Nonas Auguſti HOC. DIE. CAESAR.

(o) Liuius *I c. XXI.* Varro *de L. L. lib. IV p. m. 9.* (p) *III Faſt. v. 791.* (q) Feſtus *hac voce.* Plutarchus *quaſt. Rom. XXXII.* Ouidius *V Faſt. v. 621.* (r) Varro *de L. L. lib. VI p. m. 52.* (ſ) *Philipp. II. c. XXXIV.* (t) *ad Brutum ep. XV.*

Digitized by Google

HISP. DEVICIT. V Idus Auguſti HOC. DIE. CAESAR. HISPALIN. DEVICIT. *Natalis Auguſti* VIII Kl. Octobris celebrabatur, quem primum Iulius Antonii filius, Prætor, equeſtri certamine & venatione celebrauit, & ex Scto epulum Auguſto & Senatoribus in Capitolio dedit: (u) quem natalem etiam equites Romani ſponte atque conſenſu biduo ſemper celebrauere (x): quod & decretum iſtud marmoreum apud Gruterum probat (y). De Tiberii natali decreuit S. P. Q. R. vt decem equorum certamine, & epulis ſenatui datis honoraretur (z). Poſteriori tempore natales Imperatorum dicti, non ſolum qui lucis auſpicia, ſed & qui ortus imperii protulerunt (a), qui in faſtis adnotati atque omni lætitiæ genere celebrati. *Auguſtalia* A. V. C. DCCCXXXV in honorem Auguſti, poſtquam ex Græca & Sicula peregrinatione redux factus, primum celebrata ſcribit Dio (b): quibus octennio poſt additi etiam ludi (c), dicti Auguſtales, quod de nomine Auguſti a. d. IV Idus Octobris faſtis additi (d). Nec in eo ſolum ſubſtitit adulatio, ſed & ſequiori tempore inter feſtos numerati dies, quibus patrata victoria eſſetque nuntiata (e). Ita Idus Martiæ quibus Cæſar interfectus, parricidium dictæ atque inter atros relatæ (f). Agrippinæ dies natalis inter nefaſtos fuit relatus (g). Ita vt vix memoratu quidpiam dignum accideret, quod non faſtis adderetur. Sic non in faſtos qui-

(u) Dio *lib. LIV p. m. 539.* (x) Suetonius *Auguſto c. LVII.* (y) Gruterus *p. CCXXVIII n. 8.* (z) Dio *lib. LVIII p. m. 629.* (a) *l. II C. Th. de feriis.* (b) Dio *lib. LIV p. m. 527.* (c) *p. m. 545.* (d) Tacitus *Annal. I c. XV.* (e) Tacitus *Annal. XIII c. XLI.* (f) Suetonius *Caeſ. c. LXXXVIII.* (g) Tacitus *Ann. XIV c. XII.*

Digitized by Google

quidem relatus eſt, diem feſtum tamen egit Auguſtus, cum primum barbam raderet (h). Quare vt obuiam iretur hiſce malis, principum edictis opus erat. Primus fuit Auguſtus, qui XXX amplius dies honorariis ludis occupatos actui rerum accommodauit, ſiue ex nefaſtis faſtos fecit (i). Per honorarios autem ludos Suetonius intelligit, qui in Kalendario notati, nulli tamen in ſpecie deo ſacri erant. Poſt hæc Claudius III Conſul multa ſacrificia, multas ferias abrogauit, cum maior anni pars iis abſumeretur (k). Sub Nerone rurſum illa ſacrorum multitudo adeo modum egreſſa, vt C. Caſſius referente Tacito (l), de cæteris honoribus Neronis aſſenſus, ſi pro benignitate Fortunæ, diis gratiæ agerentur, ne totum quidem annum ſupplicationibus ſufficere diſſeruerit, eoque oportere diuidi ſacros & negotioſos dies, quibus diuina colerentur vt humana non impedirent. Veſpaſiani temporibus forte fuere ducti, qui faſtos adulatione temporum fœdatos exonerarent, modumque publicis impenſis facerent (m). Donec tandem Antoninus optimus princeps faſtis dies iudiciarios adderet, ita vt CCXXX dies annuos, rebus agendis litibusque diſceptandis conſtitueret (n).

FERIAE CONCEPTIVAE

Poſt ferias ſtatas ſequuntur conceptiuæ, quas deſcribit Macrobius (o), quod ſint, quæ quotannis a magiſtratibus vel ſacerdotibus concipiantur: quales erant latinæ, ſementiuæ, Paganalia, Compitalia. Commune to-

(h) *lib. XLVIII p. m. 377.* (i) *Auguſto cap. XXXII.* (k) Dio *lib. LX p. m. 676.* (l) Tacitus *Ann. XIII c. XLI.* (m) Tacitus *hiſt. IV c. XL.* (n) Capitolinus *M. Antonino c. X.* (o) *Saturn. I c. XVI.* Varro *V de L. L. p. m. 49.*

tius Latii feſtum erant *Feriæ Latinæ*, quas deuictis Hetruſcis, fœdere cum Latii populis pacto, initaque cum iisdem ſocietate Tarquinius Superbus inſtituit. Singulis enim annis conuenere quadraginta ſeptem Latii populi, in monte alto Albæ imminente, ſacra facientes Ioui Latiari epulis &ludis vacantes. Conſtitutum quoq; quid quisque populus præberet: hic agnos, ille caſeos, iſte lactis modum, & quam portionem recipere debeat. Communis victima taurus erat, de quo cuilibet populo portio ſua conſtituta, & huic ſacrificio præerant Romani (p). Vnicus tantum dies a Tarquinio primum conſtitutus, pulſis regibus additus a populo ſecundus; acceſſit dein tertius, poſt fœdus cum Latinis a Sp. Caſſio Cos. ictum; quartus ob plebis, quæ ſeceſſerat, reditum, adiectus, cui addita quoque ſacrificia & ludi, quibus Senatus ædiles præfecit (q). Halicarnaſſenſis quidem poſt ſeceſſionem plebis tertium fuiſſe adiectum ſcribit, quartum autem fuiſſe additum Liuius auctor eſt atque Plutarchus (r). Conſules in prouincias paludati proficiſci, non niſi indictis prius his feriis poterant (ſ). Infauſtum putantes ſi hoc non obſeruatum. Neglectis quibusdam cærimoniis vel intermiſſo ſolenni quodam, feriæ hæ per pontifices erant reſtaurandæ. Sic religioni fuit, quod in vna hoſtia magiſtratus Lanuuinus precatus non fuerat populo Romano Quiritium (t). Sic ob carnem Ardeatinis non datam (u) & Laurentibus (x); ob coortam quo-

(p) Dionyſ. Halic. *lib. IV p. m. 250.* (q) Halic. *lib. VI p. m. 415.* (r) *lib. VI extremo. Camillo in fine.* (ſ) Liuius *XXI c. vlt. XXII c. I.* Dio Caſſius *lib. XLVI. p. m. 313.* (t) Liuius *XLI c. XVI.* (u) Liuius *XXXII c. I.* (x) Liuius *XXXVII c. III.*

quoque tempeſtatem turbatæ reſtaurabantur *(y)*. Iis quadrigæ certabant in Capitolio, victorque abſynthium bibebat; ſanitatem præmio dari honorifice arbitratis maioribus, teſte Plinio (z); abſynthio enim veteres in medicinis ſæpius fuiſſe vſos Nonius Marcellus docet *(a)*. Magiſtratus ergo cum feriis intereſſent, præfecti interim vrbis, dicti feriarum latinarum, vsque ad eorum reditum in vrbe imperium tenebant (b): vel vti Tacitus loquitur, conſulare munus vſurpabant (c). Ad eos facit lapis priſcus (d):

M. AVR. VICTORI
C. V
PRAEF. FERIARVM
LATIN. SACERDOTI
DEI. SOLIS

Sementiua plerumque Ianuario menſe concipiebantur, quibus iuuenci coronabantur & aratrum ad palum ſuſpendebatur. Dictæ vero ſecundum Varronem (e) a ſemente, quod ſationis cauſſa ſuſceptæ. Deſcribit eas Ouidius *(f)*:

Ter quater euolui ſignantes tempora faſtos,
nec Sementiua eſt vlla reperta dies,
Tum mihi [ſenſit enim] lux hæc indicitur, inquit,
Muſa quid a Faſtis non ſtata ſacra petis?
Vtque dies incerta ſacris, ſic tempore certo
ſeminibus iactis eſt vbi fœtus ager:

Kkk 3 *ſtate*

(y) Liuius *XL c. XLV.* (z) Plinius *XXVII c. VII.* Alexander ab Alexandro *V c. VII.* (a) *cap. III n. 4.* (b) Capitolinus *Antonino c. IV.* (c) Tacitus *Ann. VI c. XI.* (d) Gruterus *p. CCCXIII n. 9.* (e) *lib. V de L. L. p. m. 34.* (f) *I Faſt. v. 657.*

ſtate coronati plenum ad præſepe iuuenci,
cum tepido veſtrum vere redibit opus.
Ruſticus emeritum palo ſuſpendit aratrum,
omne reformidat frigore vulnus humus.
Villice da requiem terræ, ſemente peracta,
da requiem terram qui coluere viris.

His quoque feriis in ædem Cereris atque Telluris rogatum venere (g). *Paganalia* a Seruio Tullio inſtituta, quæ frequenti cœtu ex omnibus pagis quotannis peragebantur; collato a ſingulis cenſus cauſſa certo numiſmatis genere. De quo Dionyſius agit Halicarnaſſenſis (h) atque Ouidius (i):

Pagus agat feſtum, pagum luſtrate coloni
& date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum Tellusque Ceresque
farre ſuo; grauidæ viſceribusque ſuis.
Officium commune Ceres & Terra tuentur,
Hæc præbet cauſſam frugibus, illa locum.

Statim autem ea Sementiuis ſubiungit Ouidius: *Compitalia* per prætorem ita concipi ſolebant (k). DIE. NONI. POPOLO. ROMANO. QVIRITIBVS. COMPITALIA. ERVNT. QVANDO. CONCEPTA. FVERINT. Sua ætate in III Kl. Ianuarias incidiſſe Compitalia ſcribit Cicero (l): alio vero loco (m) IV. Nonas Ianuarii compitalitium fuiſſe diem ait: Dionyſius (n) paucis poſt Saturnalia diebus; ex quibus ſatis poteſt concludi, ferias fuiſſe non ſtatas, ſed poſt Saturnalia concipi ſolitas.

Impe-

(g) Varro *de Re Ruſt. lib. I c. II.* (h) *lib. IV p. m. 220.* (i) *I Faſt. v. 671.* (k) Macrobius *Saturn. I. c. V.* (l) *in Piſonem c. IV.* (m) *lib. VII ad Att. ep. VII.* (n) *lib. IV p. m. 219.*

Imperatiuæ ſeu indictiuæ feriæ erant, quæ a magiſtratu imperabantur, vel indicebantur: quo referebantur ſupplicationes ob res proſpere geſtas vel ob natales principum, qui vel lucis auſpicia vel ortus imperii protulerunt, ceu lex ſeptima Codicis de feriis loquitur. Ita ſi terram mouiſſe ſenſiſſent, ferias eius rei cauſſa edicto imperabant: ſed dei nomen vti alias ſolebat, cui ſeruari ferias oporteret, ſtatuere & edicere quieſcebant, ne alium pro alio nominando, falſa religione populum adligarent (o). In ſtatu monarchico cum non amplius vti antea, a magiſtratibus edicerentur, dictæ feriæ imperiales ( ). *Nundinæ* adhuc reſtant, quæ feriæ erant paganorum, nono quoque die celebratæ, quibus agreſtis plebs in vrbem conueniebat, venalia permutabat, iure inter ſe agebat ac ſuffragia ferebat de negotiis publicis (q). Hinc Cicero nundinarum vocat *πανήγυριν* (r). Rutilius apud Macrobium (ſ) eas inſtitutas ſcribit, vt octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nono autem die, intermiſſo rure, ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent: & vt ſcita atque conſulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die propoſita a ſingulis atque vniuerſis facile noſcebantur. Originem ad Romulum refert Halicarnaſſenſis (t), dum de eo *ἐνάτην ὁρίζων ἡμέραν ταῖς ἀγοραῖς*: alii tamen Seruio Tullio adſcribunt (u). Iouis autem erant feriæ, ſiquidem flaminica omnibus nundinis in regia Ioui arietem ſolebat immolare (x). Solæ tamen erant feriæ ſine die feſto (y). Lauabantur iis toti (z). cum

(o) Gellius *II c. XXVIII.* (p) *l. IV C. de feriis.* (q) Halicarn. *lib. VII p. m. 463.* Macrobius *ſaturn. I c. XVI.* (r) *I ad Atticum ep. XIV.* (ſ) *c. l.* (t) *lib. II p. m. 28.* (u) Macrobius *c. l.* (x) *c. l.* (y) Feſtus *voce ferias.* (z) Seneca *ep. LXXXVI.*

Digitized by Google

cum alias brachia tantum & crura quotidie lauarent. Hiſce vrbem reuiſebant, inquit Plinius (a), ideo comitia nundinis habere non licebat, ne plebs ruſtica auocaretur. Illæ ſi in Kalendas Ianuarii vel Nonas quaſcunque inciderent, infauſtum habebatur (b). Exin Auguſti tempore præter conſuetudinem dies intercalatus (c): immo & ſequenti tempore ob impedimentum quodpiam, vel ſacrificium publicum in alium dilatæ (d). Comitia quidem iis haberi poterant, faſti autem ex lege Hortenſia erant dies, quibus ruſticorum lites componerentur (e). Quare cum nono quoque die celebrabantur, Kalendaria Romana ſecundum octo iſtas litteras A B C D E F G H reperimus diſtributa; quia Romani ſuas nundinas, vti Chriſtiani hebdomadas numerabant. Hebdomadales dein ſub Chriſtianis Imperatoribus factas ex inſcriptione antiqua ſub Conſtantino M probat Puteanus (f). Loca autem & vrbes, quæ ius olim nundinarum habuere, ex fruſtro quodam Kalendarii veteris adducit Gruterus (g). Nundinarum enim ius olim a Senatu erat impetrandum (h), ita vt ipſe Claudius hoc a Senatu peteret (i). Ceſſit dein cum aliis ad Principem (k). Epulæ quoque hiſce ſolennes erant, nundinariæ dictæ (l). Tertias quaſque nundinas vocabant trinundinum, Græci *τὴν τρίτην ἀγορὰν*, quibus leges promulgare (m), ſcita & conſulta referre (n), magiſtratum petere (o), iudicia exercere (p),

(a) *XVIII c. III.* (b) *lib. XL. p. m. 142.* (c) Dio *lib. XLVIII p. m. 347.* (d) Dio. *lib. LX p. m. 681.* (e) Macrobius *c. l.* (f) *de nundinis c. XXVI.* (g) *p. CXXXVI.* (h) Plinius *lib. V ep. IV.* (i) Suetonius *Claudio cap. XII.* (k) *lege I π. de nundinis.* (l) *lege LXIX π. pro ſocio.* (m) Cicero *pro domo c. XVI.* (n) Dionyſius Halic. *lib. XI p. m. 698.* (o) Macrobius *c. l.*

re (p), pœnas irrogare (q), debitoribus ſoluendi moram concedere ſolenne erat (r). Itaque nec lex iure lata, nec magiſtratus legitimus cenſebatur, niſi quæ trinundino ante promulgata (ſ).

SACRA PRIVATA

Erant etiam quædam familiarum ſacra propria, a quibuslibet familiis ex vſu domeſticæ celebritatis obſeruata, vti ait Macrobius (t). Gallus Aelius quidem apud Feſtum (u), ſacrum non eſſe dicit, quod priuati ſuæ religionis cauſſa deo faciant, at ſi quæ ſacra priuata ſuſcepta ſint, quæ ex inſtituto pontificum, ſtato die, aut certo loco facienda, ea ſacra adpellari, tanquam ſacrificium. Dicebantur iſta ſacra gentilitia anniuerſaria (x), atque vnius gentis erant. Tale in gente Fabia ſacrificium erat ſtatum in Quirinali quotannis peragendum, (y) quod C. Fabius Dorſus ſtato die per medias Gallorum ſtationes, a quibus dum Roma obſeſſa, egreſſus celebrauit. Quod & alias ſolenne dicitur Fabiæ gentis in colli Quirinali (z). Sic & opinati ſunt aliqui, Fabios iſtos trecentos a Veientibus occiſos, non ex nimia virtutis ſuæ fiducia bellum popoſciſſe, ſed ad patrium ſacrificium profectos inſidiis Veientum fuiſſe interemtos (a). Simile gentis Appiæ ſolenne memoratum videmus apud Halicarnaſſenſem (b). Claudiæ, Aemiliæ, Iuliæ & Cor-

 neliæ

(p) Macrobius *II Saturn. c. XIII.* Plutarchus *Coriolano p. m. 222.* Dionyſ. Halic. *lib. VII p. m. 463.* (q) Gellius *XX c. I.* (r) Macrobius *c. l.* (ſ) Quintilianus *lib. II inſt. orat. c. IV.* (t) *Saturn. I c. XVI.* (u) *voce ſacer mons.* (x) Cicero *de aruſp. reſp. c. XV.* (y) Liuius *V c. LVI.* (z) Liuius *V c. LII.* (a) Dionyſ. Halic. *lib. IX p. m. 577.* (b) *lib. XI p. m. 696.*

neliæ feſta propria memorat Macrobius (c). De Seruiliorum familia Meſſalæ verba adducit Plinius (d), habuiſſe eam trientem ſacrum, cui ſumma cum cura magnificentiaque ſacra quotannis fecerint: quem ferunt alias creuiſſe, alias decreuiſſe videri, & ex eo honorem aut diminutionem familiæ ſignificari. Tantam autem vim hæc ſacra habebant, vt & Q. Fabius Maximus Dictator, cum ſummæ exercitus contra Annibalem præeſſet, a ſacerdotibus ſacrorum cauſſa, Romam reuocaretur (e). Sextum quoque Digitium tribunum militum ſacrificii cauſſa ex Macedonia Romam veniſſe narrat Liuius (f). Ex quo colligimus, caput gentis vt ſacris hiſce intereſſet, neceſſe fuiſſe. Alias ſufficiebat, ſi tres quatuorue ad ſacra pro tota gente peragenda profecti eſſent (g). Peragebantur autem more ſolenni, ab ipſis, qui ex gente; vti de C. Fabio Dorſo Liuius (h), quod ſacra manibus geſſerit, atque omnia ſolenniter peregerit. Atque hæc ſecundum Leges XII Tabb. perpetuo manento, cum & ius pontificium præſcribat (i): *ritus familiæ patrumque ſeruanto*. Quare & in poſteros transferri parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem ait Cicero (k). Sic & natalium fulgurumque ſuſceptiones, item funerum atque expiationum dies inter ferias priuatas, ſingulorum quidem numerat Macrobius (l). *Natales* dies ſolenni cultu celebrabant vel deorum, vel principum atque imperatorum, vel vrbium, vel denique priuato-

(c) *Saturn. I c. XVI.* (d) *XXXIV c. XIII.* (e) Plutarchus *Fabio p. m. 118.* (f) *XLIII c. XI.* (g) Halic. *lib. IX p. m. 578.* (h) *V c. XLVI.* (i) Cicero *II de LI c. VIII.* (k) *de haruſp. reſp. c. XXVII.* (l) *Saturn. I c. XVI.*

Digitized by Google

uatorum. Diis quidem ſuos fuiſſe natales certum, de quo & in ſuperioribus dictum, & confirmat Minutius Felix (m). Vrbs qualibet ſuos natales celebrabat: vti Romæ natalem ſæpius deprædicat Cicero, qui in Palilia vti diximus, incidebat. Quare & natalıtii dicuntur dies vrbium maximarum, Romæ & Conſtantinopolis (n). Principum natales fuiſſe celebratos ſæpius reperimus: vt Auguſti (o), Tiberii, aliorumque. Magnorum ſæpe virorum in atrio ſuo habebant imagines & natalitia celebrabant (p), vti & Horatius (q) de Mecænatis natali:

iure ſolennis mihi, ſanctiorque
pene natali proprio, quod ex hac
luce Mecænas meus affluentes
ordinat annos.

& Plinius iunior (r) Silium poëtam ait Virgilii natalem religioſius quam ſuam colere conſueuiſſe. Priuatis quoque natales proprios celebrare maxime ſolenne erat. Sacrificabant autem illo die quotannis genio (ſ), cui thure meroque faciebant: fœminæ vero Iunoni, vti ſub diis ſupra dictum. Cœnam item celebrandæ lucis annuæ cauſſa dabant amicis atque magiſtris (t). De quo Plautus (u):

mihi hodie natalis dies eſt, decet eum omnes vos concelebrare,
pernam, callum, glandium ſumen, facito in aqua iaciant. ſatin audis?

LII 2 ma-

(m) *Octauio cap. VII & XXI.* (n) *l. II C de feriis.* (o) Suetonius *Aug. c. LVII. Tiberio c. XXVI.* (p) Seneca *ep. LXIV.* (q) *lib. IV ode XI.* (r) *lib. III ep. VII.* (ſ) Cenſorinus *de die natali c. III.* (t) Gellius *XIX c. IX.* (u) *Pſeudolo actu I ſc. II v. 32.*

magnifice volo enim ſummos viros accipere.

& Martialis (x):

ſexcenti cœnant a te Iuſtine vocati,
lucis ad officium quæ tibi prima fuit.

Liberalius quoque ſolito indulgebant vino (y). Nonnunquam ad tale conuiuium ſenatorii atque equeſtris ordinis homines inuitabant, de quo Martialis (z):

Natali, Diodore, tuo conuiua ſenatus
accubat & rarus non adhibetur eques.

quod Cicero dixit natalitia dare (a). Sæpe exhibebant conuiuia publica, quibus dabant cruſtula panis bene cocti, mulſum, ſportulas ſeu ſtipem pecuniariam, oleum & epulas populo, quo ſpectat inſcriptio Spoletana (b).

\- - - TRIB. MIL LEG. XV. APOLLINARIS ET LEG. V MACEDONIC. HIC. LEGAVIT. TESTAMENTO. MVNICIP. HS LXV - - - - VT EX REDITV. EIVS. SVMMAE. QVOD ANNIS. VIII. IDVS NOVEMB NATALE. SVO. MVNICIP. EPVLVM ET CRVST. ET. MVLSVM. DARETVR

& alia Reatina (c):

HIC. ARCAE. AVGVSTALIVM. SE VIVO. HS. SE VIVO. DEDIT XX VT. EX REDITV. EIVS. SVMMAE DIE. NATALI. SVO. IIII KAL. FEBRV. PRAESENTES. VESCERENTVR. ET. OB DEDICATIONEM. STATVAE. DECVRIONIBVS ET. SEVIRIS. ET. IVVENIBVS. SPORTVLAS. ET. POPVLO. EPVLVM ET OLEVM. EADEM. DIE. DEDIT

Ad-

(x) *II ep. LXVI.* (y) Seneca *II de ira c. XXXIII.* (z) *X ep. XXVII.* (a) *Philipp. II c. VI.* (b) Gruterus *p. DLXXI n. 1.* (c) *p. CCCCXIV n. 2.*

Adpellabantur hæc alias, diuiſiones (d). Amici autem præter hæc non proſperrima ſolum adprecabantur (e), ſed & mittebant munera. De quo Martialis (f):

Natali mihi, Quinte, tuo dare parua volebam
munera: tu prohibes, imperioſus homo es.

& leno apud Plautum (g):

facite hodie, vt mihi munera multa huc ab amatoribus conueniant.
Nam niſi penus annuus hodie conuenit, cras proſtituam vos.
Natalem ſcitis mihi diem eſſe hunc.

& epidico: (h)

non meminiſti, me auream ad te afferre natali die?
lunulam atque anellum aureolum in digitum?

quæ adpellabant munera natalitia (i). Inter hæc autem mittebantur quoque aues, quo facit illud Martialis (k):

luce propinquorum, qua plurima mittitur ales
dum Stella turdos, dum tibi Flacce paro.

Eadem quoque ſacra pulte fritilla confici dicit Plinius (l). Ipſi autem homines adaugeri ſibi annos deos precabantur, de quo Martialis (m):

natales mihi Martiæ Kalendæ,
lux formoſior omnibus Kalendis,
qua mittunt mihi munus & puellæ
quinquageſima liba, ſeptimamque

(d) *l. XXIII π. de legatis ann.* (e) Plinius *X ep. LXXXIX.* Symmachus *lib. VI ep. LXXIX. LXXX. LXXXI.* (f) *lib. IX ep. LXV.* (g) *Pſeudolo act. I ſc. II v. 44.* (h) *actu V ſc. I v. 33.* (i) Symmachus *VI ep. XLVIII.* Cenſorinus *de die natali c. I.* Plinius *IV ep. IX.* (k) *lib. IX. ep. LVI.* (l) *XVIII c. VIII.* (m) *X ep. XXIV.*

veſtris addimus hanc focis acerram.
His vos, ſi tamen expedit roganti,
annos addite ter precor nouenos,
vt nondum nimia piger ſenecta,
ſed vitæ tribus areis peractis
lucos Elyſiæ petam puellæ:
poſt hæc tempora nec diem rogabo.

Vota ergo natalium optime exprimit hoc epigramma, quo quinquageſima liba ſe genio offerre dicit Martialis, cum plene transegiſſet annos quadraginta nouem Cum vero ſeptimam acerram ſe addidiſſe ait, ſe ſepties ſeptenos annos emenſum eſſe intelligit, cum annum quadrageſimum nonum, primum κλιμακτῆρα prodidiſſent veteres(n): qui hebdomadibus, ſeu de ſeptenis in ſeptenos annos humanam vitam diſtinguebant. Hisce vero quos iam transegerat, ter nouenos addi cupit, atque dum tribus areis peractis, nec diem ſe rogare velle addit. Per verba autem *vitæ tribus areis peractis* poëta intelligit tria vitæ curricula, vnum quodque annorum viginti quinque, quod cum prioribus conuenit, vbi quinquaginta annis ter nouenos addi cupit; cum ab anno octuageſimo nec poſtulari debere, nec poſſe ab diis impetrari maiorem ætatem innuat Cenſorinus.

(n) Cenſorinus *de die natali c. XIV.* (o) *c, l.*

CAPVT

* * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT DECIMVM

De

SACRIFICIIS ROMANORVM.

INter eos, qui ſacrificiorum Romanorum materiam ſcriptis ſuis illuſtrarunt, primus inter veteres occurrit ATEIVS CAPITO, cuius *de ſacrificiorum iure* libros laudat Macrobius (p). P. NIGIDII FIGVLI *de extis* librum laudat Gellius (q): vtrique tamen inter deperditos. Inter recentiores extat IOANNES GVILIELMVS STVCKIVS, Tigurinus, qui tamen non horum ſolum, ſed & ſacrorum ſacrificiorumque gentilium omnium deſcriptionem dedit *Tiguri* editam *1598 f.* & iterata vice *Lugduni Batauorum 1695 f.* eam tamen nec perfectam, nec ſatis ordinatam, licet multa alias proponat haut proletaria. Collectanea ſunt, quæ iuuenis adhuc *de ſacrificiis veterum* conſarcinauit IOANNES SAVBERTVS *f*, & *Ienæ* edidit *1659. 8* quibus & multa immiſcet aliena. Melius ſuum digeſſit *de ſacrificiis* tractatum, & ad Romana tantum reſtrinxit PAVLVS MERVLA, qui poſt ipſius mortem cum eiusdem aliis prodiit *Lugduni Batauorum 1681. 4* GVILIELMI OVTRAMI *de ſacrificiis* libri duo *Amſtelodami 1688* editi *8.* ad Iudæos potius ſpectant quam Romanos. Singularem demum tractationem *de ſacrificiis* tractatui ſuo de religione adnexit GVILIELMVS CHOVLIVS, e veterum monumentis non male illuſtratam.

Maxi-

(p) *Saturn. III c. X.* (q) *XVI c. VI.*

Maxima Romanis religio poſita in ſacrificiis, licet ex iis quidam veriora adgnouerint. Seneca quidem de Deo ſic loquitur (r) : *Colitur*, ait, *non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque ſuſpenſo, nec in theſauro ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate.* Sacrificia autem Romanorum erant vel *domeſtica* vel *peregrina* : illa Romanis propria, hæc vero ab aliis gentibus petita. Domeſtica vel *manifeſta* erant, quæ conſtabant propalam ; vel *ſecluſa*, Romanis ea dicta ſecundum Feſtum, quæ Græcis dicebantur myſteria, Ciceroni (ſ) dicta initia. Qualia Cereris erant & bonæ deæ. Ex manifeſtis alia erant *quotidiana* & communia, quæ in honorem deorum quorumlibet a ſacerdotibus publicis, priuatæ etiam neceſſitatis cauſſa fiebant ; alia erant *ſtata*, quæ certis & ſtatis diebus agebantur, vti explicat Feſtus ; eademque ſolennia quoque ſacra vocat, & *ſolennes aras* Virgilius (t). Stata autem hæc vel publica erant, vel priuata. *Publica* ſacra Feſtus definit, quod ſint, quæ publico ſumtu pro populo fiant, quæque pro montibus, pagis, curiis, ſacellis: quæ & Labeoni apud eundem dicuntur ſacra popularia. *Priuata* vero ſacra erant, quæ pro ſingulis hominibus, familiis, gentibus fiebant ſecundum Feſtum ; quæ & ſacra familiaria & *gentilitia* alias dicta, quibus non dies magis ſtati, quam loca, quibus fiebant, vti exemplum in gente Fabia adducit Liuius (u) ; & Milonis ſtata ſacrificia adlegat Cicero (x). Virgilio dicta *ſacra annua* (y). *Non ſtata* ſacrificia erant, quorum celebritati certi dies non erant dica-

(r) *ep. CXV.* (ſ) *II de LI c. XIV.* (t) *II Aen. v. 202.* (u) *lib. V c. XLVI.* (x) *pro Milone c. XVII.* (y) *VIII Aeneidos v. 173.*

dicati. *Collatiuum* ſacrificium dicebatur, quod ex collatione offertur; ſeu quod ſumtu priuatorum, a priuatis quibusdam collato fiebat. *Piacularia* ſacra (z) dicebantur, quæ ad placandos expiandosque deos inſtituebantur, ſi quid prætermiſſum atque commiſſum (a); vt ludi minus diligenter facti, & ſimilia (b). Offerebantur autem in ſacrificiis hoſtiæ atque victimæ, quas diſtinctas quidam volunt, ſcriptores tamen antiqui maxime confundunt. Iſidorus quidem (c) hoſtias, veteribus dictas putat eas, quæ fierent antequam ad hoſtem pergerent; victimas vero ſacrificia, quæ poſt victoriam, deuictis hoſtibus, immolabantur. Quod confirmat Ouidius, dum canit (d):

victima quæ cecidit dextra victrice vocatur,
hoſtibus a victis hoſtia nomen habet.

Feſtus hoſtiam putat ſacrificium, quod laribus immolabatur, eo quod hoſtes ab illis arceri putabant, inde quoque ipſos lares Hoſtilios dictos. Alii apud eundem ab hoſtire hoſtias dictas putant, quod veteribus idem ac ferire. Idem Iſidorus quoque auctor eſt (e), maiora ſacrificia fuiſſe victimas quam hoſtias. Hoſtiarum autem duo inprimis fuiſſe genera docet Trebatius primo de religione apud Macrobium (f). Alterum, in quo voluntas dei per exta inquirebatur, alterum, quo ſola anima Deo ſacrabatur, vnde eas *animales* hoſtias vocabant haruſpices, reliquas *conſultatorias*. In offerendis vero hoſtiis certa ſeruabatur differentia, ita vt aliis diis maioribus, aliis lactentibus,

Mmm (g), a-

(z) Liuius *I c. XXVI. XXXI c. XII.* (a) Arnobius *lib. IV p. m. 148.* (b) Cicero *pro haruſp. reſp. c. X.* (c) *VI Origg. c. XVIII.* (d) *I Faſt. v. 335.* (e) *c. l.* (f) *Saturn. III c. V.* Virgilius *V Aen. v. 483.*

(g) aliis maribus, aliis fœminis hoſtiis immolarent (h). Ridet hoc maxime Arnobius (i), vbi ait: *Quæ cauſſa, quæ ratio eſt, vt cum dii immortales ſint vnius ſententiæ, vel vnius debeant eſſe naturæ, generis & qualitatis vnius, non omnibus omnes hoſtiis, ſed quibusdam quidam ſacrorum mulceantur legibus. Quæ eſt enim cauſſa, vt ille tauris deus, hœdis alius honoretur, aut ouibus, hic lactentibus porculis, alter intonſis agnis, hic virginibus buculis, capris ille cornutis, hic ſterilibus vacculis, at ille ingentibus ſcrofis, hic albentibus, ille atris, alter fœminei generis, alter vero animantibus maſculinis.* Ita Macrobius (k) ex Ateio Capitone innuit *Ioui tauro, verre, ariete immolari non licere, taurum enim non niſi Apollini, Neptuno & Marti immolari.* Si quis autem tale quid commiſerit, & hoſtiam contrariam immolauerit, piaculum dare neceſſe habebat. Erant ergo hoſtiæ immolares equus, aſinus, bos, taurus, iuuencus, vacca, vitulus, ouis, agnus, aries, hœdus, veruex, caper, capra, verres, porca, canis: inter quas ouis ob animam placidiorem maxima dicebatur ſecundum Feſtum. Antiquiſſimi quidem Latii populi Saturnum etiam placarunt ſanguine humano, teſte Macrobio (l); abhorruere tamen Romani. Hinc bello Punico ſecundo extraordinaria ſacrificia facta, inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca, in foro boario ſub terra viui demiſſi ſunt in locum ſaxo conſeptum, ibi ante hoſtiis humanis, minime Romano ſacro, imbutum ſcribit Liuius (m). Tale vero ſacrum extraordinarium non fiebat, niſi vel Sibyllæ, vel alio oraculo ediceretur, vti illo loco factum

(g) Liuius *XXXVII c. III.* (h) *II de LI c. XII.* (i) *lib. VII p. m. 224.* (k) *ſat. III c. X.* (l) *Saturn. I c. VII.* (m) *lib. XXII c. LVII.*

ctum videmus. Quare cum Cæſaris iuſſu a pontificibus & Salio duo viri in campo Martio immolarentur, cauſſam ſe eius neſcire ait Dio Caſſius, cum neque Sibylla hoc præcepiſſet, neque aliud in hanc ſententiam oraculum extaret (n). Et Cicero inter alia grauiſſima Vatinio obiicit inaudita ac nefaria ſacra, quæ ſuſceperit cum inferorum animas elicere & puerorum extis deos manes placare fuerit ſolitus (o). Et licet Iouem Latiarem ſanguine cultum chriſtiani velint, inter quos Lactantius (p) & Minutius Felix (q), aliud tamen vel ex adlegato Liuii loco, vel ex Halicarnaſſenſi (r), feriis latinis communem fuiſſe victimam taurum, ſcribente, probari poteſt. Niſi ſequiori ætate Latiarem Iouem ſanguine humano placatum dicamus, quo nos fere ducit Minutius cum ait (ſ): *hodieque ab ipſis Latialis Iupiter homicidio colitur.* Iſte cultus autem conſtabat non in ſacrificio, vti plerique auctoritate patrum ducti putant, maxime verbis Euſebii, (t) qui κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον *in vrbe magna feſto Iouis Latiarii mactatum hominem* ait; ſed in ludis gladiatoriis, vti ex Tertulliano (u) diſcimus: *Ecce* inquit, *in illa vrbe religioſiſſima Aeneadarum eſt Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine, ſed beſtiarii* [*inquitis*] *opinor, hoc minus quam hominis. an hoc turpius, quod mali hominis? at certe de homicidio funditur.* Quare & Prudentius: *funditur humanus Latiari in munere ſanguis.* Iuſtus Ryckius

(n) *lib. LIII p. m. 226.* (o) *in Vatin. c. VI.* (p) *I c. XXI.* (q) *Octauio c. XXI & c. XXX.* (r) *lib. IV p. m. 250.* (ſ) *c. XXX.* (t) *lib. IV de præparat. euang. p. m. 156.* (u) *apologetico c. IX.*

ckius (x) quidem ſatis ingenioſe diuerſum Iouem Latiarium vel Latiarem putat a Latiali, quod huius honori feriæ factæ in monte Albano latinæ ; iſte vero in vrbe Roma ſanguine humano fuerit cultus. Inductus verbis Plinii (y), qui Caruilianum Iouem tantæ amplitudinis fuiſſe ait, vt conſpiciatur a Latiario Ioue. Sed licet Latiari Ioui ſtatuam in vrbe Roma poſitam non negemus, cum & Varro collem Quirinalem aliqua ſui parte Latiarem dictum tradat, ille ipſe tamen fuit, qui in monte Albano alias cultus, cum hic Græcis communi nomine λατιάριος dicatur, vti videmus ex Halicarnaſſenſi (z). Perſtat ita, humani ſanguinis ſacrificium minime eſſe Romanum. Sexus quoque diuerſitas obſeruabatur, ita vt deos mares placarent hoſtiis maribus, vti ex inſcriptionibus fratrum arualium (a) videmus, quæ Ioui marem, Iunoni & Mineruæ vaccam, Genio taurum immolari iubent. Quare Macrobius (b) dum Apollini capris duabus albis ſacrum factum dicit, Græco id ritu factum addit. Sic dicebant porcum fœminam, agnum marem vel fœminam; vti Cicero porco fœmina hæredem piaculum pati dixit (c); quod & pluribus deducit Gutherius (d). Singulis quoque diis ſua propria animalia ; quibusdam certæ naturæ (e). Sus prægnans propria magnæ matris ; telluri ſcropha ingens fœta ; Mineruæ virgini vitula virgo, nullis vnquam ſtimulis, nullis operis exercitata, iniugis hoſtia ; Maiæ ſus prægnans cædebatur. Ipſæ vero hoſtiæ inter ſe varie differebant.

(x) *de capitolio Rom. c. XXV.* (y) *XXXIV c. VII.* (z) *c. l.* (a) Gruterus *p. CXVIII.* (b) *Saturn I c. XVII.* (c) *II de LI c. XXII.* (d) *IV de V I. P. c. XVIII.* (e) Seruius *ad Virgilii II Georg. v. 380. ſaturn. I c. XII.*

bant. *Pura* quidem hoſtiæ tales dicebantur, quæ ad ſacrificium aptæ. Docet id nos Varro (f), vbi de porcis agit; *qui a partu* inquit, *decimo die habentur puri, ab eo adpellantur ab antiquis ſacres, quod tum ad ſacrificium idonei dicuntur primum.* Sacrem porcum vero Verrius apud Feſtum adpellat, qui a partu ſtatim purus. Plinius (g) ſuis fœtum ſacrificio, die quinto purum eſſe ſcribit, pecoris octauo, bouis triceſimo; ruminales autem hoſtias ex Coruncanii ſententia, donec bidentes fuerint, puras eſſe negat. Sic & catulos lactantes etiam puros exiſtimatos placandis numinibus ſcribit (h). Agnum vero ideo ex græco ſic adpellatum ait Feſtus, quod ſit hoſtia pura & immolationi apta. In emendis ad ſacrificia hoſtiis, ſingulare quid erat, vt cum aliis in pecore vendito de eiusdem ſanitate ſpondere tenerentur; lanii, qui Manilii actiones ſequebantur, & ad cultum atque altaria bouem vendebant, hoſtiæ ſanitatem non ſolebant ſpondere (i). Manilia enim quæ de venalibus ſtatuit (k), hoc ita decidebat. Et hoc quidem in priuatis obueniebat ſacrificiis. Publica publico fiebant ſumtu, de quo edicebant pontifices (l). Docet illud Liuius (m), vbi de Pruſia: *munera ei iuſſa dari, & vt victimæ aliaque quæ ad ſacrificium pertinerent; ſeu Romæ ſeu Præneſte immolare vellet, regi ex publico, ſicut magiſtratibus Romanis præberentur.* Et Halicarnaſſenſis (n) ſacra quæ per Sabinorum incurſionem interrupta fuerant, duplo maiori quam antea ſumtu ex Scto inſtaurata fuiſſe ait.

(f) *II de re ruſt. c. IV.* (g) *VIII c. LI.* (h) *XXIX c. IV.* (i) Cato *de R. R. c. V.* (k) Cicero *I de orat. c. LVIII.* (l) Liuius *I c. XX.* (m) *lib. XLV excunte.* (n) *lib. VI p. m. 360.*

ait. Et quidem ex argento plerumque mulctatitio. Inſtitutum enim antiquitus, ait Sinnius Capito apud Feſtum (o), vt dum ciuis necaretur, patrimonium quoque eius fieret ſacrum deo. Clare id innuit Halicarnaſſenſis (p), qui damnatorum bona *κτήματα ἱερὰ* vocat, *ἐξ ὧν αἱ θυσίαι τοῖς θεοῖς ἐγίνοντο poſſeſſiones ſacras, de quibus victimæ fiant diis.* Pecunia enim noxiorum in theſauros relata (q). Declarat illud Feſtus (r), qui ſacramentum definit, quod ſit æs, quod pœnæ nomine penditur, ſiue eo quis interrogatur, ſiue contenditur: ſacramenti autem nomine cur æs illud dici cœptum, hanc addit rationem, quod & propter ærarii inopiam, & ſacrorum publicorum multitudinem illud in rebus diuinis conſumebatur. Nerua vero imperator multa ſacrificia ſuſtulit, quo parceretur ſumtibus (ſ). Aurelianus ſumtus ſacrificii ſolennis, datis ad præfectum ærarii litteris, decerni iuſſit (t). Nonnunquam & certorum ſacrificiorum ſumtus priuati præbebant, qui magnam munificentiæ laudem inde adepti. Quod lapis priſcus docet, qui inter alia ſic habet (u): QVAM IMPENSAM C. CASCELLIO. LABEONI. IN. PERPET. POLLICENTI. GRATIAE. AGANTVR. MVNIFICENTIAE. EIVS. Ipſæ autem hoſtiæ inter ſe diuerſæ erant. *Bidentes* bimas ſeu biennes notabant, nec de ouibus ſolum dicebantur, ſed de omnibus beſtiis bimis (x). *Pecora opima* vt tauri(y),

(o) *voce ſupplicia.* (p) *lib. III p. m. 170.* (q) Liuius *XXXI c. XIII.* (r) *voce ſacramentum.* (ſ) Xiphilinus *lib. LXVIII p. m. 770.* (t) Vopiſcus *Aureliano c. XX.* (u) Gruterus *p. CCXXVIII n.° 8.* (x) Macrobius *VI Saturn. c. IX.* Gellius *XVI c. VI.*

ri (y), boues opimi (z); pinguia erant, & grata maxime habebantur diis. Quo facit inſcriptio apud Gruterum (a): MAGNAS OPIMAS IMMOLARVNT. *Præcidaneæ* hoſtiæ Gellio (b) dictæ, quæ ante ſacrificia ſolennia pridie cædebantur. Hinc præcidanea agna Feſto dicta, quæ ante alias cædebatur & præcidaneam porcam immolare ſolebant, antequam nouam frugem inciderent (c). Hiſce oppoſitæ *ſuccidaneæ*, quæ ſi primis hoſtiis litatum non erat, poſt easdem ductæ cædebantur; & quaſi prioribus iam cæſis, luendi piaculi gratia ſubdebantur (d). Ita de Cæſare Suetonius, quod pluribus hoſtiis cæſis litare non potuerit (e). Quod & augere hoſtias dicebatur (f), & procurare (g). Iniugæ Macrobio (h) ſunt, quæ nullum iugum paſſæ: quales boues iniuges Mineruæ ſacrificari ſolitos ſcribit Fulgentius Planciades (i). Virgilius dixit *intacta ceruice iuuencas* (k) & alio loco (l):

nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos
præſtiterit, totidem lecta de more bidentes.

& Seneca Thyeſte (m) requirit

aris candidum tergo bouem
curuoque nunquam collum
depreſſum iugo

Maio-

(y) Cicero *II. de diuin. c. XVI.* (z) Varro *de Re Ruſt. lib. II c. I.* (a) *p. CXXIV.* (b) *IV c. VI.* (c) Cato *de Re Ruſtica c. CXXXIV.* (d) Gellius *IV c. VI.* (e) *cap. LXXXI.* (f) Suetonius *Aug. c. XCVI.* (g) Capitolinus *Pertinace c. XI.* (h) *Saturn. III c. V.* (i) *de priſco ſermone n. 10.* (k) *IV. Georg. v. 540.* (l) *VI. Aen. v. 38.* (m) *v. 299.*

Maiorum hoſtiarum ſacrificia ex decreto ſenatus ſæpius facta, quales erant perfectæ, quæ opponebantur lactentibus, vti videmus ex Cicerone (n). Lactentium enim certis diis atque neceſſitatibus vſus (o). *Ruminales* hoſtiæ Plinio (p) dictæ fuiſſe videntur ſexus fœminei, eædem ac mammatæ, cum mamma veteribus dicta rumen (q). *Piaculares* hoſtiæ, quæ piaculi luendi gratia cædebantur (r). Quas quidem cum ſuccidaneis easdem facit Gutherius (ſ) ex Plauti loco in Epidico (t):

men, piacularem fieri ob ſtultitiam tuam,
Vt meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum?

ſed ea erat differentia, vt omnes ſuccidaneæ eſſent piaculares, non autem omnes piaculares ſuccidaneæ. *Ambaruales* hoſtiæ ſecundum Feſtum & Macrobium (u) erant, quæ ambarualiorum feſto circum arua ducebantur, de quibus Virgilius (x):

terque nouas circum felix eat hoſtia fruges.

Alias adhuc hoſtiarum differentias notat Feſtus, vtpote *prodigas* dicit, quæ conſumuntur; *cauiares*, quod cauiæ pars hoſtiæ cauda tenus diceretur, & ponebatur in ſacrificio, pro collegio pontificum quinto quoque anno. *Harvigam* dicebant hoſtiam, cuius adhærentia inſpiciebantur exta: *Optatam*, quam ædilis tribunitius, conſtitutis hoſtiis optat ſeu eligit, quam immolari velit, *medialem* atram, quam meridie immolabant. *Aurigem* hoſtiam Varro (y) ex

(n) *II de LL. c. XII.* Liuius *XXVII c. IV & XXIII.* (o) Cicero *c. l.* Liuius *XXXVII c. III.* (p) *lib. VIII c. LI.* (q) *lib. XV c. XX.* (r) Plinius *Panegyr. c. XXXIV.* (ſ) *de V I P. IV c. XX.* (t) *actu I ſc. II v. 36.* (u) *Saturn. III c. V.* (x) *Georg. I v. 345.* (y) *lib. IV de L. L. p. m. 18.*

ex libris pontificalibus dicit, quæ cornua habet. *Regia animalia* quæ fuerint, maxime diſceptatur, quæ Aurelianus in epiſtola ad ſenatum apud Vopiſcum (z) offert: & quidem vel regis animalia, vel pro regis ſalute, vel de regibus victis capta explicant. Nulla autem erant alia, quam quæ inter animalia, vti reges inter homines excellebant; qualia erant leones, aquilæ & ſimilia, quæ ad Imperatorum ſacrificia alias requirebantur (a). Quas Horatius (b) *ſumtuoſas hoſtias* vocat. *Ambegni* ſecundum eundem, in ſacrificiis bos & veruex adpellabantur, cum ad eorum vtraque latera agni in ſacrificium ducebantur: ſic & oues ambegnas dicit Fulgentius (c), quaſi ab vtraque parte agnos habentes. *Conſcta* ſus Feſto eſt, quæ cum omni fœtu adhibebatur ad ſacrificium. *Forda bos* prægnans erat, a ferendo ſic adpellata, vti eſt apud Ouidium (d):

Forda ferens bos eſt, fœcundaque dicta ferendo.

Præterea antiquo more *hoſtia ſi effugiſſet, effugia vocabatur, quæ autem ſuppoſita fuerat, ſuccidanea: ſi grauida, forda: ſi ſterilis Taurea adpellabatur,* inquit Seruius (e). Feſtus vero *bordam* dicit prægnantem, & diem, quo grauidæ hoſtiæ immolabantur, hordicidia. Porcam *auream* atque *argenteam* Ateius Capito dicit, quæ & ſi numero hoſtiarum non ſint, nomen tamen earum habeant; alteram ex auro, ex argento alteram factam adhiberi ſacrificio Cereris. *Idulis* vero ouis eidem dicitur, quæ omnibus idibus Ioui mactabatur. Sacerdotale quoque nomen (f) *eximii* erat, inde dici cœptum, quod in ſacrificiis

 opti-

(z) *c. XX.* (a) Capitolinus *Maximo & Balbino c. XI.* (b) *III ode XXIII v. 18.* (c) *de priſco ſermone n. 10.* (d) *IV Faſt. v. 631.* (e) *II Aen. v. 140.* (f) *Saturn. III c. V.*

optimum pecus e grege eximebatur, vel quod primum erat natum. Eximia enim alias pecora dicebantur, quæ a grege excepta ſunt, ad vſus dominorum ſuorum, vt vberius paſcantur. Sed proprie eximii ſunt porci maiores, qui ad ſacrificandum excepti liberius paſcuntur, inquit Donatus (g). Ita & eximii tauri dicti Virgilio (h). Boues autem ad hoc electi, egregii dicuntur & oues lectæ, vti Virgilius (i) lectas bidentes dixit. Oues autem prius manumittebant, dein nota quadam ac macula ſignabant. Perfectæ enim hoſtiæ & integræ robuſtæque offerendæ erant, quæ omni vitio & morbo carerent, cum neque victimam aut auem vlceroſam vſurparet quisquam rei ſacræ faciundæ gratia, vti ait Plutarchus (k). Hanc in rem inſtituebatur victimarum probatio, de qua optime Plinius (l). *Quamobrem*, inquit, *victimarum probatio in vitulo, vt articulum ſuffraginis contingat: breuiore non litant.* Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis adlatos non fere litare, ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia deos placari, nec trahente. Et Tertullianus apologetico (m): *vt mirer, cum hoſtia probentur penes vos a vitioſiſſimis ſacerdotibus, cur præcordia potius victimarum, quam ipſorum ſacrificantium examinantur.* Mos autem erat ornare victimas & quidem opimas deauratis cornubus, vti canit Tibullus (n):

> *paruaque cœleſtes pacauit mica, nec illis*
> *ſemper inaurato taurus cadit hoſtia cornu*

Plinius (o) tales auratis cornibus hoſtias dicit. Macrobius

(g) *ad Terentii Hecyram act. I ſc. I v. 4.* (h) *IV Georg. v. 538.* (i) *IV Aeneidos v. 57.* (k) *qu. Rom. LXXI.* Hieron. Magius *miſc. lib. IV c. IV.* (l) *VIII c. XLV.* (m) *c. XXX.* (n) *lib. IV el. I v. 14.* (o) *XXXIII c. III.*

us (p) ex veteri Scto Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ fœmina aurata, ſacra facta ſcribit. Dein victimas coronabant, vti ex Luciano (q) videmus, dum ait: *ἀλλ' οἵγε θύοντες, στεφανώσαντες τὸ ζῶον, καὶ πολύγε πρότερον ἐξετάσαντες εἰ ἐντελὲς εἴη, ἵνα μηδὲ τῶν ἀχρήστων τι κατασφάττωσι προσάγουσι τῷ βωμῷ ſacrificantes quidem, coronant victimam, multoque ante explorant, num perfecta ſit, ne quid forte mactent, quod religio repudiat.* Coronabant autem eas infulis atque vittis capiti impoſitis, quæ ex lana fiebant, purpurea quandoque, pura alias & figura triangulari conſtabant, dependentibus ab vtroque latere redimiculis quaſi e globulis contextis, quæ faſciæ dependentes dicebantur tæniæ, ſecundum Virgilium (r): *fit longa tænia vitta.* Licet & hæ ſæpius integram vittam notent. Clarius rem deſcribit Ouidius (ſ), dum canit: *Tab. V n. 27.*

Victima labe carens, & præſtantiſſima forma,
[nam placuiſſe nocet] vittis præſignis, & auro
ſiſtitur ante aras.

Coronæ quoque e ramo arboris cuilibet deo ſacræ, vel nudis vel vittatis iam imponebantur, teſte Plinio (t). Præter hoſtias ipſæ quoque templi fores, ipſæ aræ, ipſi miniſtri (u) & ſacerdotes coronabantur. Ornatæ ita victimæ ducebantur, fune laxo, non trahebantur ad immolationem. Proprium enim ſacrificiorum verbum erat *hoſtias duci,* de quo paſſim ſcriptores atque Ouidius (x):

ducuntur niueæ, populo plaudente, iuuencæ.

 Solen-

(p) *ſat. I c. XVII.* (q) *περὶ θυσιῶν* (r) *VII Aen. v. 352.* (ſ) *XV Metam. v. 130.* (t) *XVI c. IV.* (u) Tertullianus *de corona militis c. X.* (x) *lib. III Am. el. II.*

Solenni quandoque pompa, præeuntibus lictoribus, tibicinibus aliiſque cum tubis & plectro, cum ſolenne fuerit ſacrificium: vti e veterum monumentis (y) diſcimus. Quod in luſtro maxime conſuetum erat, quo & illud moris, vt qui hoſtias ducerent, eligerentur, qui bonis vel proſperis nominibus eſſent (z). Ducebantur vero a popis atque victimariis, qui ſæpe capite incedebant laureato: adhibebantur aliquando pueri ingenui, quin & virgines, patrimi atque matrimi omnes (a); prælatis etiam titulis, cui deo mactandæ eſſent hoſtiæ (b). Adductæ in templum hoſtiæ *aris admoueri* dicebantur, vti *admotas aris hoſtias* dicit Tacitus (c), *admotos templis tauros* Ouidius (d), *admota aris exta* Valerius (e). Ad aras ergo ſi ſtarent (f) probabantur; ſi vero reluctarentur, fugerent, mugitus diros ederent, triſtis ominis res erat. *Obſeruatum enim eſt,* inquit Macrobius (g), *a ſacrificantibus, vt ſi hoſtia, quæ ad aras duceretur, fuiſſet vehementius reluctata, oſtendiſſetque ſe inuitam altaribus admoueri, amoueretur, quia inuito deo offerri eam putabant:* quæ autem ſtetiſſet oblata, hanc volenti numini dari exiſtimabant. Sic & hoſtia ab aris aufugiens dirum omen ante necem dabat Cæſari (h); ante pugnam Pharſalicam Pompeio (i). Diri vero mugitus inter triſtia ſigna æque habebantur. De quo Silius (k):

nec

(y) extat tale apud Caſalium *de ſplendore vrbis & orbis p. III cap. I.* (z) Cicero *de diuinatione I c. XLV.* Plinius *XXXVIII c. II.* (a) Liuius *XXXVII c. III.* (b) Suetonius *Aug. c. LIX.* (c) *II Ann. c. LXIX.* (d) *VII Metam. v. 594.* (e) *lib. I c. II n. 4.* (f) Virgilius *III Georg. v. 386.* Silius *lib. XVI v. 274.* (g) *III Saturn. c. V.* (h) Suetonius *in vita cap. LIX.* (i) Valerius Maximus *lib. I c. VI n. 12.* (k) *lib. V v. 63.*

nec rauco taurus ceſſauit flebile ad aras
immugire ſono: preſſamque ad colla bipennem
incerta ceruice ferens altaria liquit.

Et Ouidius (l):

mugitus victima diros
edidit.

Sacrorum autem eſt, inquit Seruius (m), *vt fugiens victima vbicunque inuenta fuerit, occidatur, ne piaculum committatur, immo quoque ſi tales quæ requirerentur, haberi non poterant,* pro veris ficta, ex pane fictili, ſeu ceris ſupponebantur; quod dicis cauſſa adpellatum ait Pithœus (n). His peractis & debita puritate ſeruata, omnes profani, impii, ſceleribus flagitiisque contaminati procul eſſe iubebantur, vt linguis animoque fauerent, imperabatur, & ſingula obueniebant, quæ in ſacris ſolennibus moris erant, prout capite ſecundo expoſuimus. Hoſtia vero ſtabat ad aram vinculis ſoluta, cum nihil in ſacris vinctum eſſe oporteret (o): faſcia tamen circa tergum hærente, prout monumenta veterum docent. Ara quoque vitta vel frondibus cuilibet deo ſacratis, circumdata erat. De quo Virgilius (p):

affer aquam, & molli cinge hac altaria vitta,

Atque Propertius (q):

terque focum circa laneus orbis eat

Ipſa quoque templa ſic ornabantur. Quare Virgilius (r) templum dixit *feſta fronde reuinctum.* Horatius (ſ):

 hic

(l) *VII Metam. v. 599.* (m) *ad Virgilii II Aeneidos v. 104.* (n) *aduerſ. lib. II c. VIII.* (o) *ad IV Aen. v. 518.* (p) *ecl. VIII v. 64.* (q) *lib. III el. VI v. 6.* (r) *IV Aen. v. 260.* (ſ) *I ode XIX.*

Digitized by Google

hic viuum mihi ceſpitem ; hic verbenas pueri ponite.

Frondes enim quibus aræ circumdatæ, dicebantur *verbenæ*. De quibus Terentius (t): *ex ara hinc ſume verbenas tibi, atque eas ſubſterne.* Et Cicero (u): *cum Ennam venirem, praſto mihi fuerunt ſacerdotes Cereris cum infulis & verbenis.* Victimis quoque tales verbenas impoſitas diſcimus ex Suetonio (x), cum puerum quendam, qui ſe pro ſalute Imperatoris deuouerat, infulatum verbenatumque per vicos agi iuſſit Caligula. Ignem faciebant victimarii (y) ex lignis lectis, quæ ſuis erant dedicata diis (z). Hinc arbores ſacras in ſacrificiis ſolennibus per Dendrophoros deportatas poſteriori maxime tempore, docet nos figura apud Caſalium (a), de ariete licet bellico explicante eodem. Aris autem & candelabra erant adpoſita cum ardentibus candelis. Adſtabant tibicines & citharœdi, qui lyras ſepticordes vel plectra tendebant, & in deorum ſacrificiis cum cantu & longis tibiis præcinebant (b), & ne quid aliud agatur, exaudiaturue monebant (c). Quare & *hoſtias maiores ad præconem & tibicinem immolari*, dicit Cicero (d). Victima autem in ſacrificiis deorum ſuperorum requirebatur alba, quales in agro Faliſco ad Clitumnum fluuium a Plinio (e) deſcriptum alebantur. Hinc Ouidius (f):

ducuntur niueæ populo plaudente iuuencæ,
quas alit campis herba Faliſca ſuis.

Hora-

(t) *Andr. act. IV ſc. IV v. 5.* (u) *VI in Verrem c. L.* (x) *Calig. c. XXVII.* (y) Liuius *XL c. XXIX.* (z) Stuckius *de ſacrificiis p. m. 102.* (a) *in Splendore orbis & vrbis p. III c. I.* (b) Liuius *IX c. XXX.* (c) Plinius *XXVIII c. II.* (d) *de lege agrar. contra Rullum c. XXXIV.* (e) *lib. VII ep. VIII.* (f) *III Am. el. XII.*

Horatius (g) Albanis in herbis creſcentem victimam adpellat. Et quidem, ſi quis impertire velit, conuenientem hoſtiam rebus ſuis immolare neceſſe habebat (h), nec hoſtiam immolare deo, quæ ei non ſacra. Stans ergo ad aram victima luſtrabatur per ſacerdotem aqua pura (i), & vinum inter cornua infundebatur purum. De quo Ouidius (k):

vota ſacerdos
concipit, & fundit purum inter cornua vinum.

In vino vero infundendo vtebantur formula: *macte hoc vino inferio eſto.* De quo Seruius (l): *quoties*, inquit, *aut vas aut vinum ſuper victimam fundebatur, dicebant mactus eſt taurus vino vel thure, hoc eſt cumulata eſt hoſtia, id eſt magis aucta, vt in Pontificalibus, ſacrificantes dicebant deo, macte hoc vino inferio eſto.* Videmus id apud Catonem (m), qui ait: *Iupiter Dapalis, quod tibi fieri oportet in domo, familia mea, culignam vini dapi, eius rei ergo macte hac illaue dape pollucenda eſto, manus interluito, poſtea vinum ſumito. Iupiter Dapalis macte iſtace dape pollucenda eſto, macte vino inferio eſto.* Inferium autem vinum Feſto eſt, quod inferebatur, & quod in ſacrificando infra pateræ labrum imponebatur. Huius rei rationem ex Trebatio reddit Arnobius (n): *inferio* inquit, *verbum ea cauſſa eſt additum, eaque ratione profertur: ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex vſibus eripiatur hu-*

(g) *lib. III ode XXIII.* (h) Cicero *II de diuin. c. XV.* (i) Dionyſius Halic. *lib. VII p. m. 478.* (k) *VII Metam. v. 594.* (l) *ad IX Aen. v. 641.* (m) *de re ruſtica cap. CXXXIV.* (n) *lib. VII adu. gentes p. m. 236.*

humanis. Addito ergo hoc verbo, ſolum erit, quod inferetur, ſacrum nec religione obligabitur caterum. Idque vinum quod ſacrificii cauſſa ex dolio demebatur, dicebatur calpar, vti ſupra ſub vinalibus vidimus. *Adtegrare* e contrario dicebatur vinum in ſacrificiis augere, ſecundum Feſtum (o). Hoſtia cum iam vino eſſet perfuſa, inſpergebatur mola ſalſa, vti Cicero dixit *molam & vinum inſpergere* (p). Et Seneca (q) *taurorum colla ſalſa mola ſpargere.* Dionyſius Halicarnaſſenſis (r) vocat Δημήτρος καρπὸς *Cereris fructus.* Ouidius (ſ):

ſiſtitur ante aras: auditque ignara precantem.
imponique ſua videt inter cornua fronti
quas coluit fruges.

Vocatur alias far pium (t), fruges ſalſæ (u), far toſtum (x). Molæ huius ſalſæ, vti aliarum in ſacris rerum auctor eſt Numa, qui deos fruge colere inſtituit, & mola ſalſa ſupplicare, atque vt auctor eſt Hemina (y), far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet. Putabant enim non eſſe purum ad rem diuinam, niſi toſtum. Adpellabatur quoque ador, ſecundum Feſtum, quod adurebatur vt fiat toſtum. Quare & idem Feſtus molam explicat far toſtum, quod eo molito hoſtiæ adſpergantur. Totam rem late exponit Seruius (z): *Far pium,* inquit, *ita fit: Virgines Veſtales tres maxima ex nonis Maiis A. D. prid. Idus Maias alternis diebus ſpicas adoreas in corbibus meſſuariis ponunt: ſpicas ipſa virgines torrent, pinſunt,*

(o) Paulus Merula *de ſacrificiis cap. III n. 1.* (p) *de diuinatione II c. XVI.* (q) *Oedipo v. 335.* (r) *lib. VII p. m. 478.* (ſ) *XV Metam. v. 132.* (t) Virgilius *V Aen. v. 745.* (u) Virgilius *II Aen. v. 133.* (x) Plinius *XVIII c. II.* (y) apud Plinium *c. l.* (z) *in VIII Ecl. v. 82.*

ſunt, molunt, atque ita molitum condunt. Et eo farre virgines ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Veſtalibus, Idibus Septembribus, adiecto ſale cocto & ſale duro. Igitur quod in ſacris mola caſta dicitur : Proprie hoc dicebatur *immolare*, quod ſecundum Feſtum, eſt mola, id eſt farre molito & ſale hoſtiam perſperſam ſacrare: quod a mactare non ſolum re ipſa differebat, ſed in eo etiam, quod immolare competeret tantum magiſtratibus, atque ſacerdotibus; illud mactare poparum & victimariorum erat proprium. Videmus id apud Ciceronem (a), qui ait : *cum Sylla in agro Nolano immolaret ante pretorium:* & ſecunda in Rullum (b) ſcribit, *maiores hoſtias a Conſulibus ad præconem & ad tibicinem immolari.* Sic & Liuius de C. Cornelio conſule, quod immolaſſet bouem (c). Atque hæc in ſolennibus ; in publicis vero omnem rem peragebant ſacerdotes ; in priuatis ipſe qui ſacrificium offerebat, immolabat (d), inde immolator dictus Ciceroni (e), licet exemplaria quædam pro *immolatoris, immolantis* legant. Ii vero qui ſacrificabant, *facere* dicebantur : vt *agna Ioui facit* dixit Varro (f), & *pro frugibus facere* Virgilius (g), & ex eo Macrobius (h) : *hoſtia rite diis fieri*, dixit Liuius (i) & in ſacris bonæ deæ pro populo fieri dicebatur. Inde & dicebantur *operari*, vti eſt apud Tacitum (k) : *nox eadem lætam*

(a) *I de diuinatione c. XXXIII & lib. VI ad Fam. ep. VII.* (b) *c. XXXIV.* (c) *XLI c. XV.* (d) Cicero *II de inuentione c. XXXI.* (e) *II de diuinatione c. XV.* (f *lib. V de L. L. p. m. 33.* (g) *ecloga III v. 77.* (h) *Saturn. III c. II.* (i) *XXVII c. XXV.* (k) *II Ann. c. XIV.*

Germanico quietem tulit, viditque ſe operatum, & ſanguine ſacro reſperſa prætexta. Et Horatius (l):

> *vnico gaudens mulier marito*
> *prodeat, iuſtis operata diuis.*

Sacrificaturi pura veſtimenta habebant, vti canit Virgilius (m):

> \- - - *puraque in veſte ſacerdos*
> *ſetigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem*
> *attulit.*

Sacerdotes quidem cum capite ac lituo, ſeu lituum manu tenentes, apicem in capite, vti ex nummis Cn. Piſonis adparet, conſpiciebantur, & capite velato victimam cædebant (n). Reliqui qui ſacrificio intererant puris induti erant veſtibus. Inde ſacerdos, vel qui ſacrificaret, circumacto corpore, peractis precibus, conuerſus ad ortum, ſeceſpita radebat victimam a fronte ad caudam. Adſtabant ſacrificiorum miniſtri, popæ & victimarii, qui ſuccincti erant (o), vti canit Propertius (p):

> *illa dies hornis cædem denuntiat agnis.*
> *ſuccinctique calent ad noua lucra popæ:*

ſæpe & laureati cum vagina, inſtrumentis ſacrificalibus referta a latere, vti monumenta nos veterum docent, in quibus etiam adſtantes videmus Camillos, cum vitta vel mitella in capite. Et quidem victimam cæſurus agone? exclamabat, teſte Ouidio (q):

> *Nominis eſſe potes ſuccinctus cauſſa miniſter,*
> *hoſtia cælitibus quo feriente cadit.*

Qui

(l) *III ode XIV.* (m) *XII Aen. v. 169.* (n) *X c. VII.* (o) Suetonius Caligula *cap. XXXII.* Ouidius *IV Faſt. v. 413.* (p) *lib. IV el. IV.* (q) *I Faſt. v. 319.*

Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros
ſemper agone rogat, nec niſi iuſſus agit.

& Aſinius Pollio facete hac voce ludens irridet Triario, dum inquit: *filius ceruicem porrigat, carnifex manum tollat, deinde reſpiciat ad patrem, & dicat Agon? quod fieri ſolet victimis* (r). Iuſſus ita victimam ſecuri vel malleo feriebat (ſ), & dum iubebant, ſolenni verborum formula HOC AGE vtebantur (t). Ferire autem & percutere propria vox erat, poëtis non infrequens (u); vt eſt apud Ouidium (x):

feriuntque ſecures
colla toroſa boum vinctorum cornua vittis.

Percuſſa vero hoſtia dicebatur cadere, de quo Virgilius (y):

multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra;

& Propertius (z):

& cadat ante meos icta iuuenca focos.

Iacenti hoſtiæ cultrarii cultros ſupponebant, eandemque iugulabant & cruorem pateris excipiebant. De quo Virgilius (a):

ſupponunt alii cultros, tepidumque cruorem
ſuſcipiunt pateris,

quo dein aræ adſpergebantur. Eam dein cultris ſuis excoriabant popæ & ſeceſpita diſſecabant, atque viſcera aperiebant (b) turba interim adſtante atque ſpectante. De quo Ouidius (c):

Ooo 2 *vina*

(r) Seneca *lib. II controu. XI.* (ſ) *lib. VII p. m. 478.* (t) Suetonius *Calig. c. LVIII & Galba c. XX* (u) Paulus Merula *de ſacrificiis cap. III n. 6.* (x) *XII Metam. v. 430.* (y) *I Aen. v. 338.* (z) *lib. IV el. VI v. 2.* (a) *VI Aen. v. 248.* (b) Halic. *c. l.* (c) *II Faſt. v. 654.*

Digitized by Google

vina tenent alii, libantur ſingula flammis,
ſpectant & linguis candida turba fauent.

Aruſpices vero exta adhuc palpitantia conſulebant, maxime cor, iecur, pulmonem, lien, renes, linguam; an ſana, integra & vegeta, an vero morbida, pallida, languida, liuida aut prorſus aberant, idque coram populo pronuntiare debebant. De quo Ouidius (d):

percuſſaque ſanguine cultros
inficit in liquida prauiſos forſitan vnda
protinus ereptas viuenti pectore fibras
inſpiciunt, menteſque deûm ſcrutantur in illis.

Triſte vero omen in ſacrificiis deſcribit idem, dum ait (e):

mugitus victima diros
edidit, & ſubito collapſa ſine ictibus vllis
exiguo tinxit ſubiectos ſanguine cultros.
Fibra quoque ægra notas veri, monituſque deorum
perdiderat, triſtes penetrant ad viſcera morbi.

Atque hoc tempus, quod inter cæſas victimas, quod mane fiebat, intererat, & porrectas veſperi diis partes, dicebatur inter cæſa & porrecta (f). Bona pronuntiata exta educebantur ſeceſpita, & abluta lixabantur in olla, vel veru (g) & ex ſingulis aliiſque membris, quædam fumantia adhuc, farina conſpergebantur. Varro enim apud Nonium (h) inquit, *in Romanorum ſacris liba cum ſunt facta, incerni ſolent farris ſemine ac dicere ſe ea februare, id eſt pura facere.* Ex hiſce primitias in caniſtro offe-

(d) *XV Metam. v. 134.* (e) *VII Metam. v. 599.* (f) Varro *lib. V de LL. p. m. 35.* (g) Varro *lib. IV de L. L p. m. 38.* (h) *cap. II n. 355.*

Digitized by Google

offerebant ſacrificantibus (i), quæ exinde proſecabant, vti de Octauio vno ex Auguſti progenitoribus Suetonius (k): *cum forte Marti rem diuinam faceret, nunciata repente hoſtis incurſione, ſemicruda exta rapta foco proſecuit.* Quare & exta dicta putat Paulus ex Feſto, quod ea diis proſecentur, quæ maxime exſtant eminentque. Hinc proſecta explicat Nonius (l) exta, quæ aris dantur ex fibris pecudum inſecta. Eadem ratione hoſtiæ exta proſecare dixit Liuius (m). Quæ vox ſæpius occurrit apud poëtas, vt apud Statium (n):

vbi aduerſo dederat proſecta tonanti
& caput iratus rediens quaſſabat ab extis.

& Lucanum (o)

ſi pectora plena
ſæpe dedi, laui, calido proſecta cerebro.

Arnobius (p) dixit *proſicias*; antiquitus autem *inſicia* dicta innuit Varro (q). Eadem quoque ablegmina ex Feſto vocat Paulus, ſeu partes extorum, quæ immolabantur diis, & Strebulas idem Feſtus lingua Vmbrorum dictas innuit partes carnium ſacrificatarum. Antiquitus quidem non niſi plene cocta diis reddebantur, poſt etiam ſemicocta & ſemicruda. De quo Arnobius (r): *cum Romulo Pompilioque regnantibus percocta plane ac madida diis cremarentur exta: nonne rege ſub Tullo cœpiſtis & leuiter cremata porricere priſca obſeruatione contemta;* & porro: *modo bis aſſa, modo cruda ponuntur ſemicocta & ſemicru-*

(i) Dionyſ. Halic. *lib. VII p. m. 479.* (k) *in vita Auguſti cap. I.* (l) *cap. III n. 179.* (m) *V. i. XXI.* (n) *V Theb. v 641.* (o) *lib. VI v. 708.* (p) *lib. VII p. m. 231.* (q) *lib. IV de L. L. p. m. 19.* (r) *lib. II p. m. 91. & c. L.*

micruda. Omnibus hoc modo paratis, ignis accendebatur. Quo facit Ouidius (ſ):

ligna ſenex minuit, conciſaque conſtruit alte,
& ſolida ramos figere pugnat humo,
tum ſicco primas irritat cortice flammas
ſtat puer, & manibus læta caniſtra tenet.

Struebatur autem ex lignis lectis & cuilibet deo ſacris, quare & *ſanctos ignes* vocat Virgilius (t), *ignem pium* Ouidius (u). Exta vero lancibus impoſita inferebant aris, offerebantque diis. De quo Virgilius (x):

In flammam iugulant pecudes, & viſcera viuis
eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras

& alio loco (y):

lancibus & pandibus fumantia reddimus exta,

Hoc autem exta diis dare, (z) imponere (a), reddere (b), porricere (c), dicebatur, de quo exempla paſſim. Ter autem circa aram fuiſſe lata exta priusquam porricerentur, videmus ex Statio, vbi canit (d):

ter circum acta pyras ſancti de more parentis
ſemineces fibras & adhuc ſpirantia reddit
viſcera. Et Virgilius in perſona Didonis (e):
ante ora deûm pingues ſpatiatur ad aras.

Superfundebantur etiam extis ardentibus ſæpe thura & merum, vti canit Martialis (f):

nos

(ſ) *II Faſt. v. 647.* (t) *III Aen. v. 405.* (u) *V Triſt. el. VI v. 4.* (x) *XII Aen. v. 214.* (y) *II Georg. v. 194.* (z) Liuius *XXIII c. XXIV.* Cato *de R.R. c. CXXXIV.* Varro *I de R.R. c. XXIX.* (a) *VI Aen. v. 253.* Silius *IV v. 769.* (b) *II Georg. v. 194.* Tacitus *IV Hiſt. c. LIII.* Suetonius *Aug. c. I.* (c) Macrobius *III Saturn. c. II.* (d) *IV. Theb. v. 466.* (e) *IV Aen. v. 62.* (f) *lib. XI ep. LVII v. 6.*

nos tamen exta Ioui, thura merumque damus.

Quare & thura vinaque ſæpius apud ſcriptores coniuncta (g) quod *vinum altaribus ſuperfundere*, dixit Arnobius (h), *aras mero ſpargere* Seneca (i). Arnobius (k) *caſorum* inquit, *ſanguinem animalium damus, non thura, non fruges ſalſas, non denique vinum liquens paterarum effuſionibus inferimus*. Et alibi (l) : *pari more poſt ſolitos victus liborum & pultium hoſtiarumque cæſarum quo putreſiat facilius & percoquatur cibus, frequentiſſime irrigant accipiuntque ſe vino.* Purum autem vinum requirebatur (m), cum ſpurcum vinum ſacris adhibere non liceret, quale erat cui aqua admixta, quod defrutum aut igne tactum eſt, muſtumue antequam deferueſcat, ſecundum Feſtum. Sic & vina ex imputata vite diis libare nefas (n), aliaque polluta vti narrat Plinius (o). Frutices quoque, frondes, virgas, ramosque ex arbore cuilibet deo ſacra, ſeu verbenas aris imponebant, easque adolebant. De quo Virgilius (p) : *verbenasque adole pingues*. Quod ſi in ſacrificio omnia feliciter eueniſſent, litaſſe dicebantur (q), quod ſecundum Macrobium (r), nihil aliud eſt, quam ſacrificio facto placare numen. Senecæ (s) dicitur *caſis litare victimis numen.* Quare & Nonius Marcellus (t) hoc diſcrimen inter litare & *ſacrificare* ſtatuit, quod ſacrificare ſit veniam petere ; *litare* propitiare & votum impetrare. Hinc litatio-

(g) Liuius X° *c. XXIII.* (h) *lib. VII p. m. 230.* (i) *Octauia v. 699.* (k) *lib. VI ineunte.* (l) *lib. VII p. m. 220.* (m) Plinius *XIV c. XII.* (n) Plinius *XIV c. II.* (o) *c. I.* (p) *ecl. VIII v. 65.* (q) Virgilius *IV Aen. v. 50.* Ouidius *XV Metam. v. 794.* (r) *III Sat. c. X.* (ſ) *Octauia actu IV ſc. I v. 756.* (t) *cap. X n. 12.*

Digitized by Google

tionem & propitiationem coniungit Macrobius (u). Quandoque proſpere & egregie (x), vel perlitaſſe (y) dicebantur. Id quidem cum exta nihil portendiſſent, & nidores, ſiue καπνοὶ τῶν θυσιῶν vti adpellat Heſychius, in cœlum euolarent. Sacrificare autem & non litaſſe malum ſacrificii notabat euentum. Exemplum in Cæſare præbet Suetonius (z), qui pluribus hoſtiis cæſis, cum litare non poſſet, introiit curiam, ſpreta tamen religione. Adpellabant hoc pacem deûm non impetrari, vt eſt apud Liuium (a): *hoſtiæ maiores ſine litatione cæſæ, diuque non impetrata pax deûm*: ſiue quod antea dixerat, *diu non perlitatum* (b). Quare & hoſtibus ſuis rem diuinam facientibus, ne litarent, optabant (c). Piaculi autem luendi cauſſa ſecundas, tertias & plures hoſtias ſuccidaneas cædebant, vsque ad litationem (d), quod & augere hoſtias dicebant (e). Exemplum in Cæſare adfert Florus (f), qui nec centum victimis litare poterat. Ridet hoc ipſe Cicero (g) dum ait: *quid cum pluribus diis immolatur, qui euenit, vt litetur aliis, aliis non litetur. Quæ autem inconſtantia deorum, extis vt primis minentur, extis bene promittant ſecundis*. Id quod credere nos ſinit, fraudibus plerumque victimariorum id factum, qui ex extis aliqua ſubduxerunt, quo plures ſibi procurarent ſuccidaneas. Mactatis autem rite hoſtiis, diisque oblatis, & extis conſultis, precibus omnia finieban-

(u) *II in ſomn. Scip. c. VIII.* (x) Liuius *VIII c. IX.* (y) Liuius *XXXVI c. 1. XLI c. XV.* (z) *in vita Cæſaris c. LXXXI.* (a) *XXVII c. XXIII.* (b) *VII c. VIII.* (c) Spartianus *Didio Iuliano c. IV.* (d) Liuius *XLI. c. XV.* (e) Suetonius *Aug. c. XCVI.* (f) *IV c. II.* (g) *II de diuin. c. XVI.*

Digitized by Google

bantur, obſeruatis iis ſolennibus, quæ alias poſt ſacra erant conſueta. Peractis & hisce ſacerdotes & qui interfuerant, reliquias inter cantus & ſaltationes conueſcebantur, quod dicebatur viſceratio (h). Deſcribit eam Virgilius (i):

Tum lecti iuuenes certatim araque ſacerdos
viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris
dona laboratæ Cereris, Bacchumque miniſtrant.
Veſcitur Aeneas, ſimul & Troiana iuuentus,
perpetui tergo bouis & luſtralibus extis.

Et Ouidius (k):

Spargitur & cæſo communis terminus agno,
nec queritur, lactens cum ſibi porca datur.
Conueniunt celebrantque dapes vicinia ſimplex:
& cantant laudes Termine ſancte tuas.

Quidquid enim in templum inferebatur, illud ſacrorum erat & profanum dicebatur (l), quaſi fani factum. *Profanatum vero quod in ſacrario pollutum. Atque inde Herculi decuma data ab eo eſt, quod ſacrificio quodam fanatur, id eſt, vt fani lege fit, id dicitur pollutum, quod a porriciendo eſt fictum,* inquit Varro. Quæ enim eſculenta vel potulenta diis vel decimæ, vel cuiuscunque rei alius ratione offerebant, illud dicebatur pollucere (m): pollutum vero profanabatur ſeu in templo manebat, & a ſacerdotibus conſumebatur. Talem ſacerdotum cœnam polluctum vocat Plinius (n) & cœnam ad puluinaria. Quales tum opiparæ eſſent & ſplendidæ, factum vto-

Ppp

(h) Seneca *ep. XIX.* (i) *VIII Aen. v. 179.* (k) *II Faſt. v. 655.* (l) Varro *de L. L. lib. V p. m. 38.* (m) Feſtus *voce pollucere.* Cato *de R. R. c. CXXXII.* Macrobius *Sat. III c. XII.* (n) *XXXII c. II.*

Digitized by Google

vt omnes cœnæ lautiores dicerentur cœnæ pollucibiles (o), & pollucibiliter obſonare eadem ratione Plautus (p) dixit. Chriſtianis dicebatur *profana cœna*, vel cœnare in idolio (q).

DIVERSITAS SACRIFICIORVM

Sed diſtinctæ quoque erant ſacrificiorum ſpecies, pro hoſtiarum ratione diuerſæ. HECATOMBEN quidem bello contra Cimbros vouit C. Marius (r). Imperatorum ſacrificium erat, quod Iulius Capitolinus ita deſcribit (ſ): *centum aræ vno in loco ceſpititiæ extruuntur & ad eas centum ſues, centum oues mactantur: Iam ſi imperatorum ſacrificium ſit, centum leones, centum aquilæ, & cætera huiusmodi animalia centena feriuntur* quod Tacitus (t) effert per cæſas victimas regium in morem. Bello Punico ſecundo bubus Ioui trecentis ſacrificatum ſcribit Liuius (u). SVOVETAVRILIA corrupte Solitaurilia ſacrificium erat, quod fiebat luſtrationis cauſſa & conſtabat ſue, oue atque tauro (x). In marmore antiquo apud Gruterum (y) dicuntur Suouetaurilia maiora. Maſcula tamen vt ſint animalia, aries ſcilicet, taurus & verres requirebatur, auctore Feſto. Halicarnaſſenſis quidem hircum pro ſue ſupponit, quem tamen emendat Rubenius (z). Sacrificium hoc variis in rebus vſitatum. Ita peracto cenſu, luſtrabantur eodem ex inſtituto Seruii Tullii Romani, quod factum in campo

po

(o) Macrobius *III Saturn. c. XVII.* Symmachus *VI ep. LXXI.* (p) *Moſtell. I ſc. I v. 23.* (q) *concil. Ancyrano c. IV & Gangr. c. II.* (r) Plutarchus *Mario p. m. 420.* (ſ) *Maximo & Balbino c. XI.* (t) *II hiſt. c. LXX.* (u) Liuius *XXII c. X.* (x) Dionyſ. Halic. *lib. IV p. m. 225.* (y) *p. CXXI n. 1.* (z) *electt. I c. XI.*

po Martio ab iis, qui ſanctiſſimum magiſtratum gerebant, ſine dubio a pontificibus, hoſtiis ter circa caſtra ductis, vti hunc ritum deſcribit Liuius (a) & Halicarnaſſenſis (b). Sic & Suouetaurilibus Marti piaculum fieri ex iure Pontificio docet Liuius (c). Quod & in luſtratione pro frugibus confirmat Cato (d). Quo etiam ſpectant ambarualia, de quibus ſupra diximus. Vitellius ob felicem belli euentum in Aſia dedit ſuouetaurilia (e). Non minor quoque horum vſus in ædium ſacrarum luſtrationibus. Ita reſtituti ſub Veſpaſiano Capitolii aream ſuouetaurilibus luſtratam memorat Tacitus (f). Quo facit & inſcriptio Fratrum Arualium apud Gruterum (g): HVIVS. OPER. PERFECTI. CAVSA. LVSTRVM. MISSVM. SVOVETAVRILIB. MAIORIBVS. Ex qua etiam videmus, luſtrationis cauſſa per fratres aruales ſæpe factum hoc ſacrificium: TAVROBOLIVM ſacrificium dicebatur taurorum, proprium maxime matri Idææ & Græco ritu fiebat; ac Criobolium Attidi (h). Hinc frequentes inſcriptiones MATRI DEVM TAVROPOLIVM FECERVNT (i). Pro ſalute fiebant hæc taurobolia; quod teſtantur inſcriptiones (k).

PRO SALVTE. IMP. M.
ANTONI. GORDIANI. PII. FEL
AVG. ET. SABINAE. TRANQVILLINAE
AVG. TOTIVSQVE. DOMVS. DI
VINAE. PROQVE. STATV. CIVI

 TATIS

(a) *I c. XLIV.* (b) *c. I.* (c) *VIII c. XI.* (d) *de R. R. c. CXLI.* (e) Tacitus *VI Ann. c. XXXVII.* (f) *Hiſt. IV c. LIII.* (g) *p. CXXI n. I.* (h) Lampridius *Elag. cap. VII.* (i) Gruterus *p. XXVIII XXIX. XXX.* (k) Gruterus *p. XXX n. 1.*

TATIS. LACTORATEN
TAVROPOLIVM. FECIT. ORDO
LACT.

Mos enim erat, vt per hocce ſacrificium luſtrarentur & pro more gentili expiarentur. Quem ritum late deſcribit Prudentius (l). Summus enim ſacerdos taurobolinus acta ſub terram ſcrobe in profundum conſecrandus mergebatur, ipſe cinctu Gabino indutus & infulatus. Scrobs iſta tabulis ſuperne ſtrata vndique perforatis. Hinc taurus ingens mactabatur, cuius ſanguini per tabularum foramina effluenti ad omnes corporis partes ſe exponebat ſacerdos, atque ita ſanguine rigens educebatur viſu horridus. Tantæ efficaciæ hoc eſſe putabant, vt eo renaſci ſe crederent. Hinc inſcriptio apud Gruterum (m): TAVROBOLIO CRIOBOLIOQVE IN AETERNVM RENATVS. Non enim iterabantur niſi poſt viginti annos, vt eſt in inſcriptione (n): ITERATO. VIGINTI. ANNIS. EX. PERCEPTIS. TAVROBOLIIS. VI. ARAM. CONSTITVIT. Quare diuerſas videmus inſcriptiones; aliæ taurobolium feciſſe teſtantur, aliæ accepiſſe. Faciebant quidem, qui ſuas hoſtias immolabant, accipiebant qui eo renaſci dicebantur. Hinc & tauroboliari dicebantur, qui ſacra hæc peragerent; taurobolinus, qui eodem conſecrabatur. (o) Locus in quo factum hoc ſacrificium, dicitur in marmore PETRA TAVROBOLIATA (p). Tauri quoque cornua hoc ſacrificio facto conſecrata fuiſſe teſtatur inſcriptio apud Gruterum (q): SEVERVS. IVLI. FIL. VIRES. TAVRI. QVO.

(l) *in Romano v. 1011.* (m) *p. XXVIII n. 2.* (n) Gruterus *p. XXVIII n. 5.* (o) Lampridius *Elag. c. VII.* (p) Reineſius *inſcript. p. m. 86.* (q) Gruterus *p. XXX n. 5.*

QVO. PROPR. PER. TAVROPOL. PVB. FAC. FECERAT. CONSECRAVIT. Aegobolium vero immolatio capræ erat, vti pro Aenobolium in marmore priſco legit Reineſius (r).

SACRIFICIVM THVRIS, VINI, ET LIBORVM.

Sæpe etiam ſine ſanguine ex Numæ inſtituto ſacra faciebant diis, id quod thure & vino ſiue *thure & mero ſupplicare* (ſ) dicebant. Quod & adpellabant thura vinumque dare (t), thura ferre (u). Dabantur autem non niſi thura maſcula, canente Virgilio (x):

verbenasque adole pingues, & maſcula thura,

cum religioni tributum, ne ſexus alter vſurparetur (y). Aliter autem thura ferebant ditiores, aliter ii, quorum curta erat ſupellex. Ditiores quidem thuris ingerebant aceruos. Ita Martialis (z) queritur:

Conſumſi ſalſasque molas & thuris aceruos.

Et Tibullus thuris aceruos Iunoni a puella dari fingit (a): quod & dicebant thura dare *plena acerra* (b), quod Ouidius dixit *plena lance* (c) vel *lance grandi* (d). Pauperiores thuris tantum grana (b) diis dabant, quod micas thuris dicit Plinius (e), licet mola ſalſa ſupplicantibus

(r) *p. m. 212.* (ſ) Plinius *lib. X cp. XCVII.* (t) Virgilius *VIII Aen. v. 107.* Valerius Max, *lib. I c. I.* Martialis *lib. XI ep. LVII v. 4.* (u) Propertius *lib. II el. XIV.* (x) *ecl. VIII v. 65.* (y) Plinius *lib. XII c. XIV.* (z) *lib. VII. ep. LIV v. 5.* (a) *lib. IV el. IV.* (b) Horatius *III Carm. od. VIII v. 2.* Virgilius *V. Aen. v. 745.* (c) *IV de Ponto el. IX v. 33.* (d) Ouidius *lib. IV de Ponto el. VIII.* (e) *XII c. XVIII.* Plautus *Pænulo actu II ſcen. II v. 3.*

tibus deos eſſe placatiores velit, quam quæ per ſingulas micas darentur (f). Dabantur autem hæc thura ſummis digitis duobus aut tribus, vti videmus ex Lactantio (g), dum ait:. *nam cruciari atque interfici malle, quam thura tribus digitis comprehenſa in focum iactare: tam ineptum videtur, quam in periculo vitæ alterius animam magis, quam ſuam curare.* Et Prudentius (h) canit:

ſi modicum ſalis, eminulis
thuris & exiguum digitis
tangere virgo benigna velis.

Propria vox ſacrificiorum erat *libare*, quod de vino proprie dicebatur, dum offerebatur diis (i). Dicebantur enim vinum libare qui leuiter id guſtabant, & adſtantibus circum ad pitiſſandum præbebant, qui inde præſultores dicti, ſecundum Feſtum. Hinc & Virgilius (k):

& ſacer impleuit dextram ſcyphus ocyus omnes
in menſam læti libant, diuosque precantur.

Videmus id ex Salluſtio (l) quoque, vbi Catilinam cum ad iusiurandum populares ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem vino permiſtum in pateris circumtuliſſe ait, indeque omnes deguſtauiſſe, addens: *ſicuti in ſolennibus ſacris fieri conſueuit.* Libatio inde dicebatur vini, mulſi, ſiceræ, aquæ, lactis, olei aut alterius alicuius liquoris ex vaſe effuſio, vel in aram ſeu victimas, vel in terram, certis adhibitis cæremoniis atque precibus, in dei deorumque honorem olim facta. Inde latinis vinum dare, fundere, vergere idem ac libare (m). Alia tamen ab

(f) Plinius *XII c. XVIII.* (g) *V c. XIX.* (h) *hymno in laudem Eulaliæ v. 122.* (i) Feſtus *voce vinum.* Plinius *XIV c. XIV.* (k) *VIII Aen. v. 278.* (l) *b. Catil. ſ. XXII.* (m) Stuckius *de ſacrificiis p. m. 132.*

ab his liba, quæ placentæ erant ex farre & melle, dictæ quod libarentur, priusquam eſſent coctæ (n). Græcis dicta πέλανοι Hinc liba Cerealia, πέλανοι Δημήτριος (o), quæ in aris deorum amburebantur (p). Addebatur & mel aliaque dulcia, vti canit Ouidius (q):

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen
libaque quod ſanctis pars datur inde focis.
Liba deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem
gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

A Libero enim patre ſiue Baccho primitus denominata. Dicta alias & libamenta ſacrificiorum (r) & libationes ſacerdotis (ſ). Dicebatur etiam libare, cum frugum primitiæ diis offerrentur, vt eſt apud Tibullum (t):

& quodcunque mihi pomum nouus educat annus
libatum, agricolæ ponitur ante deo.

Et dum de ſingulis quædam delibarentur, quæ diis offerrent, libare ſæpius dictum pro ſacrificare. Quare Liuius (u) dixit *libare diis dapes.* Ipſa quoque profecta dicebantur liba, quorum non vnam eandemque formationem eſſe dicit Arnobius (x). Immo obſcura erant nomina, quæ ex eodem partim haurimus. Refert enim huc carnem ſtrebulam, quæ taurorum e coxendicibus ſumitur, palpamenta non aſſa, quæ in verubus exta ſunt, animata prius & torrefacta carbonibus: ſalſamina denique, quæ ſunt vna commixtio quadrinis copulata de frugibus, & fendicas quæ & ipſæ ſunt hiræ, quas plebis ora-

(n) Varro *de L. L. lib. IV p. m. 19.* (o) Halic. *lib. IV p. m. 207. lib. II p. m. 134.* (p) Plinius *XXXVII c. X.* (q) *III Faſt. v. 733.* (r) Cicero *II de L I c XII.* (ſ) Cicero *de baruſp. reſp. c. X.* (t) *lib. I el. L.* (u) *XXXIX c. XLIII.* (x) *lib. VII p. m. 230.*

oratio ilia ſolet nuncupare ; magmenta & augmina, & mille ſpecies farciminum. Sic & Varro (y) *farcimina in extis adpellata* ait, quod *in eo tenuiſſimum inteſtinum fartum. Hila ab hilo dicta, id eſt minimo : quod in hoc farcimine ſummo quiddam eminet, ab eo quod vt in capite apex, apexabo dicta. tertium fartum dictum longabo, quod longius quam duo hila. Agumentum quod ex immolata hoſtia deſectum in iecore imponendo agendi cauſſa : magmentum a magis, quod ad religionem magis pertinet.* Alia erant pultium nomina, ſed genere & qualitate diuerſa (z), vt fitilla, frumen & quæ his adfinia; africia, gratilla, catumeum, conſpolium, cubula. Sacra etiam priſca atque natalium pulte fitilla confici ait Plinius (a). Hæc autem omnia atque ſingula quæ offerebantur diis, dicebantur *dona* ; vti talia deſcribit Nonius (b), quæ aut propitiandis diis dantur aut hominibus pro benefactis redduntur. Quare & Virgilius dixit *dona aris imponere* (c), *onerare donis templa* (d), *cumulare altaria donis* (e). In quibus vtebantur ſolenni verborum formula, *accipe libens* : vt eſt apud Tibullum (f) : *magne geni cape thura libens.* Seneca (g) :

generis noſtri Iupiter auctor
cape dona libens.

Singula autem fieri debebant manu dextra. Nam dici ſolebat in ſacris, *da quod debes, de manu dextra aris* (h).

SA-

(y) *lib. IV de L. L p. m. 20.* (z) Arnobius *c. l.* (a) *XVIII c. VIII.* (b) *cap. XII n. 32.* (c) *IV Aen. v. 453.* (d) *Aen. III v. 484.* (e) *Aen. XII v. 25.* (f) *IV el. IV v. 9.* (g) *Agamemn v. 384.* (h) Seruius *ad VIII Aen. v. 106.*

SACRIFICIA SINGVLARIA

Singulare quid erat in ſacrificiis *deorum marinorum*, quæ deſcribit Virgilius (i), dum canit :

ipſe caput tonſæ foliis euinctus oliuæ,
Stans procul in prora, pateram tenet, extaque ſalſos
porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Porricere autem verbum eſſe ſacrificiis proprium teſtatur Macrobius (k). Addit Ouidius (l) quoque thura & hoſtias :

iisque deos pelagi vino ſuper æquora fuſo
& pecoris fibris & fumo thuris adorat.

Tempeſtates enim populi Romani ritibus conſecratas ſcribit Cicero (m), quam ob rem & duces mare ingredientes fluctibus hoſtiam immolaſſe addit. Quod exemplo Scipionis comprobat Liuius (n), qui in Africam traiecturus, hoſtiis mactatis & precibus ad marinos deos factis, cruda exta, vti moris, in mare porriciebat, indeque tuba ſignum proficiſcendi dabat. Singulare quid erat in ſacrificio Bonæ deæ, quod pro populo fieri dicebatur : in Quinquatribus, vbi prima dies ſine cæde erat atque victimis : in ſacris deæ Matutæ, dum ſuis quidem liberis bona non adprecabantur, ſed fratrum filiis duntaxat : de quibus tamen ſingulatim ſub feſtis ſuo loco fuit actum. *Propter viam* ſacrificium proficiſcendi gratia Herculi fiebat, ſecundum Feſtum. *Caſtam molam* ſingulare ſacrificii genus dicit Feſtus, quod Veſtales virgines fecerint. *Sacrum minuſculum* Seruius (o) explicat ſacrificii genus, quo veteres aras circumibant

Qqq   & tur-

(i) *Aen. V v. 774.* (k) *III Saturn. c. II.* (l) *XI Metam. v. 247.* (m) *III de diuin. c. XX.* (n) *XXIX c. XXVII.* (o) *ad Virgilii IV Aen. v. 62.*

& rurſus reuertebantur, deinde conſiſtebant. Peculiare *villicorum ſacrificium*, priusquam meſſem faciant, deſcribit Cato: Cereri quidem porcam præcidaneam immolare; Iouem autem Iunonem Ianumue frugibus, thure & vino placare iubet. Vltimo loco addimus *incantationis ſacrificia*, quæ ſub Aureliano in certis locis facta, quæ barbari tranſire non poſſent (p).

DE SACRIFICIIS INFERORVM

Sacrificia quæ inferis fiebant diis, a ſuperorum & tempore, & colore & ritu maxime differebant. Incipiebant enim veſpere & per noctem agebantur, vti canit Virgilius (q):

Tum Stygio regi nocturnas incoat aras.

Non verbis, ſed vocibus horrendis inuocatis inferis, vti exprimit Lucanus (r):

latratus habet ille canum, gemitusque luporum,
quod ſtridunt, vlulantque feræ, quod ſibilat anguis,
exprimit & planctus, fractæque tonitrua nubis;
tot rerum vox vna fuit.

Ipſum vero ſacrificii ritum optime deſcribit Ouidius (ſ), vbi canit:

ſtatuitque aras e ceſpite binas
dexteriore Hecates, at læua parte Iuuentæ.
Has vbi verbenis ſyluaque incinxit agreſti,
haut procul egeſta ſcrobibus tellure duabus
ſacra facit, cultrosque in guttura velleris atri
coniicit, & patulas perfundit ſanguine foſſas.

Aræ quidem pares & geminæ erant atque cupreſſo ornatæ de quo Statius (t)

hunc

(p) Vopiſcus *Aureliano c. XVIII.* (q) *VI Aen. v. 252.* (r) *lib. VI v. 688.* (ſ) *VII Metam. v. 241.* (t) *IV Theb. v. 460.*

hunc iuxta tumulo minor ara profunda
erigitur Cereri, frondesque atque omne cupreſſus,
intexit plorata latus,

vittis etiam cœruleis, vt eſt apud Virgilium (u):

ſtant manibus aræ,
cæruleis mœſtæ vittis, atraque cupreſſo.

Victimæ adhibebantur nigræ, atque ſingularis victimas probandi obſeruabatur modus. Stanti enim ad aram victimæ vinum inuergebatur. Hinc Virgilius (x):

quatuor hic primum nigrantes terga iuuencos
conſtituit: frontique inuergit vina ſacerdos.

Ad quem locum Seruius notat, quod vergere ſit conuerſa in ſiniſtram partem manu ita fundere, vt patera conuertatur, quod in infernis fiat. Ita & Aeneas manes patris Anchiſæ placaturus, apud Virgilium (y):

cædit quinas de more bidentes,
totque ſues, totidem nigrantes terga iuuencos:
vinaque fundebat pateris.

Setas quoque inter cornua euellebant prima libamina inferis offerentes, vti Aeneas apud Virgilium (z):

& ſummas carpens media inter cornua ſetas,
ignibus imponit ſacris libamina prima.

Fiebant autem hæc ſacra in effoſſa terra, vti ſupra ex Ouidio vidimus: *patulas perfundit ſanguine foſſas.* Quod & confirmat Statius (a):

tibi rector Auerni
quanquam infoſſus humo ſuperat tamen agger in aruis
Pineus.

Qqq 2 Sic

(u) *III Aen. v. 63.* (x) *VI Aen. v. 544.* (y) *V Aen. v. 96.* (z) *VI Aen. v. 246.* (a) *IV Theb. v. 457.*

Sic & Myrtilus auctor eſt (b), conſueuiſſe ſacerdotes victimis, quæ mactantur inferis, humi capita incidere, cum e contrario cœleſtibus ſacrificantes colla ſurſum conuertentes iugularent. Iugulatæ victimæ ſanguinem pateris exceptum prælibabant (c), & excoriatæ viſcera ter circum aras ferebant, vti canit Statius (d):

& omnes
ter circum acta pyras ſancti de more parentis
ſemineces fibras & adhuc ſpirantia reddit
viſcera.

Inde in aras impoſitæ victimæ vinum iterum inuergebatur, mel item & lac. De quo Silius Italicus (e):

fundunt mella ſuper, Bacchique & lactis honorem.

Et Statius (f):

principio largos nouies tellure cauata
inclinat Bacchi latices, & munera verni
lactis, & Actaos imbres, ſuadumque cruorem
manibus aggeritur, quantum bibit auida tellus.

Atque Virgilius (g):

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte
ſanguinis ſacri pateras.

Oleum etiam, vt canit Virgilius (h):

Tum Stygio regi nocturnas incoat aras
& ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

Aquam etiam diis inferis libari ſolitam innuit Feſtus, quæ arferia dicta. Inſpiciebantur quoque exta, vti de Otto-

(b) *II Lesbic.* (c) *IV Thebaid. v. 464.* (d) *IV Thebaid. v. 465.* (e) *lib. XIII v. 433.* (f) *IV Theb. v. 452.* (g) *III Aen. v. 66.* (h) *VI Aen. v. 252.*

Ottone Suetonius (i) *nam & victimas Diti patri Cæſar litauit: cum tali ſacrificio contraria exta potiora ſint.* Peractis tandem omnibus, vaſa in ignem coniiciebant, & concremabant. De quo Virgilius (k):

congeſta cremantur
thurea dona: dapes, fuſo crateres oliuo

vbi Seruius; *diis ſuperis tantum libabant; inferis vero ſacrificantes etiam vaſa in ignem mittebant, vnde ait Crateres.*

DE VASIS ET INSTRVMENTIS SACRIFICIORVM.

In fanis alia vaſorum ſunt, inquit Macrobius (l), & ſacræ ſupellectilis, alia ornamentorum. Quæ vaſorum ſunt, inſtrumenti inſtar habent, quibus ſemper ſacrificia conficiuntur. Quarum rerum principem locum obtinet *menſa*, in qua epulæ libationesque & ſtipes reponuntur. Poſt hanc in ſacrificiis obueniebat *lanx*, quod priſcis vas patens erat, cibis ferendis aptum, vti Cicero ad Atticum (m): *lancibus & caniſtris nos ſoles paſcere.* Virgilius (n): *lancemque & liba feremus.* Dicebant alias diſcum, quo exta offerebant, orbi noſtro non abſimilem. Ita Virgilius (o): *cumulantque odoratis lancibus aras.* Lancem ſaturam alias dicebant, quæ referta erat variis primitiis diis oblatis, a ſaturitate ſic dictam, vti vult Diomedes (p). *Olla* dicebatur, in qua exta cocta vel elixa. Plautus (q) adpellat aulam ſiue ollam exta-

Qqq 3 rem.

(i) *in vita cap. VIII.* (k) *VI Aen. v. 224.* (l) *III Saturn. c. XI.* (m) *III ep. I.* (n) *II Georg. v. 394.* (o) *VIII Aen. v. 284.* (p) *lib. III p. m. 483.* (q) *Rudente actu I ſc. II v. 45.*

rem. *Aulas enim*, inquit Feſtus, *antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas: aulicoqua exta dicebantur, quæ in aulis coquebantur, id eſt elixa.* Alia ſpecies, in qua exta coquebantur, dicebatur *veru.* Sic Varro (r) cum varia adduxiſſet animalia, quorum in ſacris vſus, concludit: *hæc ſunt, quorum in ſacrificiis exta in olla non in veru coquuntur.* Virgilius (ſ):

pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Subſilles, ipſiles alias vocatas, lamellas neceſſarias ſacris facit Feſtus, vſum tamen non demonſtrat. Vina adſeruabantur in ſacrificiis in vaſe, dicto vrceolo (t). Dabant vero ea diis ex *ſimpulo* ſiue ſimpuuio (u), quod erat vas paruum fictile, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, ſecundum Feſtum. Vnde & mulieres rebus diuinis deditas ſimpulatrices dictas ait Varro (x), qui & a ſumendo dictum putat, quod minutatim ſumerent, vti a gutto guttum. De quo & Iuuenalis (y):

Tab. V n. 28.

Et quis tunc hominum contemtor numinis, aut quis
ſympuuium ridere Numæ, nigrumque catinum,
& Vaticano fragiles de monte patellas.

Et Cicero luxuriem temporis ſui deſcribens (z), *Quid autem*, ait, *Numa Pompilius? minusne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles vrnulas fuiſſe, quam dedicatas aliorum pateras arbitramur?* Erant vero pateræ poculi genus, quo in ſacrificando magiſtratus deo vinum dabant ſecundum Varronem (a), qui & *patellam* vas picaticum

(r) *lib. IV de L. L. p. m. 17.* (ſ) *II Georg. v. 396.* (t) Columella *de R R. lib. XII cap. XVI.* Iſidorus *XX Origg. c. VI.* (u) Plinius *XXXV c. XII.* (x) *lib. IV de L. L p. m. 21.* (y) *ſat. VI v. 341.* (z) *paradoxii c. III.* (a) *IV de L. L p. m. 21.*

ticum dicit paruum ſacrificiis faciendis aptum. Vti & Virgilius canit (b):

nunc pateras libate Ioui, precibusque vocate
Anchiſem genitorem: & vina reponite menſis.

Ex pateris præcipue ſumebant vinum, quod inter cornua victimarum ſpargebant, vti canit idem (c):

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
candentis vaccæ media inter cornua fudit.

Dum vero vina libarent, vtebantur ſimpulo. Quod frequentes teſtantur nummi, qui ſacrificantes figuras cum ſimpulo exhibent. *Capis* poculi genus erat, cuius vſus in ſacrificiis, a capiendo ſic dictum, quod ſcilicet capides eſſent anſatæ (d), vt prehendi poſſent, id eſt capi. Ciceroni dictæ capedines (e) vel capedunculæ (f). *Armillum* vas vinarium Feſtus vocat, quod armo ſiue humero deportabatur. *Atanuuium* vero poculi fictilis erat genus, quo in ſacrificiis vtebantur Romanorum ſacerdotes Potitii. Sic & *irnellam* vaſis genus in ſacris dicit Feſtus. Atque hæc fuiſſe fictilia, quæ & Samia & teſtea (g) vocabant, docent ſcriptores. Plinius (h) quidem ait: *in ſacris quidem etiam inter has opes hodie non murrhinis cryſtallinisue, ſed fictilibus prolibatur ſimpuuiis.* Quare & Cicero (i) hæc vrnulas fictiles vocat. Poſteriori tamen tempore, creſcente luxu ex auro alia atque argento introducta. Ita cum a Tiberio aurea vaſa prohiberentur, in ſacris tamen fuere permiſſa (k).

Licet

(b) *VII Aen. v. 133.* (c) *IV Aen. v 60.* (d) Varro *c.l.* (e) *c.l.* (f) *III de N.D. c. XVII.* (g) Ha ic *lib. II p. m 93.* Nonius Marcellus *cap. IV n. 434.* Plautus *Rudente actu II ſc. II v. 23.* (h) *XXXV c. XII.* (i) *c. l.* (k) Dio *lib. LVII p. m. 612.*

Licet & dum fictilibus ſimpulis fuiſſe vſos ex Plinio pateat. *Anclabria* adpellabantur vaſa æneа, quibus vtebantur ſacerdotes, vnde & menſa miniſteriis diuinis apta dicta *anclabris*. *Praefericulum* deſcribit Feſtus, quod ſit vas æneum ſine anſa patens ſummum, velut peluis, cuius vſus in ſacrario Opis Conſiuæ. Thura adſeruabant in *thuribulo* (l), quod & arcula thuraria dicebatur Feſto, & acerra Suetonio (m). Horatius (n) dixit acerram thuris plenam. Candelabrorum (o) quoque vſus, dum rem diuinam facerent; in quibus candelæ & funiculi fingebantur ardentes; Et quidem candelarum vſum antiquiſſimum tradit Martialis (p), vbi ait:

nomina candela nobis antiqua dedere
non norat parcos vncta lucerna patres.

Tab. V n. 29. Inſtrumentis inter ſacrificia vtebantut variis. *Adſpergilli* vſus erat in luſtrationibus, quod ex equinæ caudæ pilis confectum, cuius loco veteres etiam vtebantur ramo laurus vel oliuæ, vti canit Virgilius (q):

idem ter ſocios pura circumtulit vnda
ſpargens rore leui, & ramo felicis oliuæ,
luſtrauitque viros.

Victimas percutiebant ſacrificiorum miniſtri malleo, de quo Ouidius (r) canit:

lactantis vituli dextra libratus ab aure
tempora diſcuſſit claro caua malleus icta.

vel ſecuri, vti videmus apud Horatium (ſ):

aut

(l) Cicero *VI Verr. c. XXI & XXIV.* (m) *Tiberio cap. XLIV.* Galba *c. VIII.* (n) *III ode VIII v. 2.* (o) Cicero *VI Verr. c. XXVI.* (p) *XIV ep. XLI.* (q) *VI Aen. v. 230.* (r) *II Metam. v. 626.* (ſ) Horatius *III Carm. ode XXIII.*

aut creſcit Albanis in herbis
victima, pontificum ſecures
ceruice tinget.

Et Ouidium (t):

candidaque adducta collum percuſſa ſecuri
victima purpureo ſanguine tingit humum;

bipennem vocat Valerius Flaccus (u). Pontificum culter erat *dolabra*, vti e Feſto videmus (x). Cultris autem mactabantur hoſtiæ minores: de quo Ouidius (y):

percuſſaque ſanguine cultro
inficit.

Quorum varios vagina incluſos lateri adligabant, vti ex figuris veterum videmus. *Seceſpitam* Antiſtius Labeo apud Feſtum, deſcribit cultrum ferreum, oblongum, manubrio eburneo, rotundo, ſolido, vincto ad capulum auro argentoque, fixum clauis æneis, ære Cyprio, quo Flamines, Flaminicæ virgines, pontificesque ad ſacrificia vtuntur. Pontificum autem fuiſſe inſtrumentum, quo raderent hoſtias & exta proſecarent, videmus ex Suetonio (z), qui ait: *inter pontifices ſacrificanti ſimul, pro ſeceſpita plumbeum cultrum ſubiiciendum curauit.* *Sacenam* quoque ſiue ſcenam dolabram pontificalem adpellat Feſtus. Inde Gutherius (a) bouem ſeſcenarem, qui apud Liuium, (b) explicat, quod ſit, quia ſeſcena a victimariis percuſſus. Et ſane ſine dubio ab inſtrumento ſic dictus videtur, & ille quidem, quem ſub auſpicium conſulatus quilibet ex conſulibus Ioui immolauit, cum de tali ſacrificio Liuius agat. *Clunaculum* cultrum ſanguinarium dixit Feſtus, ita adpellatum, quia clunes hoſtiarum diuide- *Tab. V n. 30.*

Rrr

(t) *IV Triſt. el. II.* (u) *I Argon. v. 122 & 192.* (x) *voce ſcena.* (y) *XV Metam. v. 133.* (z) *Tiberio c. XXV.* (a) *de V. I. P. IV c. XVIII.* (b) *XLI c. XV.*

uideret. *Ligulæ* vſus erat apud haruſpices, qua victimarum exta explorabant; *cochleari* vero thus ex acerra ſumebant: vti ſingulorum quæ adduximus vaſorum, inſtrumentorumque ad ſacrificia, figuras ex veterum monumentis repræſentat Michael Angelus Cauſſeus (c).

* * * * * * * * * *

CAPVT VNDECIMVM

De

TEMPLIS, ARIS, STATVIS AC DONIS DEORVM

INter ſcriptores de templis primo loco numerandi veniunt vrbis Romæ topographi, atque inter hos præcipui, ALEXANDER DONATVS atque FAMIANVS NARDINVS, qui templa Romanorum non ſolum quando extructa, ſed & qua in vrbis regione poſita, declarant: de quibus tamen libro ſecundo ineunte dicetur pluribus. Qui vero ſpeciatim de templis Romanorum ſcripſerit, nouimus nullum, præter ſupra iamdum memoratum IOANNEM BAPTISTAM BELVM *de templo augurali.* Nec tamen prætereundus hic quoque eſt *IACOBVS GVTHERIVS*, qui integrum fere librum tertium de veteri iure pontificio templorum materiæ dicauit. *CONRADI SAMVELIS SCHVRTZFLEISCHII* celeberrimi viri, diſſertatio nota eſt *de templorum antiquitatibus*, quæ nunc inter opera hiſtorico-politica partem facit (d). Egre-

(c) *in Grauii theſauro antiquitatum Romanarum tomo quinto.* (d) *diſp. LIII.*

Egregia quidem eſt, ſed præter notationem generalem pauca habet, quæ ad Romanos faciunt; circa Chriſtianorum potius templa occupata. Cum vero ad ſpecialia Romanorum templa deſcendimus, elegantiſſimus occurrit IVSTI RYCKII *de Capitolio Romano commentarius*, *Gandaui* primum *1617. 4* poſt *Lugduni Batauorum 1669. 12* editus: de quo & Lipſius alias agit in ſuo de magnitudine Romana commentario. De *Pacis templo* ſpeciatim egit IOSEPHVS CASTALIO, qui *Romæ* primum *1614. 4* editus tractatus, poſt quarto tomo Theſauri Græuiani inſertus: elegans & eruditus. De *aris* rariſſimus eſt PETRI BERTHALDI commentarius, primum Nannetis 1636 editus, poſt tertio tomo dicti Theſauri inſertus, qui omnem alias materiam plenarie abſoluit. Agit & de iis FORTVNIVS LICETVS in *encyclopædia ad aram Pythiam Publilii Optatiani Porphyrii*, & in alia *ad aram myſticam terrigenæ*, vtraque *Patauii 1630. 4* edita, ſed cum poëmata, quæ proponit, explicet, in ararum hac materia breuior eſt. EMVNDI FIGRELII, poſt nobilis de Griepenhielm facti, liber extat ſingularis *de ſtatuis illuſtrium Romanorum Holmæ 1656. 8* in cuius tamen primordiis de deorum quoque ſtatuis agit. Admiror ſane viri elegantiam & ſummam in antiquitate peritiam. Ad dona diis ſacrata elegantiſſimus eſt IACOBI PHILIPPI THOMASINI *de donariis & tabellis votiuis* liber, de quo ſupra iam dictum.

Luci olim numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura deo præcellentem arborem vel montium cacumina dicabant (e); poſt conſtituta ſunt templa. Nec

 Ro-

(e) Plinius *XII c. I.* Petrus Faber *ſemeſtr. III c. I.* Rubenius *II elect. c. XXXIV.*

Romani in ſacris ſuis ignorabant lucos. Sic enim Cicero ex veteri iure pontificio (f): *conſtructa a patribus delubra habento, lucos in agris habento & larum ſedes.* Lucos ergo in agris conſtituit ius Pontificium; quale erat *Dianium* lucus in nemore Aricino Dianæ religione ſacro, quem Egerius Lebeus Tuſculanus dedicauit, dictator Latinus (g), quod & in Romana occurrit inſcriptione (h). Ex quo videmus differentiam inter nemus & lucum. Nemus enim dicebatur ſylua qualibet maior; lucus vero ille locus qui deorum religioni in ſpecie ſacer. Simili more Aeſculapium etiam atque Mineruium dictum. Poſt in ipſa vrbe varii deorum fuere luci. Sic lucum Veſtæ, qui a palatii radice in nouam viam deuexus eſt, commemorat Cicero (i). Ita lucum Egeriæ, Camœnæ, Furinæ, Veneris, Iunonis, Querquetulanum (k) & vel triginta duos in vrbe numerant topographi. Manlii Capitolini domum euerſam duobus lucis conueſtitam vidit Roma (l). Iunonis ſoſpitæ ædem lucumque Lanuuii memorat Liuius (m). Lucretius (n) iungit

fana, lacus, lucos, aras ſimulacraque diuûm.

Albanos lucos ſanctiſſimos vocat Cicero (o). Habebant & iſti ſuos ſacerdotes, qualis fuit Rex Nemorenſis C. Betuus, qui in lapide Peruſino (p) dicitur ſacerdos III Lucorum; immo & ſacra ſua, qualia erant Lucaria. Licet & alii luci fuerint profani, de quibus Cicero:

(f) *II de LI c. IX.* (g) *IV* Feſtus *hac voce.* (h) Gruterus *p. XL n. 4.* (i) *I de diuin. c. XLV.* (k) Varro *IV de L. L. p. m. 10.* (l) Cicero *pro domo c. XXXVIII.* (m) *VIII c. XIV.* (n) *V v. 76.* (o) *pro Milone c. XXXI.* (p) Gruterus *p. CCC LXXV n. 4.*

ro (q): *Papiriana domus habet lucum, a quo etiam aduena teneri ſolent, quem tamen ſi excideris, multum proſpexeris.* Cum alias, ſi religioſus fuerit locus, excidendi poteſtas non fuerit. Ipſi autem loci apud Romanos primario diſtinguebantur in profanos & conſecratos (r). *Profani* dicebantur, qui omni religione erant exemti, vnde Cicero dixit facere aliquid ex ſacro profanum. *Conſecrati* dicebantur, qui deorum religioni erant deſtinati. De Iure vero Romano, vti vel omnibus conſtat, differentia erat inter loca ſacra, qualia erant templa, & quæ deorum religionis erant; *ſancta*, vt muri & portæ ciuitatis; *religioſa*, in quæ mortui inferebantur; & *profana*, quæ nullius ſunt religionis (ſ). Loca ſacra dicebantur templa. *Templum* tribus modis dici ait Varro (t), ab natura, ab auſpicio, a ſimilitudine; ab natura in cœlo; ab auſpiciis in terra; ab ſimilitudine ſub terra. Antiquiſſima templa rotunda fuiſſe videntur, & quidem hypetra ſub dio extructa (u), poſt facta quadrata. Aedes autem deorum immortalium inquit Vitruuius (x), ſic erant conſtituendæ, vt ſignum quod in cella collocatum, ſpectet ad veſpertinam cœli regionem, & qui adierint ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes, ſpectent ad partem cœli Orientis, & ſimulacrum, quod in æde, quia aras deorum neceſſe eſt ad orientem ſpectare. In extruendis autem templis *inauguratio* locum habebat atque *dedicatio*: illa fiebat per augures; hæc præeunte pontifice max. per magiſtra-

(q) *VII ad Fam. ep. XX.* (r) Cicero *pro domo c. XLVIII de haruſp. reſp. c. V partit. orat. c. X.* (ſ) Macrobius *Saturn. III c. III.* (t) *lib. VI de L. L p. m. 47.* (u) Alexander ab Alexandro *gen. dier. lib. II c. XXII.* (x) *lib. IV de architectura c. V.*

giſtratus. Locum quidem per augures conſtitutum templum adpellat Gellius (*y*). Moris enim erat, vt ſpatium templo dicarent augures (*z*), ſiue vti Herodotus (*a*) adpellat, τέμενος περὶ βωμὸν ὁρίζειν. templum in circuitu finiebant, quod dicebatur inaugurare, & inde templum inauguratum (b): a quo aliud erat *augurare* vel augurato quidpiam facere, quod de captatis auguriis intelligendum. Atque in eo differebant templa ab ædibus ſacris. Templa enim dicebantur loca inaugurata, per augures conſtituta, in quibus more maiorum iuſta fieri poſſent ſenatus conſulta, cum ſenatus olim in templis conueniret: quæ vero *ædes ſacræ* erant, & deorum cultui deſtinatæ (c), non tamen per augures conſtitutæ, templa non erant, nec in iis Sčta fieri poterant. Inter quas Gellius numerat Veſtæ ædem, quæ Pontifice præeunte quidem conſecrata, non autem ante fuerat inaugurata. Quod a Numa ita factum dicunt, ne ratione ſenatus habendi viri illud introirent, quod alias non conceſſum. Pleraſque quidem ædes ſacras, templa fuiſſe eademque ſancta docet Varro (*d*), non autem omnia templa, ſeu loca per augures conſtituta ſancta erant. In exemplum vocat curiam Hoſtiliam, quæ templum quidem ſit, non tamen ſanctum. *Sancta* autem dicta putem loca, quæ vel maxime deorum religioni & cultui erant deſtinata, in quibus ſacra edicerentur, & feſtis diebus ſolennia peragerentur: qualia erant deorum templa vel ædes. Curias ergo vel omnes e ſanctorum numero eximimus, qui ſacris quidem a Romulo erant deſtinatæ, maxime tamen negotiis publi-

(y) *XIV c. VII.* (z) Tacitus *IV hiſt. c. LIII.* (a) *Thalia c. CXLII.* (b) Cicero *pro domo c. LIII.* (c) Gellius *c. l.* (d) *lib. VI de L. L. p. m. 48.*

publicis, vti libro ſecundo dicetur pluribus. Sic & roſtra dicebantur templum (e), quia locus erat inauguratus (f), ſanctus tamen eſſe non poterat. Spatio nunc ad templum dicato, luſtrabatur area. Rem totam Taciti (g) verbis, vbi de reſtitutione Capitolii agit, enarrabimus. *Vndecimo Kl. Iulias, ſerena luce, ſpatium omne quod templo dicabatur, euinctum vittis coroniſque. Ingreſſi milites, quibus fauſta nomina, felicibus ramis; dein virgines Veſtales, cum pueris puellisque patrimis, matrimisque aqua riuis & fontibus amnibusque hauſta, perluere. Tum Heluidius Priſcus prætor, præeunte Plauto Eliano pontifice, luſtrata ſuouetaurilibus area, & ſuper ceſpitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam præſidesque imperii deos precatus, vti cœpta proſperarent, ſedesque ſuas pietate hominum incoatas diuina ope attollerent; vittas quis ligatus lapis innexique funes erant, contigit. Simul cæteri magiſtratus, & ſacerdotes, & ſenatus, & eques, & magna pars populi, ſtudio lætitiaque connixi, ſaxum ingens traxere: paſſimque iniecta fundamentis argenti aurique ſtipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, ſed vt gignuntur. Prædixere haruſpices, ne temeraretur opus ſaxo auroue in aliud deſtinato.* Bene ponderanda verba vltima, vbi ſaxum ingens magiſtratus, ſacerdotes, ſenatum equites, & populum traxiſſe ſcribit: quæ fundamenta erant. *Lapis* hic dicebatur *Auſpicalis* vti videmus ex fragmento lapidis Romani (h)

LAPIS AVSP. S. Q. CAECILIO. METELLO
PONT. MAX. SOLENNI. CVM
PRAECATIONE. PAL. POP. ROM. CONIECTVS
IN.

(e) Liuius *VIII c. XIV*. (f) Cicero *in Vatinium c. X.*
(g) Tacitus *hiſt. IV c. LIII.* (h) Gruterus *p. XXXIX n. 5.*

IN. FVNDAMENTA. PORTICVS. MINER . .
AVENTINENS. AB. LATER. COLL . . . .
VIC. ARMILVSTR. D. . . . .
IN. NVNC. D. AVGVR. AVSPI . . . . .
TEMPL. CONSECRA . . . .
M. CASCELL. AED. CVR. . . . .

Luſtrationem ſequebatur *dedicatio.* Circa hanc autem antiquitus conſtitutum, vt nemo niſi Conſul vel imperator templum poſſet dedicare, conſenſu tamen populi extra ordinem idem C Flauio conceſſum (i). Requirebatur autem, vt quis rite dedicaret, populi iuſſus atque ſcitus (k). Veterem enim legem tribunitiam eſſe dicit Cicero, quæ vetet iniuſſu plebis, ædes, terram, aram, conſecrare (l) eamque rogaſſe Q. Papirium addit. Sic cum L. Caſſius cenſor de ſigno concordiæ dedicando ad collegium retuliſſet, ei M. Aemilius Pont. M. pro collegio reſpondit, niſi eum nominatim populus præfeciſſet, atque eius iuſſu faceret, non videri poſſe recte dedicare (m). Immo ſenatus ex pontificum auctoritate aram tollendam cenſuit. Sic & in cauſſa Liciniæ Veſtalis virginis pro collegio reſpondit Scæuola, quod in loco publico dedicaſſet, ſacrum non videri eſſe. Immo etiam vt ſenatus interueniret auctoritas, neceſſe erat. Liuius enim ex auctoritate ſenatus latum ad populum dicit, ne quis templum aramue iniuſſu ſenatus aut tribunorum plebis maioris partis dedicaret. Conſulum ergo primitus erat templa dedicare, qui de eo inter ſe vt plurimum ſortiebantur. Quare de eo in ſenatu conqueſtus eſt Quintius conſul, quod C. Iulius collega Apollinis ædem abſen-

(i) Liuius *IX c. XLVI.* (k) Cicero *IV ad Atticum ep. II.* (l) Cicero *pro domo c. XLIX.* (m) *c. LIII.*

ſente collega ſine ſorte dedicauerit (n). Sic & cum certamen conſulibus incidiſſet, vter dedicaret Mercurii ædem, re ad populum reiecta, dedicatio ædis M Lætorio ad conſulum ignominiam data eſt (o). Haud raro ſpeciatim ad id duumuiri creati, qui dedicarent ædes (p). Ita & Q. Fabius Maximus a ſenatu poſtulauit, vt ædem Veneris Erycinæ quam dictator vouiſſet, dedicare liceret; Senatus decreuit, vt Ti. Sempronius Conſul deſignatus, cum primum magiſtratum iniiſſet, ad populum ferret, vt Q. Fabium duumuirum eſſe iuberent ædis dedicandæ cauſſa (q). Dedicabantur ergo ædes a Conſule vel Imperatore vel duumuiro, præeunte tamen verba pontifice maximo (r). Præter autem ſolennia verba Cicero requirit vetera & priſca inſtituta (s). Poſtem enim in dedicatione pontificem tenere competebat (t), atque ibi poſtis dicebatur, vbi templi aditus & valuæ; ambulationis vero poſtes nemo vnquam tenuit in dedicando (u). Atque hac ratione manu conſecrationes fieri dicebantur, vti Cicero ait (x): *bene vero, quod mens, pietas, virtus, fides conſecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publice templa ſunt.* Atque Ouidius (y):

ſacra vocant Auguſta patres: Auguſta vocantur
templa, ſacerdotum rite dicata manu.

Leges dedicationis haut raro addebantur, quod in aris

Sſs præ-

(n) Liuius *IV c. XXIX.* (o) Liuius *II c. XXVII.* (p) Liuius *II c. XLII.* (q) Liuius *XXIII c. XXX.* (r) Liuius *IX c. XLVI.* (ſ) *pro domo cap. XLVII.* (t) Liuius *II c. VIII.* Seneca *Conſol. ad Marciam c. XIII.* Plutarchus *Publicola p. m. 104.* (u) Cicero *pro domo c. XLVI.* (x) *II de LL c. XI.* (y) *I Faſt. v. 603.*

præcipue ſolenne erat. In aliquot ſacellis ſcriptum fuiſſe teſtatur Varro (z), ne quid ſcorteum adhiberetur, quod idcirco cautum, ne morticinum quid adhiberetur. Vnde Ouidius (a):

ſcortea non illi fas eſt inferre ſacello,
ne violent puros exanimata focos.

Pontifex autem vt claris & diſtinctis verbis, nec præpedita & balbutiente lingua præiret, neceſſe erat. Quare Plinius (b) de Metello Pontifice, quod adeo inexplanatæ fuerit linguæ, vt multis menſibus tortus credatur, dum meditaretur in dedicanda æde Opiferæ dicere. Hinc & tanquam illegitime factum arguit Cicero, (c) quod Clodius domum ipſius conſecrans præpoſteris verbis, ominibus obſcœnis, identidem ſe ipſum reuocando, dubitans, timens, hæſitans, omnia aliter ac pontifices in monumentis habeant, & pronuntiauit & fecerit. Vtebantur autem verbis dare, donare, dicare, conſecrare (d), dedicareque Numini. Ipſi Imperatores dedicantes triumphali amictu erant ornati, vti de C. Mario inſcriptio (e): AEDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR FECIT VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS. Licet Mario alias ſolenne eſſet, ad ſacra puniceo amictu duplici fibulato, haſtam vittis redimitam & coronamentis ferens, procedere (f). Poſtquam dedicata templa, victimæ mactabantur & ludi ſumtu publico parabantur. Sic M. Aemilius petiit ab ſenatu, vt ſibi dedicationis templorum Reginæ Iunonis

(z) *de L. L. lib. VI p. m. 56.* (a) *I Faſt. v. 623.* (b) *XI c. XXXVII.* (c) *de haruſp. reſp. c. LVII.* (d) *in Verrem. lib. IV. c. XXIX.* (e) Gruterus *p. CCCCXXXVI n. 3.* (f) Plutarchus *Mario p. m. 383.*

nis & Dianæ cauſſa, quæ bello Liguſtico ante annos octo vouiſſet, pecunia ad ludos decerneretur. Viginti etiam millia æris fuere decreta, atque dum dedicauit eas ædes, vtramque in Circo Flaminio, ludosque ſcenicos triduum poſt dedicationem templi Iunonis, biduum poſt Dianæ & ſingulos dies fecit in circo (g). Cæſar cum Veneri Genetrici templum dedicaret, multa variaque edidit ſpectacula (h). Auguſtus in ſacrarii Iulii dedicatione ludos omnis generis fecit, in quibus patricii Troiam luſerunt (i). Primos autem in dedicatione ædis matris Magnæ ſcenicos ludos exhibuit M. Iunius Brutus (k). Nonnunquam & populo diuiſiones faciebant, vt eſt in lapide: OB. DEDICATIONEM. HONORARIAM. VICANIS. OLEVM. POPVLO. CRVSTVLVM. ET. MVLSVM. DEDIT. (l). Parabant quoque epulas, vti T. Lucretius Fuluianus ob dedicatam pietati ædem, ſcenicos ludos per quatriduum, & Circenſes & epulum diuiſit (m). Templa autem vti Arnobius (n) ait, quæ tholis ſunt aureis & ſublimibus elata faſtigiis, ſeu quæ magnifico opere extructa, auctorum inſcriptionibus comprobantur. Supra valuas enim templi tabula cum titulo figebatur, ex qua conſtabat, templum quando votum, & qua occaſione, quando & a quo dedicatum: cuius exemplum extat apud Liuium (o), & in Pantheo Romano (p): M. AGRIPPA L. FILIVS. COS. TERTIVM FECIT, quod dein reſtituerunt L. Septimius Seuerus, & M. Aurelius Impp. (q). IMP. CAES. L. SEPTI-

(g) Liuius *XL c. LII.* (h) Dio *lib. XLIII p. m. 225.* (i) Dio *lib. LI p. m. 460.* (k) Liuius *XXXVI c. XXXVI.* (l) Gruterus *p. C. n. 5.* (m) *p. CI n. 3.* (n) *lib. VI p. m. 193.* (o) *XL c. LII.* (p) Gruterus *p. I n. 1.* (q) *c. l.*

PTIMIVS. SEVER. PIVS PERTINAX ET. IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PANTHEVM. VETVSTATE COLLAPSVM. CVM. OMNI CVLTV RESTITVERVNT. Moris enim erat, vt templa vetuſtate vel caſu alio collapſa reſtituerentur, atque denuo dedicarentur. Quo facit & lapis priſcus (r): M. PAPIVS M. F. L. MATRIVS L. F DVOVIRI I. D. SIGNVM CONCORDIAE. EX S. C RESTITVENDVM. COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT. ET. BASIM. GRADVM ARAM SVA PECVNIA FACIVNDA COER. EIDEMQ. PROBAVER. De reſtituto Capitolio ſupra iam fuit dictum. Ex locis tamen ſacris nonnunquam & profana facta: vti de L. Piſone Cicero (ſ), quod maximum & ſanctiſſimum Dianæ ſacellum in Cœliculo ſuſtulerit; a Sexto Serrano autem ſanctiſſima ſacella ſuffoſſa, incenſa, inædificata, oppreſſa dicit. Templorum ædificandorum ratio varia erat, ſecundum triplicem naturam deorum: Fortibus quidem vt Marti, Herculi, Mineruæ, ædes Doricæ ſeuerioris ſtructuræ conſtitutæ ſunt: delicatis, vt Veneri, Proſerpinæ, Floræ, Corinthio genere propter teneritatem operis factæ; mediis, vt Iunoni, Dianæ, Baccho conſtructæ Ionicæ nec florida ſtructura, nec ſeuera (t). Erant autem variæ templorum partes atque ſpecies: *Delubra* quidem Varro apud Macrobium (u) ait, alios æſtimare, in quibus præter ædem ſit area adſumta deûm cauſſa, vt eſt in circo Flaminio Iouis Statoris: alios in quo loco dei ſimulacrum dedicatum eſt. Seruius (x) delubrum dicit, quod vno

(r) *p. C. n. 6.* (ſ) *de haruſp. reſp. c. XV.* (t) Vitruuius *I c. II.* (u) *Saturn. III c, IV.* (x) *ad Aen. II v. 225.*

Digitized by Google

vno tecto plura complectitur numina; vt Capitolium, in quo eſt Minerua, Iupiter, Iuno. Alii delubrum locum eſſe ante templum dicunt, vbi aqua currit, a diluendo, quod & confirmat Feſtus atque Iſidorus (y), qui delubra templa dicit fontes habentia, quibus ante ingreſſum diluebantur. Alii, referente Aſconio (z), male dicebant delubra ligna eſſe delibrata ſeu decorticata pro ſimulacris deorum poſita. Quidquid ſit, vſus ſcriptorum ea cum templis fecit promiſcua. Ipſe Cicero modo templa atque delubra dicit (a), modo delubra facit cum templis eadem (b). *Fanum* tamen a templo expreſſe diſtinguit Liuius (c), dum ait: *in ea pugna Iouis Statoris ades vota, vt Romulus ante vouerat: ſed fanum tantum, id eſt locus templo effatus iam ſacratus fuerat.* Erat ergo ſecundum Liuii deſcriptionem, ſpatium templo per augures dicatum, inde & effata augurum dicta (d). Quare & *ſiſtere fana* Feſto dicitur, loca in oppido futurorum fanorum conſtituere, quod alias in lapide priſco (e) dicitur ædes adſignare. *Exaugurare* vero fana, omni religione liberare locum dicit Liuius (f). Poſteriori tamen tempore æque pro templis dicta. Cicero enim (g), quod modo Iunonis templum dixerat, paullo poſt fanum adpellat & Liuius (h) Romanorum templa fana vocat. Qui factum, quod & Grammatici fana dicta putent a fando, quod dum pontifex dedicat, certa verba fatur (i); & profanum, quod ante fanum, ſeu fano coniunctum (k), au-

 gurum

(y) *lib. XV Origg. c. IV.* (z) *in diuin. p. m. 18.* (a) Cicero *Catil. III c. I.* (b) *V de N. D. exeunte. in Verrem act. I c. V.* (c) *X c. XLII.* (d) Varro *V de L. L. p. m. 38.* (e) Gruterus *p. I n. 8.* (f) *I c. LV.* (g) *II de Inuent. ineunte.* (h) *V c. L.* (i) Feſtus *hac voce.* (k) Varro *c. l.*

gurum effata cum pontificum verbis ſolennibus confundentes. Cicero tamen fanum quoque pro loco religioſo dicit (l). *Sacellum* ex ſacro diminutum Trebatius apud Gellium (m), locum paruum vocat deo ſacratum cum ara. Quod & confirmat Ouidius (n), qui de ſacello Iani:

ara mihi poſita eſt, paruo coniuncta ſacello,
hac adolet flammis cum ſtrue Farra ſuis.

Feſtus addit ſine tecto. Multa Romæ fuiſſe ſacella ex Liuio patet (o), qui dicit, complura ſacella publica, cum a priuatis eſſent occupata, publica ſacra vt eſſent paterentque populo, curaſſe cenſores. Modicum Ioui conſeruatori Domitianum extruxiſſe Tacitus ait (p). Virginiam ex parte ædium, quod ſatis eſſet loci modico ſacello ad cultum pudicitiæ plebeiæ excluſiſſe dicit Liuius (q). Eademhæc videntur cum *ædiculis*, quas priuatas tantum fuiſſe dicit Gutherius (r), & religioſas, non ſanctas: ſed contrariatur Liuius (ſ), qui ædiculam victoriæ virginis, prope ædem Victoriæ a M Porcio Catone dedicatam ſcribit, a quo biennio ante vota. Simile videmus ex Cicerone, qui ædiculam, puluinar & aram, quod a Licinia Veſtali iniuſſu populi dedicata, Sćto ſublatam dicit (t). Ita AEDICVLAM CONCILII DEORVM DEARVMQ. EX VOTO. F. C. AVRELIVS FAVSTVS (u). Sic in caſtris prætorianis habebant ædiculas Auguſtorum (x), quod & teſtatur lapis antiquus in loco caſtrorum effoſſus

(l) *XII ad Att. ep. XXXV.* (m) *VI c. XII.* (n) *I Faſt. v. 275.* (o) *XL c. LI.* (p) *hiſt. III c. LXXIV.* (q) *X c. XXIII.* (r) *de V. I. P. lib. III c. II.* (ſ) *XXXV c. IX.* (t) *pro domo c. LIII.* (u) Gruterus *p. II n. 12.* (x) Gruterus *p. CLXXXIII n. 12.*

ſus (y). EX. AEDICVLA. AVGVSTORVM OPVS. DOL. EX. FIG. C. PANISEI. HERMETIANI. ET. VRBICI. Opus ergo doliatum erat ex Figulina Paniſei: fictilibus enim doliis ædicula hæc in prætoriis caſtris facta, non æternitatis deſtinatione, ſed temporaria mora vt ipſa caſtra (z). *Lararium* priuatorum erat, & dicebatur locus iſte domus, in quo quilibet deorum ſimulacra, quos colebat, lares ſcilicet electos & animas ſanctiores conſtituebat (a). Principes quidem atque imperatores duo habebant lararia, illud maius dicebatur, in quo lares diui & optimi, cubiculares alias dicti (b), inter quos tamen Alexandrum Magnum quoque conſecrauit Seuerus (c). Alterum dicebatur lararium ſecundum, in quo magnorum atque illuſtrium virorum imagines atque memoriam conſeruabant; vti Ciceronis, Virgilii, Achillis imagines in eo repoſuit Alexander Seuerus. Quod dein imitabantur etiam priuati, vti de L. Vitellio teſtatur Suetonius (d), Narciſſi quoque & Pallantis imagines aureas eum inter lares coluiſſe: qui autem hæc ſacra adminiſtrabat, magiſter vel decurio larium dicebatur, de quo ſub ſacerdotibus. His vero laribus primis temporibus in foco tantum ſacra facta, in quo & cœnarum primitias libare ſoliti fuere (e). Quod & tenuioris ſortis homines poſtea ſeruarunt, vti Plautus nos docet (f). *Sacrarium* æque in ædibus priuatorum erat, in eo tamen a larario differens, quod hoc laribus, illud peculiari alicui deo ſacratum. Videmus id ex Cicerone,

(y) *c. l.* (z) Vitruuius *V c. V.* (a) Lampridius *Alex. Seuero c. XXIX.* (b) *Auguſto c. VII.* (c) *cap. XXXI.* (d) *Vitellio c. II.* (e) Halic. *lib. IV p. m. 207.* (f) *Aulul. in prologo.*

Digitized by Google

ne, qui ſacrarium Bonæ deæ in fundo T. Sextii Galli commemorat (g), & alio loco ait (h): *Erat apud Heium ſacrarium magna cum dignitate in ædibus, a maioribus traditum, perantiquum, in quo ſigna pulcberrima quatuor, ſummo artificio, ſumma nobilitate.* Sic & ſacrarium genti Iuliæ, effigiemque diuo Auguſto apud Bouillas dicatum ſcribit Tacitus (i). Auguſti quoque ſacrarium, vbi imago eius a Iulia vxore quondam tunc ſacerdote colebatur, Suetonius memorat (k). In lapide priſco *SACRARIA NVMINVM* dicuntur (l). Male ergo ſacrarium Iſidorus (m) explicat, quod locus ſit templi, in quo ſacra reponantur. Apud ICtos ſacrarium principum dicitur conſeſſus interior. Aras vero in hiſce vel larariis vel ſacrariis, abditos & penetrales focos adpellat Cicero, & a menſis ſolennibus diſtinguit (n). Quare & penetrale ſacrificium Feſtus dicit, quod interiore parte ſacrarii conficitur. Et cum penetralia penatium deorum dicerentur ſacraria, ipſa templi Veſtæ interiora *penus* dicebantur *Veſtæ* atque penetralia. *Cella* dicebatur illa pars templi, in qua ſignum vel ſimulacrum & ſtatua dei poſita (o). Alia erat cella Iouis, in qua Africanus imaginem poſitam habuit (p). Quæ apud Dionem (q) dicitur σκηνὴ τοῦ Ῥωμύλου explicari ſolet per cellam Romuli, ſed potius caſa Romuli eſt dicenda (r). Quæ partem faciebat Capitolii & cannis ac viminibus tecta (ſ) erat,

(g) *pro Milone c. XXXI.* (h) *IV in Verrem c. II.* (i) *Ann. II cap. XLI.* (k) *Tiberio c. LI.* (l) Gutherius *de V. I. P. lib. III c. IX.* (m) *XV Origg. c. V.* (n) *de haruſp. reſp. c. XXVII.* (o) *lib. IV de architectura c. V.* Liuius *XXIX c. XI.* (p) Vitruuius *II c. I.* (q) *lib. XLVIII p. m. 383.* (r) Vitruuius *c. l.* (ſ) Ouidius *III Faſt. v. 183.*

Digitized by Google

erat, quam ſacerdotes, ſi forte vetuſtate conſumeretur, inſtaurabant, iisdemque ſtramentis contegebant, vt ſemper maneret integra (t). Quare *Romuli caſam in arce ſtramentis tectam* dicit Vitruuius (u), & *humile tugurium* adpellat Seneca (x). *Area* locus erat conſeptus, huic vel illi deo ſacer, cui tamen nil inædificatum. Ita totum illud ſpatium Capitolii ante extructum Iouis templum Liuius (y) dicit aream Iouis templique eius, quod inædificaretur. Quo facit inſcriptio (z):

Q. VIBIVS. Q. F. MAXIMVS
ARAM VOLCANO
MACERIAQ. AREAM
SAEPIENDAM. PISCINAM
QVE. EX. D. D
DE. PECVNIA. PVBLICA
FACIENDA. COER.

& alia (a): HAEC. AREA. INTRA HANC DEFINITIONEM CIPPORVM CLAVSA VERVBVS ET ARA QVAE EST INFERIVS DEDICATA. Ex ædibus maxime publice dirutis aream faciebant, quod in Caſſii factum, quæ aream dein ante Telluris ædem dederunt (b). Sic & Sp. Melii domus in aream complanata, quæ poſtea Aequimelium dicta (c). In iis autem hoſtias venales fuiſſe propoſitas ex Cicerone diſcimus: *an cum in Aequimelium*, inquit, *miſimus, qui afferret agnum, quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommo-*

 data

(t) Famianus Nardinus *topogr. vrbis Romæ lib. V c. XVI.*
(u) *c. l.* (x) *conſol. ad Heluiam c. IX.* (y) *I c. LV.*
(z) Gruterus *p. LXI n. 35.* (a) *n. 3.* (b) Liuius *II c. XLI.* (c) Liuius *IV c. XV.*

data (d). *Atrium* vero genus erat ædificii ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia deſcendit (e). Idem forſan quod in lapide priſco pronaus dicitur (f) FANVM REFECIT ET PRONAVM DE SVO FECIT. EX VOTO. Atrium publicum dicebatur, quod ante Capitolium (g). *Compitum* templum larium erat in compitis extructum, ad quod facit lapis Veronenſis (h): COMPITVM. REFECERVNT. TECTVM. PARIETES. ALLEVARVNT. VALVAS. LIMEN. DE. SVA. PECVNIA. LARIBVS. DANT. Soli vero in prouinciis Speleum adſignatum reperio, vt eſt in inſcriptione (i):

Deo Soli Inuicto Mithra
D. S. I. M
P. ACIL. PISONIANVS
PATER. PATRATVS
QVI. HOC. SPELEVM. VIOL
IGNIS. ABSVMPTVM
COMPARATA. AREA. A. REPVBL.
MEDIOL. PECVNIA. SVA
RESTITVIT.

Milites in eo mithræ initiabantur, teſte Tertulliano (k). *Petra Taurobolata* mentio fit in lapide priſco

AEMILIA
SERAPIAS
TAVROBOLIVM. FECIT

PE-

(d) *II de diuinat. c. XVII.* (e) Feſtus *hac voce.* Vitruuius *VI c. IV.* (f) Gruterus *p. XXVII n. 2.* (g) *XXIV c. X.* (h) Gruterus *p. CVII n. 1.* (i) *p. XXXIV n. 9.* (k) *de corona militis c. XV.*

PETRAM TAVROBOLATAM
POSVIT

Reineſius (l) de ara explicat, quam Matri deûm vel etiam Mithræ, factis tauroboliis poſuerint. Gutherius lapidem explicat, qui ſacrificii monumentum ad memoriam poſteritatis contineret. Feſtus vero petram manu factam fornicem continere ait. Petra ergo taurobolata locus videtur fuiſſe excauatus, in quo ſacra myſtica taurobolii peragerentur, non ita inter aras ſed templa referenda. Aedes igitur ſaxo excauata erat, vel vti Apuleius (m) adpellat, ſpelunca frondibus inumbrata. *Teſca* loca dicebantur agreſtia alicuius dei (n), inde & loca augurio deſtinata ſic dicta (o). Ipſis quoque templis varia adiungebant, vti ex inſcriptione ſuperius adlata vidimus, *Piſcinam* etiam fuiſſe additam. Erant autem hæc aquarum receptacula, quorum vſus erat in ſacris, Heſychio δεξαμένη ὑδάτων δοχεῖα. *Fauiſſam* vt auctor eſt Feſtus, dicebant locum, in quo aqua incluſa circa templa. M. Varro autem in epiſtola ad Sulpitium (p), fauiſſas Capitolinas adpellatas ait cellas quasdam & ciſternas, quæ in area ſub terra eſſent, vbi reponi ſolerent ſigna vetera, quæ ex eo templo collapſa eſſent, & alia quædam religioſa, donariis conſecratis. Aedi *Zothecam & culinam* addit lapis Tiburtinus (q): HERCVLI. SAXANO. SACRVM SER. SVLPICIVS TROPHIMVS. AEDEM. ZOTHECAM. CVLINAM PECVNIA. SVA. A. SOLO. RESTITVIT. Vbi Zotheca locus dictus videtur, in quo adſeruabantur animalia ad immolandum

(l) *cl. I n. 42.* (m) *lib. I ineunte.* (n) Varro *de L. L. lib. VI p. m. 48.* (o) Feſtus *hac voce.* (p) *II c. X.* (q) Gruterus *p. XLIX n. 3.*

dum parata ; culinæ vero, vbi elixabantur exta & coquebantur carnes : vti culinas locum fuiſſe dictum Feſtus ait, in quo epulæ in funere comburantur. ***Feſtram*** oſtium minuſculum in ſacrario explicat Macrobius (r), quam Feſtus eandem putat, quæ poſt feneſtra dicta. Maxime vero ſolenne in templis erat puluinar, ſimulacrum & faſtigium (ſ). *Puluinar* a puluino in eo differebat, quod hic priuatorum, illud religionis eſſet, atque diuinitatem argueret. Quare Domitianus cum pro deo haberi vellet, lectum ſuum puluinar adpellabat (t). Ex quo etiam loco videmus, quod puluinar fuerit lectus puluinis ſtratus, in quo deorum ſimulacra reponi ſolita, quare & in gloſſa καθίδρυμα dicitur & στρωμνὴ θεῶν. In eo tamen puluinar a lecto differebat, quod lectus tabulatis conſtaret, qui dein ſternebatur culcitris, cum in lectiſterniis excitari puluinorum impreſſionem dicat Arnobius (u). Quare in lectiſternio deorum puluinaria in conſpectu erant (x). Hinc & puluinaria modo pro lectiſterniis, modo pro templis dicuntur, & ſupplicationes apud omnia puluinaria decernere, idem erat ac ad omnia templa (y), cum iis quibus templa dedicata, & puluinaria addita (z). Hinc & Cicero puluinaribus bonæ deæ ſtuprum intuliſſe Clodium ait, cum ſacra eius polluiſſet (a). ***Struppi*** autem in puluinaribus Feſto vocantur faſciculi de verbenis facti, qui pro deorum capitibus ponebantur. ***Faſtigium*** templi dicebatur altitudo vel

(r) *III Saturn. c. XII.* (ſ) Cicero *Philippica II c. XLIII.* (t) Suetonius *Domitiano c. XIII.* (u) *lib. VII p. m. 238.* (x) Liuius *XXII c. X.* (y) Tacitus *XIV Ann. c. XII.* (z) Seneca *conſol. ad Polybiam c. XXXVI.* (a) *de har. reſp. c. V.*

vel tecti forma (b) in trigonum ſurgens, deorum templiis & principum palatiis proprium (c): inde & templa faſtigiata dicta (d). Hæc tamen faſtigia [illegible] ſtatem ſed neceſſitatem ipſam fabricatam eſſe docet Cicero (e). Licet & ea variis ſignis poſtea fuerint exornata, vti in faſtigio Capitolii quadrigas fictiles poſitas dicit Plinius (f). Ornamenta templorum præter ſtatuas & ſigna varia erant. Structura quippe erat magnifica, cum priſcos limina etiam ac valuas ex ære in templis factitaſſe; Veſtæ ædem Syracuſana ſuperficie fuiſſe tectam & in Pantheo Syracuſana columnarum capita a M. Agrippa poſita ſcribat Plinius (g). Parietes tabulatas Laquearia dicta, poſt Carthaginem euerſam inaurata in Capitolio poſita adgnoſcit idem (h). Faſtigium inauratum, podium, pauimenta marmorea, opus tectorium (i), tegulas æneas auratas cum carpuſculis & veſtituris baſium conſtitutas (k), columnas (l) cum epiſtilio ſeu trabe (m), templis fuiſſe additas ex lapidibus priſcis videmus. Addebant vero & templis *arcus*, vti auſpiciis Tiberii arcum propter ædem Saturni dicatam ſcribit Tacitus (n). Marti, Apollini, Mineruæ arcum ſtatuit Veſpaſianus (o). In lapide Romano.

SILVANO SANCTO
C. ASTVRNIVS
MEDICVS. LVDI. GALLIC
PORTIC. ET. EXEDR

(b) Non. Marcellus *cap. VI n. 89.* (c) Suetonius *Caſare c. LXXXI & Claudio c. XVII.* (d) Vitruuius *VII c. V.* (e) *III de Orat. c. XLVI.* (f) *XXVIII c. II.* (g) *XXXIV c. III.* (h) *XXXIII c. III.* (i) Gruterus *p. XCIV n. 11.* (k) Gruterus *p. XCVIII n. 8.* (l) Gruterus *p. LXXXV n. 3.* (m) Vitruuius *III c. II.* (n) *Ann. II c. XLI.* (o) Gruterus *p. LXV n. 3.*

ET. SIGN. AEN
VOTO SVSCEP
L M

Porticus quidem deorum templis fuiſſe additas docet Vitruuius (p), easque magnas ciuitatibus præſtare vtilitates ait, quo ſcilicet populo aduerſus tempeſtates obruentes eſſent receptacula (q). Quare & Cicero eas non plus habere vtilitatis quam dignitatis ait (r). *Exedræ* vero locus amplus & ad conſidendum idoneus erat: de quibus Vitruuius (ſ): *conſtituuntur*, ait, *in porticibus exedræ ſpatioſæ habentes ſedes, in quibus philoſophi, rhetores reliquique qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint, quales etiam in priuatorum erant domibus* (t). Additæ porticibus & *bibliotheca*, quod Ryckius (u) probat, & libro quarto explanabitur vlterius. Prope templa *cellulæ* erant *æditnorum* (x) quas ædituorum contubernia vocat Tacitus (y). Templa autem Romani habebant varia, & quidem quilibet deus ſuum habebat peculiare, cum vnum templum non niſi vni deo dedicari poſſit (z). Licet vnus deus ſæpe, pro ratione nominis diuerſa habuerit templa. *Iouis Feretrii* quidem templum poſt victoriam de Cæninenſibus primum Romæ a Romulo ſacratum eſt (a). Quod in Capitolini collis vertice deſignauit non magnum (b), in quod ſpolia opima, quæ dux duci detraxerat, ſuſpendebantur (c), idque vetuſta-

te

(p) *lib. V c. IX.* (q) Plinius *II ep. XVII.* (r) *III de Orat. c. XLVI.* (ſ) *V c. XI.* (t) Cicero *I de N. D. c. VII.* (u) *de Capitolio c. XXXV.* (x) Minutius Felix *c. XXV.* (y) *III hiſt. c. LXXIV.* (z) Liuius *XXVII c. XXV.* (a) Liuius *I c. X.* (b) Halic. *lib. II p. m. 102.* (c) Liuius *IV c. XX.*

te dilapſum refecit poſt Auguſtus Imperator (d). Numam inde Pompilium Ioui optimo maximo templum in regione vrbis ſexta extruxiſſe, CAPITOLIVM vetus dictum late probat Ryckius (e). Tarquinius Priſcus vltimo bello Sabino templum vouit Ioui, Iunoni atque Mineruæ, quo & feliciter confecto, aream in rupe Tarpeia ædificando templo præparauit (f), licet non niſi aream complanaſſe hunc Priſcum velit Halicarnaſſenſis, Liuius (g) autem atque Tacitus (h) fundamenta etiam ieciſſe adſerunt. Certum tamen eſt, Tarquinium Priſcum locum iſtum augurato conſtituiſſe (i). Manum operi dein admouit ſociorum ſtudio Seruius Tullius (k), capta vero Sueſſa Pometia ex hoſtium ſpoliis plenius extruxit Tarquinius Superbus (l). Primum huius ſuperbi erat, vt aream templo deſtinatam liberam a cæteris religionibus faceret, ac totam Iouis templique eius faceret (m), quod inædificaretur. Quare exaugurare fana ſacellaque ſtatuit, quæ aliquot ibi a Tatio rege primum in ipſo diſcrimine pugnæ aduerſus Romulum, vota, conſecrata, inaugurataque fuerant (n). *Inter principia autem condendi huius operis*, inquit Liuius, *mouiſſe numen ad indicandam tanti imperii molem traditur deos: nam cum omnium ſacellorum exaugurationes admitterent aues, in Termini fano non addixere; idque omen auguriumque ita acceptum eſt, non motam Termini ſedem, vnumque eum deorum non euocatum ſacratis finibus, firma ſtabiliaque cuncta portendere.* Addit & Camillus iuuentutem

(d) *c. l.* (e) *de capitolio c. VIII.* (f) Halic. *lib. III p. m. 201.* (g) *I c. XXXVIII.* (h) *III hiſt. c LXXII.* (i) Halic. *c. l.* (k) Tacitus *c. l.* (l) *c. l.* Liuius *I c. LV.* (n) Liuius *I c. LV.*

tem non mouiſſe, in oratione ad populum (o): *hic Capitolium eſt, vbi quondam capite humano inuento reſponſum eſt, eo loco caput rerum, ſummamque Imperii fore. Hic cum augurato liberaretur Capitolium, Iuuentas, Terminusque maximo gaudio patrum noſtrorum moueri ſe non ſunt paſſi.* Aliud vero quod & Camillus innuit, magnitudinem imperii portendens prodigium ſecutum eſt, caput humanum integra facie, aperientibus fundamenta templi dicitur apparuiſſe (p), quod calido adhuc atque recenti ſanguine manaſſe dicit Halicarnaſſenſis (q), qui & de eo conſultos haruspices Hetruſcos late narrat. Inde vero Capitolium dictum (r). Incoauit ita opus Tarquinius Superbus, & plurimam partem perfecit, non tamen penitus abſoluit. Abſolutum enim opus fuit atque dedicatum tertio poſt eiectos reges anno, ab Horatio Puluillo (ſ). Poſt, deuictis Volſcis ſaxo quadrato ſubſtructum (t). Structuram huius templi Capitolini late deſcribit Halicarnaſſenſis ( ), additque tres in ipſo fuiſſe cellas, ex ordine a lateribus parietum communione clauſas: mediam Iouis, alteram Iunonis, alteram Mineruæ; ſub vna aquila eodemque tecto. Quare & tria iſta numina in nummis aliisque Romanorum monumentis frequentins iunguntur & præſides tutelares Capitolii adpellantur (x). Varie poſt hæc ornatum fuit. Tegulas quidem Capitolii æneas fuiſſe ſcribit Plinius (y), quas Catulus inauranit primus, laquearia

ria

(o) Liuius *V. c. LIV.* (p) Liuius *I c. LV.* (q) *lib. IV p. m. 257.* (r) *lib. IV de L. L. p. m. 9.* (ſ) Halic. *lib. V p. m. 304.* Tacitus *III Hiſt. c. LXXII.* (t) Liuius *VI c. IV.* (u) *lib. IV p. m. 259.* (x) Cicero *pro domo cap. LVII.* (y) *XXXIII c. III.*

ria vero poſt Carthaginem euerſam demum inaurata. Quadrigæ fictiles in faſtigio templi fuere conſtitutæ, quas in fornace, dum coquerentur, excreuiſſe tradit Plinius (z). Tandem etiam de mulcta damnatorum ob fœnora quadrigæ inauratæ in Capitolio poſitæ in cella Iouis ſupra faſtigium ædiculæ, & duodecim clypea inaurata (a). In veſtibulo autem ſtatutas fuiſſe bigas, quibus victoria inſiſtebat, docet Tacitus (b). Sic & ex mulcta fœneratorum ænea in Capitolio limina ædiles poſuere, & trium menſarum argentea vaſa in cella Iouis, Iouemq; in culmine cum quadrigis (c). Ipſas autem fores auro magni ponderis obductas fuiſſe docet Zoſimus (d), quas & cælatas fores adpellat Claudianus (e), quia egregia cælatura fuere conſpicuæ. M. Aemilius Lepidus cenſor columnas circumpoliendas albo locauit, & ab his columnis, quæ incommode oppoſitæ videbantur, ſigna amouit: clypeaque de columnis & ſigna militaria adfixa omnis generis demſit (f). Pauimentum ſcalpturatum in Iouis Capitolini æde primum factum dicit poſt tertium Punicum bellum initum (g). Hoc autem nullum aliud quam Muſiuum fuiſſe putat Ryckius (h), quod vel ſegmentis pretioſi marmoris, vel laterculorum aut vitri, ligniue teſſellis compaginatum vel coloribus amœniſſimis diſtinctum. Superbiebat præterea ſimulacris non deorum ſolum, ſed & aliorum virorum illuſtrium, tropæis quoque & tabulis pictis victorias repræſentantibus. Coronæ aureæ magni ponderis ſæpiſſime Ioui in Capitolio dedicatæ (i). Vaſa varii generis

Vuu & ta-

(z) *XXVIII c. II.* (a) Liuius *XXXV c. XLI.* (b) *Hiſt. I c. LXXXVI.* (c) Liuius *X c. XXIII.* (d) *lib. V. c. XXXVIII.* (e) *in VI conſ Honorii v. 45.* (f) Liuius *XL c. LI.* (g) Plinius *XXXVI c. XXV.* (h) Ryckius *de Capitolio c. XVII.* (i) Liuius *VII c. XXXVIII. XXXII.*

& tabulæ, quibus leges & publica acta continebantur, in eo adſeruabantur; libri Sibyllini quoque arca plumbea concluſi: Quin & anſer argenteus, atque anſeres & canes publico ſumtu ibi alebantur (k). Et quæ alia erant Capitolii ornamenta de quibus late agit Iuſtus Ryckius. Primum vero hoc a Puluillo dedicatum Capitolium interiecto CCCCXV annorum ſpatio L. Scipione & C. Norbano Coſſ flagrauit. Curam reſtituendi victor Sylla ſuſcepit (l), nec tamen dedicauit, hoc ſolum felicitati eius negatum (m). Lutatii Catuli nomen, inter tot Cæſarum opera, vsque ad Vitellium manſit (n). Licet Dio Caſſius (o) inter reliquos honores Cæſari decretos, eum quoque referat, vt nomen eius, deleto Catuli, Capitolio inſcriberetur, potius tamen Tacito credimus. In bello ciuili Vitelliano cum Sabinus Veſpaſiani frater in Capitolium eſſet compulſus, illud altera vice concrematum, atque incertum fuit, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obſeſſi, quæ crebrior fama fuit, quo nitentes ac progreſſos depellerent (p). Reſtitutum inde fuit auctoritate Veſpaſiani, qui hanc curam in L. Veſtinum equeſtris ordinis virum contulit (q). Domitianus illud, cum rurſus arſerat, ſub titulo tantum ſuo, ac ſine vlla priſtini auctoris memoria reſtituit (r). Diſtincta autem inter ſe erant arx atque Capitolium, vti Liuius (ſ) atque Cicero (t) vtraque diſtincte proferunt. Arcem itaque veteribus dictam putat Ryckius, munitiorem illam magisque excelſam montis partem, qua turres murique pinnati &

(k) Cicero *pro S. Roſcio c. XX.* (l) Tacitus *III hiſt. c. LXXII* (m) Plinius *VII c. XLIII.* (n) Tacitus *c. l.* (o) *lib. XLIII p. m. 220.* (p) Tacitus *hiſt. III c. LXXI.* (q) *cap. LXXII.* (r) Suetonius *c. V.* (ſ) *II c. VII. V. c. LI.* (t) *I contra Rullum c. VI.*

ti & templum ipſum Iouis Capitolini fuerit. Quare & Tacitus (u) munitiſſimam Capitolii arcem vocat, & ne magnis quidem exercitibus expugnabilem. Templum vero Iouis in arce fuiſſe claris verbis teſtatur Herodianus (x). Et quis omnem Capitolii ſtructuram, templa, cellas, ornamenta, contentaque alia valeret enumerare, de quibus tamen latius agunt Ryckius, Donatus atque Nardinus. *PANTHEVM* templum Ioui vltori ab Agrippa factum (y), vel ideo ſic dictum, quod in ſimulacris Martis & Veneris multas deorum imagines acciperet, vel quod forma conuexa faſtigiatum (z) cœli ſimilitudinem oſtenderet. Tecto enim ab interiori parte concauo fuit, quod vero in vertice foramen rotundum haberet vt hypetrum eſſet (a). Cum autem vetuſtate collapſum eſſet hoc Pantheum, ab Hadriano (b), Antonino Pio (c) & Septimio Seuero, cum omni cultu fuit reſtitutum (d). *Apollini* templum poſt victoriam Actiacam in monte Palatino exſtruxit Auguſtus, addita bibliotheca latina græcaque (e). Deſcribit illud Propertius (f) dum canit:

Auro ſolis erat ſupra faſtigia currus,
& valua Libyci nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnaſſi vertice Gallos,
altera mœrebat funera Tantalidos.

Vuu 2 Dein-

(u) *Hiſt. III c. LXXVIII.* (x) *lib. VII.* (y) Plinius *XXXVI c. XV.* (z) Dio Caſſius *lib. LIII p. m. 515.* (a) Vitruuius *III c. I.* Marlianus *deſcript. vrbis Romæ c. CV.* (b) Spartianus *Adriano, c. XIX.* (c) Capitolinus *Antonino Pio c. VIII.* (d) Gruterus *p. I n. 1.* (e) Suetonius *Aug. c XXIX.* (f) *lib. II el. XXXI.* Ouidius *III Triſt. el. I v. 30.*

Deinde inter matrem deus ipſe, interque ſororem
Pythius in longa carmina veſte ſonat.
Illic adſpicias ſcopulis hærere ſorores,
Et canere antiqui dulcia furta Iouis.

In templo hoc fuiſſe lychnuchos penſiles, arborum modo mala ferentium lucentes, memorat Plinius (g). Iuxta idem templum Iuriſperitos conueniſſe & de rebus ambiguis tractaſſe tradit vetus Iuuenalis ſcholiaſtes (h). *Dianæ* templa Romæ multa, inter quæ id, quod in vico patritio erat, non intrabant viri (i). *Marti* vltori templum extruxit Auguſtus in Capitolio, ad imitationem Iouis Feretrii, in quod ſigna militaria, quæ a Phraate receperat, ſuſpendit (k). *Vulcani* templum extra vrbem a Romulo conſtitutum, cuius rationem Plutarchus (l) adfert hanc, quod Roma primis temporibus multis incendiis ſubiecta fuerit, quare illi deo tanquam ignis præfecto pro auertendo incendio cultum exhibuerint, & locum talem extra vrbem adſignauerint. In eo olim negotia publica tractabantur (m). Ante illam ædem ſi quæ eſſent proponenda, publice in concionem vocari ſolebat populus (n). *Veſtæ* rotundum templum Numa conſecrauit (o). Id quod puri tantum ingrediebantur, nulli vero maſculo inibi pernoctare fas erat (p). Interior eius pars dicebatur *penus Veſtæ* (q), quam ſoli pon-

(g) *XXXIV c. III.* (h) *ad ſat. I v. 128.* (i) Plutarchus *quæſt. Rom. III & IV.* (k) Dio *lib. LIV p. m. 526.* (l) *quæſt. Rom. XLVI.* (m) Halic. *lib. II p. m. 114.* (n) Halic. *lib. II p. m. 392, lib. VII p. m. 431 & lib. XI p. m. 719.* (o) Bcxhornius *quæſt. XXXI.* (p) Halic. *lib. II p. m. 127.* (q) Feſtus *voce penus.*

pontifices & Veſtales virgines ingrediebantur (r). Adſeruabatur in eo ignis ſacer, ſeu perpetuum penetrale ſacrum. Sed præter ignem, arcana quædam & in vulgus incognita ſacra in eodem templo fuiſſe depoſita memorat Halicarnaſſenſis (ſ). Et quidem ſeruari in eo Palladium, ſiue deos iſtos tutelares Ilienſes putabant, quod ex Troiæ ruinis ſecum adſportaſſe credebatur Aeneas (t). Quod etiam vel ex eo patet, quod in nummis haut raro Veſtæ conſpiciatur imago Palladium ferens. Conſpectum illud quoque fuit, cum Veſtæ templum arderet, & L. Cæcilius Metellus illud ex flammis eriperet (u). Iterum adparuit ſub Commodo, cum Veſtæ templum conflagraſſet, dum Palladium iſtud virgines Veſtales media ſacra via in aulam imperatoris tranſtulerunt, templo vero reſtituto, denuo loco ſuo repoſuere (x). Elagabalus ex templo Veſtæ ſignum, quod Palladium eſſe credebat, abſtulit & in templo ſolis locauit (y). Inde inter penates atque tutelares deos Romanorum relatum, ideoque pignus imperii dictum Liuio (z). *Iani* bifrontis templum a Tatio & Romulo, facta pace conditum, a Numa vero conſecratum, quod belli tempore aperiri, pace autem claudi mos erat (a). Græcis dicitur διθυρον ac δίπυλον. *Saturno* ædem conſecraſſe ſacram Tullum Hoſtilium ſcribit Macrobius (b), quam ærarium eſſe voluit Valerius Publicola, populo Romano auctore, ibidemque contractuum monumenta adſeruabantur, atque legati vndecunque Romam miſſi ad hanc accedebant

(r) Halic. *lib. II p. m. 126.* (ſ) *c. l.* (t) Halic. *lib. II p. m. 127.* (u) *c. l.* (x) Herodianus *lib. I c. XIV.* (y) Lampridius *Elag. c. VI.* (z) *V c. LII.* (a) Liuius *I c. XIX.* (b) *ſaturn. I c. VIII.*

bant ædem, nomina profeſsi apud præfectum ærarii (c). Exterior ædis Saturni pars conſtituebat ædem Opis, in qua adſeruabantur reditus conſueti atque publici (d), vti in interiori parte ſiue æde Saturni erat ærarium ſanctius (e). *Genii* templum gradile erat ſecundum Ammianum Marcellinum (f). *Aeſculapii* templum in inſula Tiberina conſtitutum erat eidem ſacra, in quo ægroti valetudinis cauſſa incubabant, vti Plautus canit (g).

ideo ſit quia hic leno ægrotus incubat
in Aeſculapii fano.

Si ergo ſani facti, vota ſoluebant Aeſculapio, quod docet lapis priſcus (h):

ASCLEPIO
P. AELIVS. POLLIO
VISV. MONITVS
POSVIT.

Quare & ægra & adfecta mancipia a quodam in inſulam Aeſculapii fuiſſe impoſita narrat Suetonius (i). Modum incubandi deſcribit Virgilius (k), dum canit:

caſarum ouium ſub nocte ſilenti
pellibus incubuit ſtratis, ſomnoque petiuit:
multa modis ſimulacra videt volitantia miris,
& varias audit voces, fruiturque deorum
colloquio, atque imis Acheronta adfatur Auernis.

Templum in quo colebatur *Terminus*, deſuper patens fora-

(c) Plutarchus *quæſt. XLI & XLII.* (d) Cicero *Philippica I c. VII.* (e) Plutarchus *quæſt. Rom. XLI.* Macrobius *Saturn. I c. VI.* (f) Ammianus Marcellinus *lib. XXIII p. m. 238.* (g) *Curculione actu I ſc. I v. 61.* (h) Thomaſinus *de donariis p. m. 227.* (i) Claudio *c. XXV.* (k) *VII Aen. v. 87.*

foramen habuit, quia nefas duxerunt Terminum deum pacis, & iuſtitiæ cuſtodem ſub tecto conſpici (l). Vti de eodem deo Ouidius canit (m):

> *nunc quoque ſe ſupra ne quid niſi ſidera cernat,*
> *exiguum templi tecta foramen habent.*

Seruius (n) etiam huic deo non niſi ſub diuo ſacrificari dicit. Lactantius (o) quoque facto Capitolio ſupra ipſum Terminum foramen in tecto relictum ait. *Pudicitiæ* patritiæ ædem in foro Boario poſitam, illæ matronæ, quæ ſemel tantum nupſerant, poterant ingredi (p). Exhinc & pudicitiæ plebeiæ ara poſita (q). *Honori* & *virtuti* ædem bello Gallico vouit Marcellus, dedicationem pontificibus impedientibus (r), quod negarent, vnam cellam amplius quam vni deo rite dedicari. Priori itaque honoris templo addita (ſ) virtutis ædes, adproperato opere, quam dein M. Marcellus filius dedicauit (t), ita tamen extructa hæc volunt, vt per virtutis templum ingreſſus eſſet ad honoris ædem: reſtituit eas ædes poſtea Veſpaſianus (u). *Pacis* templum a Veſpaſiano foro proximum extructum eſt (x), opus maximum & pulcherrimum; ditiſſimumque (y); ibi enim rariſſima dona & ipſa Iudæorum ſacra vaſa repoſita fuiſſe ſcribit Ioſephus (z). In eo olim conueniſſe ad diſputandum profeſſores artium volunt, inſtructiſſima enim pro-

pe

(l) Feſtus *voce Terminus.* (m) *II Faſt. v. 671.* (n) *ad IX Aen. v. 448.* (o) *I c. XX.* (p) Liuius *X c. XXIII.* (q) *c. l.* (r) Liuius *XXIII c. XXV.* (ſ) Plutarchus *Marcello p. m. 314.* Valerius Maximus *I c. I.* (t) Liuius *XXIX c. XI.* (u) Plinius *XXXV c. X.* (x) Suetonius *in vita c. IX.* Plinius *XXXIV c. VIII.* (y) Herodianus *I c. XXII.* (z) *de B. Iud. lib. VII c. XXIII.*

pe erat bibliotheca Pacis dicta, quam commemorat Gellius (a). Vrbi *Romæ* templum primum in prouinciis Aſiaticis extructum (b), dein & Hadrianus in ipſa vrbe dedicauit (c). Diſtinctum hoc a templo genii populi, longe ante extructo (d). Reliqua templa ſi recenſere velimus, in abyſſum immergeremur, vnde emergere haut facile liceret, cum non quælibet diuinitates ſolum ſua habuerint templa, ſed vnus deus ſæpius plura, de quibus topographi vrbis Romæ, Alexander inprimis Donatus & Famianus Nardinus plenius agunt.

DE ARIS

Præcipuam in templis partem faciebant aræ, cum templum haut fuiſſe crediderim, in quo non extaret ara, licet has etiam ſine templis fuiſſe extructas conſtet. Differebant aræ a focis, quod aræ victimis cædendis & precationibus eſſent deſtinatæ; focus autem igni domeſtico. Quare *pro aris & focis pugnare* (e), idem erat ac pro templis & domibus. Licet & focus penatium eſſet & priuatis quoque ſacris nonnunquam adſignetur. Aras autem ad orientem ſpectare oportebat, & ſemper inferiores collocari, quam ſimulacra, quæ in æde erant (f). Quare de C Attinio Cicero loquitur, quod bona Q. Metelli conſecrauerit, foculo poſito in roſtris, adhibitoque tibicine (g). Idem aras, focos atque deos penates coniungit (h), focos quoque patrios atque deos penates (i): Ita Veſtæ

(a) *XVI cap. VIII.* (b) Tacitus *Ann. IV c. LVI.* Liuius *XLIII c. VI.* (c) Spartianus *in vita c. XIX.* Dio *lib. LXIX p.m.789.* (d) Dio *lib. I p.m.423.* (e) *III de N.D. c. XL.* (f) Vitruuius *IV c. VIII.* (g) *pro domo c. XLVIII* (h) *pro domo c. XL.* (i) *pro Sexto Roſcio c. VIII.*

Veſtæ vim ad aras & focos pertinere ait (k), eiusque ignem foci publici ſempiternum vocat. Ortum ſine dubio inde, quod in focis olim domeſticis laribus ſacra facerent, vti dictum. Pro diuerſitate tamen deorum erant diſtinctæ, de quo Vitruuius (l): *altitudines*, inquit, *ararum ſic ſunt explicandæ, vt Ioui omnibusque cœleſtibus quam excelſiſſimæ conſtituantur: Veſtæ, Terræ, marique humiles collocentur: inferis autem aræ ſubterraneæ dicatæ erant.* Hinc aras & ſuperis & inferis diis ſacras, altaria vero ſuperis tantum dicata ait Seruius (m). Simile videmus in Statio (n), vbi canit:

Trunca dehinc nemora aduoluit, mœſtusque ſacerdos
tres Hecatæ, totidemque ſatis Acheronte nefaſto
virginibus, iubet eſſe focos: tibi Rector auerni
quanquam infoſſus humo, ſuperat tamen agger in auras
pineus, hunc iuxta cumulo minor ara profundæ
erigitur Cereri.

Ita & ſolis aram altare dictum lapis priſcus (o) dicet:

IVLIVS. CAESAR
DEC. SOLI
INVICTO
ALTARE

Conſo vero aram ſubterraneam dicatam ait ὅτι τὴν γῆν ὁ θεὸς οὗτος ἔχει, quod deus iſte terram habeat (p). Quare lapis priſcus habet *CONSO AD ARAM SVBTERRANEAM* (q). Et alius Plutoni in loco ſub terra condito a-

(k) *II de N. D. c. XXVII.* (l) *IV c. VIII.* (m) *ad Virgilii æl. V v. 65.* (n) *IV Theb. v. 455.* (o) Gruterus *p. XXXV n. 9.* (p) Halic. *lib. II p. m. 100.* (q) Gruterus *p. MIV n. 6.*

to aram poſitam dicit (r). Gutherius (ſ) quidem in quolibet ſuperorum templo tres ad minimum fuiſſe aras putat; primam in medio templo, quæ ſimulacro inferior; alteram pro foribus, vbi victimæ immolarentur; & tertiam ad miniſteria, Anclabrim dicta. In prima quidem ara adolebant, vti ait Arnobius (t): *thura iniciuntur altaribus ante ipſa numinum ſigna.* Seruius impari numero gauiſos fuiſſe deos ſuperos contendit, inferos vero pari: & tria altaria ſuperis, inferis vero aras tantum binas extructas vult, cum imparem alias numerum proſperiorem ſemper habuerint Romani ſecundum Feſtum. Et quidem in ſuperorum ſacrificiis ternarius numerus ſæpius occurrit: ter circumducebantur hoſtiæ, ter circa aras laneus orbis vinciebatur, ter vinum inferium datum. Varro quidem apud Seruium (u), diis ſuperis altaria, terreſtribus aras, inferis focos dicari adfirmat; Quare & tres haſce ararum ſpecies notat Fabius Pictor apud Macrobium, (x) dum inquit: *exta porriciunto, dis danto in altaria, aramue, focumque eoue quo exta dari debebunt.* Vſus tamen hæc promiſcua fecit, niſi quod focus ſingularem quodammodo retinuerit ſignificationem, vti diximus, aras tamen etiam focos dictos innuit Iſidorus (y). Altaria autem & aras ſæpius confundunt ſcriptores. Tacitus quidem de Seruilia (z), quod accita in ſenatum, primum ſtrata humi longoque fletu & ſilentio; poſt altaria & aram fuerit complexa. Eodem modo vterque Plinius (a) aras & altaria coniungit, Cicero vero

(r) *p. XCVII n. 4.* (ſ) *III de V. I P. c. IV.* (t) *lib. VII. p. m. 231.* (u) *ad ecl. V v. 65.* (x) *Saturn. III c. II.* (y) *XX Origg. c. X.* (z) *Ann. XVI c. XXXI.* (a) Plinius *XV c. XXX.* Iunior *Panegyrico c. I.*

vero altaria generaliori notatione dixit pro qualibet ara (b). Dicebantur & Menſæ, quas in ædibus ſacris ararum vicem obtinere dicit Feſtus, & velut in ararum vel puluinaris loco eſſe. Antiquiſſimis quidem temporibus diis libatum eſſe dicit Halicarnaſſenſis (c), ἐν τραπέζαις ξυλίνοις ἀρχαικαῖς *in menſis ligneis veteribus*, quæ tamen in inſolentem luxum poſt immutata. Poſtea enim menſas & aras in ſacris fuiſſe diſtinctas ex lapide priſco videmus (d):

IOVI. PAGANICO. SACRVM
ET. INDVLGENTIA. DOMINORVM
SVCCESSVS. PVBLICVS. MVNICIPVM
ASISINATIVM. SER. AMOENIANVS
AEDEM. CVM. PORTICIBVS A SOLO
SVA. PEC. FECIT. ITEM. MENSAM. ET. ARAM

Ibi diſtincte proferuntur menſa & ara. Seruius Tullius quidem paganorum inſtituit ſacra: & per ſingulos pagos aras diis tutelaribus dedicari iuſſit, quos communibus ſacrificiis quotannis coli voluit (e). Hæc erat ara Iouis Paganici. Menſa vero miniſteriis diuinis apta Feſto dicitur *Anclabris*, qui eam inde a menſis eſcariis diſtinguit, quod in hisce homines epulentur; in illis vero ſacrificando diis ancletur vel miniſtretur. Menſas enim dicit Macrobius (f), in qua epulæ, libationesque & ſtipes reponuntur: Addit vero ex Papiriano iure: *menſa arulaque eodem die, quo ædes ipſæ dedicari ſolent. Vnde menſa hoc ritu dedicata in templo aræ vſum & religionem* obti-

(b) *Catil. I c. IX. de haruſp. reſp. c. V.* (c) *lib. II p. m. 93.* (d) Gruterus *p. XXI n. 11.* (e) Halic. *lib. II p. m. 220.* (f) *Saturn. III c. XI.*

obtinet puluinaris. Quare & Feſtus Pompeius ait; *menſæ in ædibus ſacris ararum vicem obtinent, quia legibus earum omnium ſacræ quoque menſæ ſunt: vt velut in ararum, vel in puluinaris loco ſint: priuati quoque in primis ipſis ſolis habere ſolent, vbi ſacras habituri ſunt, cuiusmodi eſt parentatio* Inde & Arnobius (g) ait: *ſacras facitis menſas ſalinorum appoſitu & ſimulacris deorum.* Salinum quidem in menſa ſolitum eſſe poni cum patella idem ait & ſimulacra deorum dicebantur θεοὶ ἐπιτραπέζιοι, vti & Statius (h) de Hercule Epitrapezio Vindicis: *caſtæ genius tutelaque menſæ.* Minor ara dicta videtur arula, vt eſt in lapide *ARVLAM SVA IMPENDIA FECIT* (i). Quandoque extruebant *aras tumultuarias*, qualem Herculi Euander βώμον αὐτοσχέδιον extruxiſſe ait Halicarnaſſenſis (k), quas poëtæ *aras gramineas* vocant (l), Horatius *ceſpitem viuum* (m), & Iuuenalis (n):

qua feſtus promiſſa deis animalia ceſpes
expectat.

Capitolinus *aras ceſpititias* (o): Tertullianus (p) *temeraria de ceſpite altaria*, cui & erecta effoſſis ara ceſpitibus dicitur (q). Lucanus *ſubitas congeſtu ceſpitis aras* (r) vocat. Aras nocturnas deorum inferorum dicit Virgilius, (ſ) vbi canit:

tum ſtygio regi nocturnas incoat aras

cum illorum ſacra per noctem agerentur. *Ara maxi-*

ma

(g) *lib. II p.m. 91.* (h) *IV ſylu. VI v. 32.* (i) Gruterus *p. LXI n. 8.* (k) *lib. I p.m. 32.* (l) Virgilius *XII Aen. v. 116.* Silius Italicus *IV v. 703. & lib. XVI v. 262.* (m) *lib. I ode XIX v. 13. lib. IV ode VIII v. 4.* (n) *ſat. XII ineunte.* (o) *Maximo & Balbino c. XI.* (p) *de corona c. VII.* (q) *l. XII C. Theod. de paganis ſacr. & templ.* (r) *lib. IX v. 209.* (ſ) *lib. VI. Aeneid. v. 252.*

ma apud Romanos dicebatur, in qua Hercules ob interfectum Cacum decimas obtulit, ad quam & iuſiurandum & pacta, quæ volebant eſſe firma, peragebant (t). De hac Virgilius (u):

hanc aram luco ſtatuit, quæ Maxima ſemper
dicebatur nobis, & erit quæ Maxima ſemper.

Poſtea autem ſine luco culta in foro boario fuit (x), Tacito dicitur alias ara magna (y). Ara princeps vero Ciceroni dicitur magnæ matris deûm ara, quæ Peſſinunte erat (z). *Infima ara*, quæ Ciceroni (a) dicitur, imam partem aræ notat. Dedicabantur aræ iisdem cæremoniis quibus & templa, præeunte verba pontifice maximo, ſub certis & legibus & titulis. Exemplum in monumento Patauino eſt eiusmodi (b):

LAELIO. CAESARE. IMP. P. COELIO. P. F. BALBINO. VIBVLIO. PIO. COSS. VII. IDVS. OCTOBRIS. CN. DOMITIVS. VALENS. IIVIR. I. D. PRAEEVNTE. IVLIO. SEVERO. PONTIFIC. LEGEM. DIXIT. IN. EA. VERBA. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT. IVPPITER. OPTIME. MAXIME. QVANDOQVE. TIBI. HODIE. HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQVE. OLLIS. LEGIB. OLLISQVE. REGIONIBVS. DABO. DEDICABOQ. QVAS. HIC. HODIE. PALAM. DIXERO. VT. INFIMVM. SOLVM. HVIVS. ARAE. EST. SI. QVIS. HIC. HOSTIA. SACRVM. FAXIT. QVOD. MAGMENTVM. NEC. PRO

Xxx 3 TOL-

(t) Halic. *lib. I p. m. 33.* Liuius *I c. XII.* (u) *VIII Aen. v. 271.* (x) Halic. *c. l.* Tacitus *Ann. XII c. XXIV.* (y) Tacitus *Ann. XV cap. XLI.* (z) *de haruſp. reſp. c. XIII.* (a) *I de diuin. c. XXXIII n. 12.* (b) Gruterus *p. XXXIII n. 12.*

TOLLAT. ITCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTVM. ESTO. CAETERAE. LEGES. HVIC. ARAE. EAEDEM SVNTO. QVAE ARAE. DIANAE. SVNT. IN. AVEN TINO. MONTE. DICTAE. HISCE. LEGIB. HISCE. REGIONIB. SICVTI. DIXI. HANC. TIBI. ARAM. IVPPITER. OPT. MAX. DICO. DEDICOQVE. VTI. SIS. VOLENS. PROPITIVS. MIHI. COLLEGISQ. MEIS. DECVRIONIB. COLONIS. INCOLIS. COLO NIAE. MARTIAE. IVLIAE. SALONAE. CONIVGI BVS. LIBERISQVE NOSTRIS. In veteri ara Martis extat: (c) SI QVIS HANC. ARAM. LAESERIT NV MINA OMNIVM DEORVM ET GENIVM POPVLI ROMANI IRATVM HABEAT. Inſcribebantur aris tituli, vt eſt in lapide (d): C. IVLIVS ANICETVS. ARAM. SACRATAM. SOLI DIVINO. SVSCEPTO. VO TO ANIMO. LVBENS D. D. Quare & Cicero ſcribit (e): *eaque extructio, quæ fit ad memoriam æternitatis, ara virtutis dicitur.* Et in natiuitatem C. Cæſaris aras oſtendi ſcribit Suetonius, (f) inſcriptas, OB AGRIPPINAE PVERPERIVM. Dabanturque epulæ in templorum dedicationibus alias ſolennes. Habebant & aræ ſua ornamenta, vti videmus ex priſco lapide (g):

SOLI. INVICTO. MITRE
M. VLP. MAXIMVS. PRAE
POSITVS. TABELLARI
ORVM. ARAM. CVM
SVIS. ORNAMENTIS

ET.

(c) Reineſius *cl. I n. 86.* (d) Gruterus *p. XXXIII. n. 1.* (e) *Philipp. XIV c. XIII.* (f) *Caligula c. VIII.* (g) Gruterus *p. XXXV n. 1.*

DE TEMPLIS ROMANORVM.

ET. BELA. DOMINI
INSIGNIA HABENTES.
N. IIII
VT. VOVERAT. D. D.

& alia (h):

ISIDI MATRI
SEX. CLAVDIVS. VALERIANVS
ARAM
CVM. SVIS ORNAMENTIS
VT VOVERAT
D. D.

Quæ autem hæc ornamenta aræ, aliunde eſt explicandum. Gutherius (i) quidem varias ſculpturas intelligit, quibus exornauerint aras ſuas, cum corollas, gryphes, pegaſos, coruos & id generis inſculpere fuerint ſoliti. Reineſius (k) vero per ornamenta intelligit, quidquid maioris cultus gratia circum ſtatuas araſue poneretur, fingeretur, pingeretur, conueniens tamen cuiuis ſiue dei ſiue hominis conditioni, ipſiusue operis generi, rationi & ſymmetriæ, vno verbo: quidquid ornatus gratia additum. Sic & C. Iulius Nymphius Syluano dono dedit IMAGINES. ARGENT. PARASTATICAS. CVM. SVIS ORNAMENTIS ET REGVLIS ET BASIBVS ET CONCAMERATIONE FERREA. In ædicula genii omnia ornamenta marmorea facta alius lapis teſtatur (l). Ad hæc ornamenta faciebat pauimentum, vt eſt in lapide (m):

SPEI

(h) Reineſius *cl. I n. 213.* (i) *III de I Pont. c. X.* (k) Reineſius *cl. I n. 105.* (l) Reineſius *cl. I n. 213.* (m) Gruterus *p. CII n. 1.*

SPEI
ARAM. CVM. PAEMENTO.
SOMNIO. MONITVS. SVMTVS
SVO D. D

&' quæ in prima inſcriptione eadem putamus bela; cum βηλὸς Græcis & limen notet & pauimentum, licet Gutherius tabellas ſubſtituat. Huic autem pauimento inſignia, ſiue figura ſolis impreſſa fuiſſe videtur. Gutherius (n) quoque ad aræ baſin frequentes fuiſſe fiſtulas, quarum fluxu atque refluxu continuo pauimentum lauaretur aut purgaretur contendit. Non autem ad ſacra ſolum vtebantur aris, ſed & dum precarentur vel iurarent, eas tenebant; ad eas pangebantur fœdera; erant aſyla. Quare & Cicero (o) inquit: *quod vos cum facere non poteſtis, tanquam in aram ad deum confugitis.* & Ouidius (p) canit:

- - - ipſe ſacram quamuis inuiſus ad aram
confugiam, nullas ſummouet ara manus

DE STATVIS, SIGNIS ET SIMVLACRIS DEORVM.

Statuæ Romanorum promiſcue dicebantur imagines ſimulacra & ſigna. Cicero (q) enim vbi de Tangræ meretricis ſtatua loquitur, eam modo ſimulacrum, modo imaginem, modo ſignum adpellat. Simulacra tamen diis plerumque adtribuuntur & ſigna, rarius ſtatuæ. Liuius quidem Deorum ſigna ſæpius dicit (r) de eorum ſtatuis. Lapides priſci frequenter dicunt: SIGNVM IO-

(n) *lib. III de V. I. P. c. VI.* (o) *III de N. D. c. X.* (p) *V Triſt. el. II.* (q) *pro domo c. XLIII.* (r) *epit. XIV & lib. XXVII c. VI & XXXVIII.*

IOVIS (f). SIGNVM DIANAE (t). SIGNVM ET BASIM (u). ARAM CVM SIGNO (x). Licet & quædam ſigna profana fuiſſe Cicero (y) innuat. Statuas autem deorum primi expreſſerunt Phœnices, a quibus ad Aegyptios, ab illis ad Græcos, atque inde ad Romanos venerunt. Diuerſæ erant & varia conſtabant ex materia, de quo Arnobius (z): *Venerabar o cæcitas nuper ſimulacra modo ex fornacibus promta, in incudibus deos & ex malleis fabricatos: elephantorum oſſa: picturatas veternoſis in arboribus tænias ſi quando conſpexeram, lubricatum lapidem & ex oliui vnguine ſordidatum tanquam ineſſet vis præſens.* Diſtinguit enim Arnobius inter ſimulacra, tænias & lapidem ſacrum: Lignea quidem olim fuiſſe deorum *ſimulacra* aut fictilia in delubris dicata Plinius auctor eſt (a), vsque ad deuictam Aſiam, vnde luxuria; exinde facta ærea. Cereris autem primum ex ære factum dicit (b). Has bitumine illinebant, vt aurum repræſentaret. Iouis quoque ſimulacrum feſtis diebus minio illini ſolitum teſtatur idem (c). Poſt etiam ſigna marmorea & eburnea facta (d): tandem & aurea (e). Ridet hanc Romanorum inſaniem Minutius Felix, qui ait (f): *Deus ligneus, rogi fortaſſe vel infelicis ſtipitis portio, ſuſpenditur, cæditur, dolatur, runcatur: & deus æreus vel argenteus, de immundo vaſculo, vt ſæpius factum Aegyptio regi, conflatur, tunditur malleis, in incudibus figuratur: & lapideus cæditur, ſcalpitur & ab impu-*

(f) Gruterus *p. VIII n. 1.* (t) *p. XXXIX n. 6.* (u) *p. IX n. 5.* (x) *p. XXXVII n. 13.* (y) *in Verrem. lib. IV ineunte.* (z) *lib. I p. m. 22.* (a) *XXXIV c. VII.* (b) *c. IV.* (c) *XXXIII c. VII.* (d) Plinius *XII c. I.* (e) Ryckius *de Capitolio c. XVIII.* (f) *c. XXIII.*

Digitized by Google

impurato homine læuigatur : nec ſentit ſuæ natiuitatis iniuriam, ita vt nec poſtea de veſtra veneratione culturam : niſi forte nondum deus ſaxum eſt, vel lignum vel argentum. Inde *tænias* adducit Arnobius. Moris enim erat priſcis arbores veternoſas religioſa obſeruatione colere, easque vittis vel coronis circumdare. Quare Prudentius vittatam arborem (g) vocat & arborem vittis redimitam Imperator (h). Apuleius (i) ramum coronatum, dum ita loquitur : *Negant ſe vidiſſe qui fuerint, vllum ſaltem in finibus eius aut lapidem vnctum aut ramum coronatum. Quod vtrumque viatoribus moram obiicere ſolebat, vt ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata aut fagus pellibus coronata, vel colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus.* Tænias autem explicat Feſtus, quod ſit ornamentum laneum. Melius vero has arborum tænias explicat ipſe Arnobius (k) : *Quid lanarum* ait *vellera, quibus arboris colligatis & circumuolutis ſtipitem? quid comti violaceis coronis & redimiti arboris ramuli? quid coronæ? quid violæ? quid volucra, mollium & velamenta lanarum?* Vittæ hæ arborum ex lana purpurea intermixto albo conſtabant, vti canit Statius (l):

ac arbore caſta
nectent purpureas niueo diſcrimine vittas

Additæ & lucernæ, de quo Prudentius (m) :

& quæ fumificas arbor vitata lucernas
ſeruabat.

La-

(g) *II contra Symmachum v. 1009.* (h) *l. XII C. Theod. de paganis ſacr. & templis.* (i) *lib. I Florid. ab initio.* (k) *lib. V p. m. 167.* (l) *II Theb. v. 739.* (m) *c. l.*

Lapides autem effigiatos vnctos atque coronatos fuiſſe teſtatur Minutius Felix (n). Lapides hi erant terminales ſolenniter defixi & diuinitus culti. Defigendi quidem ſolennitatem optime deſcribit Siculus Flaccus (o): *Cum terminos*, inquit, *diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant proxime ea loca, quibus foſſis factis defixuri eos erant, & vnguento velaminibusque & coronis eos coronabant. In foſſis autem quibus poſituri eos erant, ſacrificio facto, hoſtiaque immaculata caſa, facibus ardentibus, in foſſa cooperti ſanguine inſtillabant, eoque fruges & thura iactabant: fauos quoque & vinum, aliaque quibus conſuetudo erat terminis ſacrum fieri, in foſſa adiiciebant, conſumtisque omnibus dapibus igne, ſuper calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant.* Adpellant eos de limitibus ſcriptores fines templares & terminos ſacrificales. Nec tamen in confiniis ſemper poſiti hi termini, ſed vbi illos potius ſacrificii opportunitas poni ſuaderet. Lucretius (p) huncce vocat *velatum lapidem.* Vocantur alias lapides ſacri, vt Propertius (q) canit:

aut quicunque ſacer qualis vbique lapis.

Autores limitum tales lapides quadratis vncialibus, qui Γ notatum habebant, inſcriptos volunt, vnde Gammati dicti. *Scriptum* vero *lapidem* Antiſteus Labeo apud Feſtum vocat, vbi diuinam rem facerent. Morabantur autem tales arbores & lapides ſacri viatores ob religionem, vti ſupra ex Apuleio vidimus, de quo & Tibullus (r):

nam venero, ſeu ſtipes habet deſertus in agris
ſeu vetus in triuio florea ſerta lapis.

Yyy 2 Di-

(n) *c. III.* (o) *de condit. agr. p. m. 28.* (p) *lib. V v. 119.* (q) Propertius *lib. IV el. I.* Seneca *Hippolyto. v. 526.* (r) *lib. I el. I.*

Diuos vero lapides quos in templo Dianæ Laodiceæ memorat Lampridius (ſ), aliter non intelligo, quam talia numina; vti & peruetuſtum lapidem Matrem Deúm eſſe volebant Aſiæ populi (t). Sic & lapidem in agro Cruſtumino in lacum Martii de cœlo cecidiſſe ferebant, quem lapidem ſacrum adpellabant (u). Poſt hæc in deorum ſimulacris conſideranda veniunt horum ornamenta & parerga. Ita lapis priſcus habet (x) : VENEREM. AVG. CVM PARERGO & alius (y) :

FORTVNAE. PRIMIGENIAE
SIGNVM. LIBERIS. PATRIS
PANTHEI. CVM. SVIS. PAREGEIS
ET. CVPIDINES. II. CVM. SVIS. LYCHNVCHIS ET
LVCERNA LARVM

Reineſius (z) quidem ornamenta cum parergis eadem putat, ſed inſcriptio diſtinguit, vbi primo Pantheum cum parergis; dein Cupidines cum lychnuchis & lucerna ornamenta ſunt. Ad Parerga referimus baſim, in qua deorum ſimulacra collocata videmus. Quare frequentes occurrunt inſcriptiones, quibus SIGNVM CVM BASI (a) vel BASIM CVM PAVIMENTO MARMOREO (b) CARPVSCVLA etiam & VESTITVRAS BASIVM (c) BASIN STATVAE LAPIDEAM AERE CLVSAM (d) dicata videmus, Habebant & ſuas hypobaſes, vt eſt in lapide (e) :

CRA-

(ſ) *Heliogab. c. VII.* (t) Liuius *XXIX c. XI.* (u) Liuius *XLI c. XIII.* (x) Gruterus *p. LIX n. 2.* (y) *p. LXXVII n. 3.* (z) *cl. I n. 213.* (a) Gruterus *p. XXXVIII n. 1. & 2.* (b) *p. XXXIX n. 4.* (c) *p. XCVIII n. 8.* (d) *p. CCCCXLVIII n. 7.* (e) *p. XLVIII n. 1.*

CRATERAM. ARGTROCORINTHAM
CVM. BASI. SVA. ET. HYPOBASI.
MARMOREA
SVA. PECVNIA. DONVM.
DEDERVNT.

Liberi ſignum BASIM CVM AVLIS vel vti Reineſius legit ANNVLIS alius lapis exhibet (f). Concordiæ BASIN. GRADVM. ARAM (g), dicata reperimus, quo ad ſimulacra elatius conſtituta, poſſit adſcendi, cum frequentius pedes, rarius os & mentum oſcularentur; vti capite ſecundo fuit dictum. Immo ſubſellia quoque ſimulacris fuere addita, vti lapis priſcus docet (h):

M. MARCIVS M
FIL. CELSVS
HERCVLEM. CVM
BASI. ET. ARA. ET SVB
SELLIS. SVO. ET. M. MARCI
ANTONINI. FILII. SVI
NOMINE
D. D.

Addita & concameratio ferrea (i), quam cum Reineſio intelligimus armarium imaginum ex ferro in laminas ducto confectum. Iis autem ſtatuis, quæ poſitæ in publico, vmbella quoque fuit impoſita, vti canit Tibullus (k):

ſic vmbroſa tibi, contingant tecta, Priape,
ne capiti ſoles, ne noceantue niues.

Hæc parerga: de ornamentis illa ipſa inſcriptio loquitur

Yyy 3

(f) *p. LXVII n. 5.* (g) Gruterus *p. C n. 8.* (h) Gruterus *p. XLIV n. 8.* (i) Reineſius *cl. I n. 105.* (k) *lib. I el. IV.*

tur apud Reineſium : IMAGINES. ARGENT. PARASTATICAS. CVM. SVIS ORNAMENTIS. ET. REGVLIS. ET. BASIBVS. ET. CONCAMARATIONE FERREA. Ibi ornamenta a baſi, regulis, & concameratione plane diſtinguuntur. Hæc ornamenta quæ fuerint varii explicant lapides (l) : vt ornamenta ſigni Bacchi:

T. VIBIVS
ZOTECVS VI
VIR. AVGVSTAL
LIBERVM. PATREM
CVM. REDIMICVLO
AVRIFIC. ET. THYRSO
ET. CANTARO. ARG. P. IIS.
TESTAM. PONI. IVSSIT

Vbi per redimiculum Bacchi, corona ex auro confecta intelligitur. Item ſignorum ornamenta erant, quæ ornatus cauſſa cuiuslibet dei ſimulacris addebantur. Innuit & hoc Minutius Felix (m) deos Romanorum metallinos ridens; *ecce*, inquit, *funditur, fabricatur, ſcalpitur; nondum deus eſt: ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur; nec adhuc deus eſt: ecce ornatur, conſecratur, oratur tunc poſtremo deus eſt, quem homo ille voluit & dedicauit.* Hæc enim deorum ſimulacra æque ac templa & aræ conſecrabantur, atque dedicabantur. Quo facit inſcriptio (n):

M. MINDIVS. M. F
GAL. MAXIMVS
STATVAM MERCVRII

OB.

(l) Gruterus *p. LXVII n. 2.* (m) *Octauio c. XXIII.* (n) Gruterus *p. LI n. 3.*

OB. HONOREM. QVINQ.
POSVIT.
CVIVS DEDICATIONE DEDIT
POPVLO. VIRITIM. DENARIOS. SING.
L. D. D. D.

In alio (o): OB. DEDICATIONEM STATVAE. DECVRIONIBVS. ET. SEVIRIS. ET. IVVENIBVS SPORTVLAS. ET. POPVLO. EPVLVM. ET. OLEVM. EADEM. DIE. DEDIT. Addebantur & leges, vt eſt in lapide (p):

MAVORTIO
SACR.
HOC. SIGNVM
A SERVO TANGI
NEFAS EST.

In diis feſtis moris erat deorum ſtatuas ſertis coronis & floribus adficere (q). *Coronæ* quidem inquit Plinius (r), *deorum honos erant & larium publicorum priuatorumque.* Lares quidem familiares coronabantur ſæpius, vti dictum eſt ſuperius. Quandoque etiam deos, tutelares præſertim catenis detinebant, ne ciuitatem deſerant. Hinc Saturnus compede ſoluta Statio (ſ) dicitur. Quo etiam pertinere videtur, quod auro vinctum Palladium in ſui dei templo collocauerit Heliogabalus (t). Erant & hæc ſimulacra inſtar aſyli, de quo Virgilius (u):

diuûm

(o) Gruterus *p. CCCCXIV n. 2.* (p) *p. LI n. 2.* (q) Tertullianus *de corona militis cap. VII.* Arnobius *lib. VII p. m. 237.* Lactantius *II c. 1.* (r) *XVI c. IV. XXI c. II.* (ſ) *I ſylua VI v. 4.* Macrobius *Saturn. I c. VIII.* (t) Lampridius *in vita c. VI.* Curtius *lib. IV c. III n. 22. & ibi Freinsheimius.* (u) *II Aen. v. 517.*

Google

diuûm amplexa ſimulacra tenebant.

In pompis ſolennibus deorum ſimulacra humeris ferebantur, a viris, ea forma, qua finguntur apud Græcos (x), prælatis ſimul muneribus, quæ ſinguli inueniſſe tradebantur. Sæpe ipſa ſimulacra in curru vehebantur, qui dicebatur *thenſa*, quod linteis circumcirca thenſis in delubri ſpeciem coopertus erat. Hinc Cicero (y) *omnes dii*, inquit, *qui vehiculis thenſarum ſolennes cœtus ludorum initis*. Dioni (z) vocatur ἅρμα ὅλον, *currus integer*. Cæſari a Senatu decretum ſcribit Suetonius (a) *thenſam & ferculam Circenſi pompa, templa, aras, ſimulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, Lupercos*. Scilicet omnia fuere decreta, quæ diis competerent alias, inter quæ etiam vt Circenſi pompa imago eius inter alias numinum circumferretur. Ita in Circenſi pompa ſimulacrorum ſeriem, imaginum agmen, currus, thenſas, armamaxas adgnoſcit Tertullianus (b). Diſtinguit autem Suetonius thenſas a ferculis. Thenſæ quidem currus erant, in quibus vehebantur deorum ſimulacra; fercula vero baſes quædam, in quibus pompa Circenſi ſolenni ſtatuebantur deorum ſimulacra. Quod diſcimus ex Cicerone (c), vbi ait: *cauendum eſt autem, ne aut tarditatibus vtamur in greſſu mollioribus, vt pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur*. Dum de greſſibus loquitur Cicero, facile videmus, quo pomparum fercula ducat. *Harmamaxam* autem Tertulliani eandem eſſe puto Græcis, quæ Romanis dicta thenſa. Sic & currum iſtum, in quo Alexandri M. cadauer deportatum fuit, ἁρμάμαξαν adpellat Diony-

Tab. V. n. 31.

(x) Halic. *lib. VII p. m. 478.* (y) *VII in Verr. c. LXXI.* (z) *lib. XLII. p. m. 189.* (a) *Ceſare c. LXXVI.* (b) *de ſpectaculis c. VII.* (c) *I de Officiis c. XXXVI.*

dorus Siculus (d), & deſcribit luculentiſſime. Solenni vero more in Circenſi pompa ſacrorum ſecreta in thenſa reponebantur, & quidem in eadem ſingularis arca fuiſſe videtur, in qua repoſita ſimulacra, quam arcam pilenti vocat Macrobius (e). Aliud magiſtratuum & ſacerdotum vehiculum erat *carpentum* (f), quod currum arcuatum vocat Liuius (g), Dionyſius Halicarnaſſenſis (h) *ἅρμα ἱερὸν currum ſacrum.* Conceſſum tamen etiam fœminis feſto pro feſtoque die vti carpentis (i). Fœminis etiam, quibus diuini decreti honores, carpenta fuere decreta, quibus per circum earum ſimulacra educerentur, vti diuorum thenſis (k). Singulare ergo erat, quod Claudius auiæ diuinos honores, & Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curauit (l). Vtriusque autem figuram videmus in nummis: illius quidem cum elephantis in Auguſti; huius in Agrippinæ in memoriam decretorum diuinorum honorum. Ipſis quoque illuſtrium virorum & principum ſtatuis honores diuini fuere habiti, vt ad eas ſacrificarent. Factum id C. Mario, cui omnibus vicis ſtatuæ factæ, & ad eas thus ac cerei (m): ad Tiberii atque Seiani vero ſtatuas fuiſſe ſacrificatum Dio Caſſius (n) auctor eſt.

DE DONIS ET DIIS OBLATIS.

Præter ſtatuas in templis conſideranda veniunt horum ornamenta, clypei, coronæ & huiuſcemodi donaria. Quæ diis offerebantur communi nomine dicebantur *do-*

(d) *lib. XVIII p. m. 608.* (e) *ſat. I c. VI.* (f) Tacitus *Ann. XII c. XLII.* (g) *I c. XIX.* (h) *lib. V. p. m. 323.* (i) Liuius *V c. XXV.* (k) Suetonius *Claudio cap. XI.* (l) *c. l.* (m) Cicero *III de officiis cap. XX.* (n) *lib. LVIII p. m. 623.*

na & *donaria*, licet & locus, vbi reponerentur ea, ita fuerit adpellatus (o), vti & Apuleius (p) de fano Iunonis inquit: *ibi donarium deæ perquam opulentum: plurima auri & argenti ratio in lancibus, ſpeculis, poculis, & huiuſcemodi vtenſilibus. Magna etiam vis æris vario effigiatu, veterrimo & ſpectabili opere.* Sacrabantur talia dona in templis vel ex voto, vel poſt actos triumphos (q) inferebantur, vel ab exteris gentibus Romanorum diis dono dabantur. Votum quo dona diis ſacrabant vel publicum erat vel priuatim conceptum. De priori Liuius memorat, quod ſenatus conſulem, cui prouincia Macedonia euenisſet, ludos Ioui donumque vouere iusſerit (r). Cuius voti verba concepta ipſe quoque adducit (ſ). Sic & maximis & periculoſisſimis bellis matri deûm Impp. Romanos Pesſinunte ad illam ipſam principem aram, vota perſoluiſſe teſtatur Cicero (t). Ita quoque Agrippina ac Seiano interemtis, decretum a Senatu, vt XV Kl. Nouembris vtriusque necis die, per ſingulos annos donum Ioui ſacraretur (u), item vt Iduum Septembris dies, quo ſe Libo Druſus interfecerat, dies feſtus haberetur, & dona Ioui, Marti, Concordiæ conſecrarentur. Exempla alia pasſim extant apud Scriptores. Frequentisſima triumphantium erant dona in templa illata. Camillus ex bello contra Volſcos triumphans incedens, tres pateras aureas in cella Iouis poſuit (x). C. Sulpicius auri ex Gallicis ſpoliis ſatis magnum pondus ſaxo quadrato ſeptum in Capitolio ſacrauit (y). M. Claudius Marcellus

(o) Iſidorus *Origg. XV. c. V.* (p) *floridis p. m. 350.* (q) Tacitus *Ann. XV c. XLV.* (r) Liuius *XXXI c. IX.* (ſ) Liuius *XXXVI c. II.* (t) *de haruſp. reſp. c. XIII.* (u) Tacitus *Ann. VI c. XXV.* (x) Liuius *VI c. IV.* (y) Liuius *VII c. XV.*

lus Torquem aureum magni ponderis de præda Boiorum & Inſubrum Ioui in Capitolio dedicauit (z). L. Aemylius de Gallis triumphans τὸ μὲν καπιτώλιον ἐκόσμησε ταῖς τε σημείαις καὶ τοῖς μανιάκοις, *Capitolium ſignis eorum militaribus & armillis ornauit* (a). L. Scipio tabulam victoriæ ſuæ Aſiaticæ in Capitolio poſuit (b). L. Martius ille Scipionum in Hiſpania vltor, clypeum Asdrubalis ex auro ſupra fores Capitolinæ ædis fixit (c). Pompeius tertio triumpho ſuo ſex pocula myrrhina tunc primum in vrbem inducta Ioui Capitolino dedicauit (d). Sic & hoſtium ſpoliis ornabant templa (e), vti de Sp. Papirio poſtquam de Samnitibus triumphaſſet, inquit Liuius (f): *ædem Quirini, quam in ipſa dimicatione ab dictatore patre votam filius conſul dedicauit exornauitque hoſtium ſpoliis, quorum tanta multitudo fuit, vt non templum tantum forumque his ornaretur, ſed ſociis etiam coloniisque finitimis ad templorum locorumque publicorum ornatum diuiderentur.* Quæ *dona captiua* dicuntur Silio Italico (g). Alexander teſte Lampridio (h), tunicas Perſicas in Capitolio locauit. Auguſtus Veneri, Cleopatræ margaritam victo Antonio ſacrauit (i). Et quæ alia donabant diis. Solenne erat vt coronæ vel a triumphantibus, vel iuſſu populi, vel ab gentibus exteris inferrerentur dona in templa deorum. Primum quidem corona nulla niſi deo dabatur; inde natum, vt etiam triumphaturis con-

(z) Liuius *XXXIII c. XXXVI.* (a) Polybius *lib. II. c. XXXI.* (b) Plinius *I c. IIII.* (c) Plinius *XXXV c. III.* (d) Polybius *II p. m. 119.* (e) Liuius *X c. II.* Gruterus *p. XXVI n. 11.* (f) *X c. XLVI.* (g) *lib. II v. 196.* (h) Lampridius *in vita c. LVII.* (i) Macrobius *Saturn. III c. XVII.*

ferrentur in templis dicandæ (k). Aſiæ enim vrbes Imperatores triumphaturos coronis donabant, qui factum, vt in Q. Fuluii Flacci triumpho coronæ centum viginti quatuor præferrerentur (l), in Aemilii Regilli triumpho quinquaginta (m). Ex publica pecunia populi iuſſu a Mamerco Aemylio dictatore corona aurea libræ pondo in Capitolium Ioui dono fuit poſita (n). Fortunæ Primigeniæ centenæ coronæ fuere dedicatæ, vti ex inſcriptione Præneſtina patet (o):

VOTORVM. MORE. SVORVM
CENTENAS. ADICIT. NVMERO. CRESCENTE. CORONAS.
FORTVNAE. SIMVLACRA. COLENS. ET. APOLLINIS. ARAS.

Exterarum vero gentium legati coronam auream Romanorum diis offerebant. Vti Latinorum & Hernicorum legati gratulatum de concordia Patrum ac plebis Romam venerunt, donumque ob eam Ioui optimo maximo, coronam auream in Capitolium tulerunt (p). Carthaginenſes legatos gratulatum de variis victoriis Romam miſere, cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio, in Iouis cella poneretur (q). Ab Attalo rege in Capitolio poſita eſt corona aurea CCXLVI pondo (r): a legato Philippi regis ibidem poſita corona C pondo (ſ). Clypei, quibus templa maxime repleta erant, forma conſtabant rotunda & conſecrabantur, atque dicebantur voti-

(k) Plinius *XVI c. IV.* (l) Liuius *XL c. XLIII.* (m) Liuius *XXXVII c. LVIII.* (n) Liuius *IV c. XX.* (o) Thomaſinus *de donariis c. XXII.* (p) Liuius *III c. LVIII.* (q) Liuius *VII c. XXXVIII.* (r) Liuius *XXXII c. XXVII.* (ſ) Liuius *XXXVII c. LVIII.*

votiui. Licet & alii ornatus tanta cauſſa ſæpe in templis dicarentur. Ita Liuius (t): *multos pecuarios damnarunt, ex ea pecunia clypea inaurata in faſtigio Iouis Aediles poſuerunt.* Et alio loco (u): *duodecim clypea aurata ab Aedilibus Curulibus P. Claudio & Ser. Sulpicio Galba ſunt poſita ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compreſſam damnarunt.* Antiquiſſimus enim mos erat, templa aliaque arma, tanquam victoriæ inſignia, templis dicare, vti canit Virgilius (x), de regia Latini, quem locum ſacrum eſſe dicit:

multaque prᴂterea ſacris in poſtibus arma:
captiui pendent currus, curuaque ſecures,
& criſta capitum & portarum ingentia clauſtra.
Spiculaque, clypeique ereptaque roſtra carinis.

Horum tanta erat copia in Capitolio, vt M. Aemylius cenſor & pontif. max. de columnis ea demeret (y). Singularis alias honos erat, ſi decerneretur cuipiam clypeus aureus. Factum id Octauio Cæſari, quod teſtatur nummus, in cuius parte altera clypeo rotundo inſcriptæ litteræ S. P. Q. R. CL. V. *Senatus, populusque Romanus, clypeus votiuus.* Caligulæ inter reliquos honores decretus eſt clypeus aureus (z). Claudio Imp. talis totius ſenatus iudicio in Romana Curia collocatus eſt (a). M. Bæbio a decurionibus clypeum argenteum erectum fuiſſe memorat lapis priſcus (b). Dedicabant inde pro ſalute parentum, patronorum aliorumue cly-

Zzz 3 peos

(t) *XXXV c. X.* (u) *XXXVIII c. XXXV.* (x) *VII Aen. v. 183.* (y) Liuius *XL c. LI.* (z) Suetonius Calig. *c. XVIII.* (a) Trebellius Pollio *Claudio c. III.* (b) Gruterus *p. CCCLXXIV n. 1.*

peos etiam priuati, quos & ſolenni more dedicabant, vt eſt in lapide *(c)*:

NESTORI
AVG. NEPETE
HIC. LVDOS. FECIT
ET DEDICATIONE
STATVAE. PATRONI
QVAM. IPSE. POSVIT
ET. CLVPEI. SVI. ITERVM
MVNICIPIBVS. NEPESINIS
EPVLVM DEDIT.

Præter hæc priuati varia dona offerebant diis, vel ex voto vel alia quauis ex cauſſa. Pompeius M dactyliothecam eam, quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicauit (d). Auguſtus imperator in cellam Iouis Capitolini ſedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quinquenties H S. vna donatione contulit (e). Sic in templa Capitolinum maxime, inferebantur dona quæ vel arte, vel pretio eſſent inſignia. Ita in Capitolino templo Plinius dicit *(f)*, oſtendi amphoras duas propter tenuitatem conſecratas, diſcipuli magiſtrique certamine, vter tenuiorem humum duceret. Candelabra quoque miræ artis in templis ſuſpenſa (g). Candelabrum e gemmis clariſſimis, opere mirabili, quod Syriæ reges Ioui Capitolino deſtinauerant, C. Verrem interuertiſſe teſtatur Cicero (h). Iunoni Placidæ bullam ; ſcyphum & tripodem fortunæ dicatum

(c) *p. CCCCXLI n.* 7. (d) Plinius *XXXVII c. I.* (e) Suetonius *Auguſto c. l.* (f) *XXXV c. XII.* (g) Plinius *XXXIV c. III.* (h) *IV in Verrem. c. XXVIII.*

tum memorat lapis priſcus (i). Veneri vero phialam argenteam (k), Aeſculapio torquem aureum ex dracunculis (l). De his autem lex erat iuris pontificii: *ſacrum ſacroue commendatum qui clepſerit, rapſeritque, parricida eſto* (m). Non ſine ratione Cicero ſacrum & ſacro commendatum diſtinguit: Illud quidquid diis dicabatur, dicebant; hoc vero, quod ſecuritatis gratia in templis reponebatur, quod & nunc multis fit in fanis ait idem (n). Confirmat id Herodianus (o): qui de templo pacis πλουσιώτατον ἦ ἦν πάντων ἱερῶν, δι' ἀσφάλειαν ἕκαστος καὶ ἃ εἶχεν ἐκεῖσε ἐθησαυρίσατο. *ditiſſimum erat inter omnia templa, in quo quilibet, ea quæ haberet ob ſecuritatem repoſuerat.* Præter hæc autem dona varia variorum erant donaria, de quibus late agit Thomaſſinus. Alia quidem villicorum, alia nubentium, alia nauigantium, alia triumphantium dona, alia aliorum ex ipſa re petita. Sic triumphantes varia victoriæ tropæa, torques, coronas, laurus, clypeos, ſpolia ab hoſtibus capta, arma, tabulas præliorum pictas, deorum templis dicare ſolebant. Iuuenes tonſas comas offerebant Apollini; de quo Statius (p):

accipe laudatos iuuenis Phœbeie crines
quos tibi Cæſarius donat puer, accipe lætus.
intonſoque oſtende patri.

Sic & Apollini barbam & Baccho crines oblatos idem indicat (q):

ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Iaccho.

Bar-

(i) Gruterus *p. XXV n. 2.* (k) *p. LIX n. 2.* (l) *p. LXX n. 8.* (m) Cicero *II de LI c. IX.* (n) *II de LI c. XVI.* (o) *lib. I c. XIV.* (p) *lib. III ſ. IV v. 6.* (q) *VIII Theb. V 492.*

Barbam ſuam Nero cum primam poneret, conditam in auream pyxidem & pretioſiſſimis margaritis adornatam Ioui Capitolino conſecrauit (r). Cuius cauſſa ſingulare quoque feſtum celebrauit, iuuenalia dictum (ſ). Virgines ſuſpendebant laribus molles pilas, reticula ac ſtrophia (t). Quæ vero matrimonio iam erant aptæ, zonam dicabant Veneri. Et ſic de reliquis. Vltimo loco inter dona diis oblata referendæ & *ſtipes*, quas diis iaciebant. Suſtulit quidem eas ius pontificium, excepta ea, quæ ad paucos dies matri Idææ ipſius feſto propria (u), quod tamen de ordinaria & annua intelligendum; extra ordinem æque aliis diis ſtipem conferebant. *Diis* inquit Varro (x), *qui theſauris aſſem dant, ſtipem dicant.* Sic cum ex effato Marcii vatis ludi Apollinis faciendi eſſent extra ordinem, ad conquirendos ſumtus prætor edixit, vt populus per eos ludos ſtipem Apollini, quantam commodum eſſet, conferret (y). Quare & Seneca inquit (z): *diis poſuimus donum & ſtipem iecimus.* Stipes alias in lacum iacere mos antiquus fuit pro ſalute principum. Ita Suetonius de Auguſto (a): *omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro ſalute eius ſtipem iaciebant.* Et Seneca de Nili quadam ora (b): *in hac*, inquit, *ſtipem ſacerdotes, & aurea dona præfecti, cum ſolenne venit ſacrum, iaciunt.* Confirmat de Clitumno amne Plinius (c): *fons exit,* ait,

(r) Suetonius *Nerone c. XII.* (ſ) Dio *libro LXI exeunte.* (t) Varro apud Nonium *cap. XIIII n. 8.* (u) *II de LL. c. XVI.* (x) *lib. IV de L.L. p. m. 30.* (y) Liuius *XXV c. XII.* (z) *VII de Benef. c. IV.* (a) Suetonius *Aug. c. LVII.* (b) *lib. IV natur. quæſt. c. II.* (c) *lib. VIII ep. VIII.*

ait, *& exprimitur pluribus venis, ſed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus & vitreus, vt numerare iactas ſtipes & relucentes calculos poſſit.* Poſteriori tempore ipſi Imperatores captabant ſtipes, quas plenis ante eum manibus ac ſinu omnis generis turba fundebat (d).

* * * * * * * * * *

CAPVT DVODECIMVM *De* *SACERDOTIIS ROMANORVM.*

VTi de promouenda religione ſolliciti maxime erant Romani, ita ſacerdotum originem & iura ſingulari modo efferre ſibi propoſuerunt. Pleraque & potiora ſacerdotia ex Numæ oriebantur inſtituto, quorum prolixam facit mentionem Dionyſius Halicarnaſſenſis (e). De horum autem iuribus, priuilegiis & officiis libros publicos compoſitos fuiſſe teſtatur Gellius (f), qui & FABIVM PICTOREM in eadem materia ibi adlegat. Sic & quæ ad Pontificum, haruſpicum, aliorumque ſacerdotum maiorum munia cognoſcenda faciunt, ex CICERONIS binis orationibus, quam *pro domo ſua ad Pontifices*, & *de haruſpicum reſponſis* in Senatu habuit, optime hauriri poterunt. AELIVM STILONEM in carminibus Saliaribus citat Feſtus (g). OCTAVIVM HERSENNIVM

Aaa a

(d) Suetonius *Caligula c. XLII.* (e) *lib. II a. p. 124. ad 133.* (f) *X. c. XV.* (g) *voce manuos.*

NIVM vero *de ſacris ſaliaribus Tiburtium* Macrobius (h). Inter recentiores eosque minores habemus *ANDREAM DOMINICVM FLOCCVM*, qui libro primo *de poteſtatibus Romanorum*, ſacerdotiorum materiam breuiſſime tractat; prodiit aliquoties ſub falſo antiquiſſimi hiſtorici *FENESTELLAE* olim nomine circumlatus. Alius quidem fœtum eſſe voluerunt alii: Robortellus Poggio attribuit Florentino, Alciatus Pomponio Læto; ſed ex manuſcriptis codicibus verum edixit auctorem Gyraldus, vti latius declarat Voſſius (i). Sic & breuiſſimi extant libelli *POMPONII LAETI*, *RAPHAELIS VOLATERRANI*, & *HENRICI BEBELII de ſacerdotiis* Romanorum, qui cura Aegidii Witſii prodiere, & antiquitatibus Caroli adnexi ſunt, editionis Francofurtenſis *1643. 12*; extant & in Petri Scriuerii republica Romana, *Lugduni Bat. 1629. 12* edita. *ROSINVS* huic materiæ librum ſuum tertium deſtinauit, ſed pleraque ſua deſcripſit ex *ONVPHRII PANVINII de Ciuitate Romana* tractatu, cuius prioribus CXLV capitibus materiam hancce ex monumentis præcipue veterum egregie perſequitur. *VVOLFFGANGVS LATZIVS* in commentario ſuo *de Republica Romana* libro III aliquot capita ſacerdotibus reliquit. *GVILIELMVS CHOVLIVS* tractatui ſuo de religione etiam ſingularem de ſacerdotiis adnexit. Peculiaris autem eſt *PAVLI MERVLAE de ſacerdotibus Romanorum tractatus*, qui cum aliis eiusdem prodiit *Lugduni Bat. 1684. 4* quem ſecundum inſtitutorum ſacerdotiorum tempora ordinat; luculentus alias, licet & ipſe ſæpius Panuinio vſus. Hisce adiun-

(h) *I ſaturn. c. XII.* (i) *de hiſtor. latinis lib. I c. XIX p. m. 100.*

adiungimus *IACOBI GVTHERII de veteri iure pontificio* libros quatuor, de quibus iam ſupra dictum, qui præter ſacrorum iura, pontificum munia & religionem erudite declarant. Celeberrimus vir, *IOANNES ANDREAS BOSIVS*, cuius omnia quæ edidit, nil niſi eruditionem ſummam ſapiunt, inter primos labores eſſe voluit binas exercitationes ſuas; quarum prior *de pontifice maximo Romæ veteris* agit, altera *de pontificatu maximo Imperatorum Romanorum*, prodiere *Ienæ 1656. 4.* & vna cum Guthierio quinto Tomo Theſauri Græuiani inſertæ. Scriptum eſt erudititiſſimum, in quo quidquid ad hanc materiam ſpectat, illuſtratur, pontificis maximi dignitas & iura pro merito efferuntur, multæ inſcriptiones ſæpe intricatisſimæ emendantur, modo reſtituuntur & explicantur accuratisſime: in quo noſter Reineſii potisſimum inſtituta fuit ſecutus, cum quo frequens ei fuit litterarum commercium. Et cum *IACOBVS GOTHOFREDVS* ſub ficto primum nomine *IACOBI PACIDII*, in *epiſtola ad Andream Riuetum de interdicta chriſtianorum cum gentilibus communione*, de Pontificatu quoque maximo tractaſſet quæſtionem, *num Chriſtiani Imperatores eum aliquando* geſſerint, idque plane denegaret; Boſius & rationibus motus & teſtimoniis veterum probatisſimis, Gothofredi rationes, quas ex ſilentio ſcriptorum eccleſiaſticorum & inſcriptionibus quibusdam perperam explicatis, potisſimum deſumit, conſtantisſime refellit & pontificatum maximum Chriſtianorum etiam Imperatorum firmiter adſtruit. Prodiit Gothofredi epiſtola primum *Geneuæ 1645. 8* inde cum opuſculis Iuridico hiſtorico-politicis *Geneuæ 1654. 4* Sacerdotium cum ipſis diis cœpit; Romulus quippe binos ex ſingulis cu-

riis legit, quos eorumque vxores ſacerdotio fungi voluit (k). Numa autem Pompilius & ſacra Romanorum ordinauit & ſacrificia inſtituit alia (l); qui vniuerſam ſacerdotiorum rationem primum in octo partes diſtribuit, Curiones, Flamines, Tribunum Celerum, Augures, Virgines Veſtales, Salios palatinos, Fetiales & Pontifices, quæ diuerſæ ſpecies & numero dein auctæ & alii inſuper additi. *Diuis* autem *aliis alii ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis flamines ſunto,* ex veteri iure pontificio refert Cicero (m). Eligebantur igitur ad ſacerdotia viri ampliſſimi, (n) ἄλλων διαφανέστατοι, vti loquitur Halicarnaſſenſis (o). Regem quidem ſacrorum, flamines maiores tres & Salios palatinos ex patriciis fuiſſe lectos; reliquos vero ſacerdotes ex parte dimidia, ſeu partim ex plebe partim ex patritiis teſtatur Cicero (p). Primis enim temporibus omnia ſacerdotia in manibus erant patriciorum; quod cum grauiter ferrent plebeii, per tribunos tandem eo res fuit redacta, vt & ea, paucis exceptis, cum plebe communicarentur, vti late narrat Liuius (q). Primis quidem temporibus moris erat, vt Pontifex maximus crearetur comitiis tributis, rex ſacrificulus centuriatis, flamines curiatis, omnes a populo; reliqui ſacerdotes a collegiis cooptabantur. Ita de pontificum & augurum collegio teſtatur Liuius (r), quod alios in demortuorum locum cooptauerint, vti & ſuis locis dicetur pluribus. Poſt Coſſ. Q. Maximo Scipione & L. Mancino A. V. C. DCCCVIII C. Licinius Craſſus tribunus plebis legem iusſit

(k) Halic. *lib. II p. m. 92.* (l) *lib. II p. m. 124.* (m) *II de LI c. VIII.* (n) *pro domo c. I.* (o) *lib. VIII p. m. 510.* (p) *pro domo c. XIV.* (q) *lib. X c. VI.* (r) *XL c. XLII.*

iuſſit, qua cooptatio collegiorum ad populi beneficium transferebatur, quam tamen vti ipſe auctor eſt. diſſuaſit Lælius (ſ). Poſt hunc Cn. Domitius Ahenobarbus Tribunatum agens, pontificibus infenſior, quod alium quam ſe in patris ſui locum cooptaſſent, ius ſacerdotum ſubrogandorum a collegiis ad populum tranſtulit, vti innuit Suetonius (t). Rem totam exponit Cicero (u), vbi de Comitiis pontificis maximi ita loquitur: *Maiores noſtri tam fuere populares, vt quod per populum creari fas non erat, propter religionem ſacrorum in eo tamen propter amplitudinem ſacerdotii voluerunt populo ſupplicari, atque hoc idem de cæteris ſacerdotiis Cn. Domitius tribunus plebis vir clariſſimus tulit: quod populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, vt minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui eſſet factus, is a collegio cooptaretur.* Ita diuerſa erant iura populi & collegiorum. Populus eligebat, collegia electos a populo cooptabant. Legis autem iſtius Domitiæ mentionem videmus factam in nummo, qui exhibet inſtrumenta pontificalia, cum inſcriptione CN. DOMIT. CN. F. Sylla poſtea rerum potitus, hanc quoque Domitiam ſuſtulit, reſtituitque collegiis arbitrium creandorum ſacerdotum, teſtante id Aſconio Pediano (x). Hac autem abrogata T. Atius Labienus tribunus plebis Domitiam reduxit, quo ipſo quoque factum, vt C. Cæſar nondum Prætorius, viris conſularibus præferreretur, & in locum Q. Metelli Pii Pontifex crearetur (y). M. Antonius autem poſt necem Cæſaris, vt ad M. Aemylium Lepidum Pontificatum

(ſ) Cicero *dial. de amicitia c. XXV.* (t) *in vita Neronis. c. II.* (u) Cicero *agr. II c. VII.* (x) *in diuinat. p. m. 19.* (y) Dio *lib. XXXVII p. m. 46.*

Digitized by Google

maximum transferret, ſacerdotum electionem a populo ad pontifices iterum tranſtulit (z). Ita ius cooptandi ſacerdotes quater fuit immutatum; a C. Domitio, Sylla, Labieno & Antonio; Manutius (a) addit & vicem quintam. Panſa enim conſule a populo iterum ſurrogatos ſcribit ſacerdotes. Ita enim Cicero ad Brutum (b): *Panſa viuo celeriora omnia putabamus, ſtatim enim collegam ſibi ſubrogaſſet: deinde ante prætorum ſacerdotum comitia fuiſſent, notum autem alias comitia ſemper dici de populo.* Immo conſtat quoque ex Dione (c), leges Antonii a Panſa fuiſſe abrogatas, quod & ex Cicerone (d) patet, acta Antonii fuiſſe reſciſſa, inter quæ & hæc erat de ſacerdotiis. Imperatores demum abrogatis legibus prioribus, ius eligendi ſacerdotes ad ſe rapiebant. Senatus enim teſte Dione (e), inter alia Auguſto quoque concesſit, vt ſacerdotes quotcunque vellet, neglecto etiam numero antiquitus recepto, conſtitueret, quod quidem ab eo acceptum, deinceps in infinitum excreuit. Quare & factum nonnunquam, vt ſuper numerum cooptarentur ſacerdotes. Ita de Druſo Germanico teſtatur nummus aureus, quod in omnia collegia ſuper numerum fuerit cooptatus, cum inſcriptione SACERD. COOPT. IN. OMNI. COL. SVPRA. NVMER. S. C. & de Antonino Philoſopho inſcriptio vetus (f).

LATERANO. ET. RVFINO. COS.
SVPER. NVMERVM
COOPTATVS. EX. S. C.

M. AV-

(z) Dio *lib. XLIV circa fin.* (a) *de Legibus Romanis cap. II.* (b) *ep. V.* (c) *lib. XLVI p. m. 317.* (d) *Philippica XIII c. XIII.* (e) *lib. LI p. m. 457.* (f) Gruterus *p. CCC.*

M. AVRELIVS. ANTONINVS
CAES. DESTINATVS.

Dicebantur iſti alias *adlecti ;* vt Adlectus ſupra numerum Seuirum Auguſtalium (g) & Adlector collegii Iſidis (h). Alexander dein Seuerus pontificatus & quindecimuiratus & auguratus codicillares fecit, ita vt in ſenatu adlegerentur (i). *Codicillares* dicebantur, qui per codicillos Imperatoris dignitatem ſenatoriam fuerant adepti, vti nos docet Conſtantius ſcribens ordini Cæſenatium (k) : *Si quis* inquit, *clariſſimæ meruerit infulas dignitatis, nec indulti muneris gratiam codicillorum adlegatione percepit, impetrata fructum dignitatis amittat.* Quare eadem codicillorum inſignia dicuntur (l) & Caſſiodoro (m) codicillares dignitates. Non autem cooptari ſacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio eſſet inimicus (n) : abſentis tamen lege Domitia habenda quoque erat ratio (o). Lex etiam priſca aperte prohibebat, ne duo quidam ex vna gente idem ſacerdotium haberent : in cuius tamen fraudem L. Cornelius Spinther Cornelium Spintherem filium ſuum, cum inter augures referri cuperet, in quorum collegium Cornelius Fauſtus Syllæ filius iam adſcriptus, in Manlii Torquati gentem adoptandum dedit (p). Licet lex iſta a Dione adlegata, incerti alias & auctoris ſit & temporis. Eandem quoque comprobatam videmus, in Auguſti nepoti-

(g) *p. CCCCXLIX n. 1. p. CCCCLI n. 4.* (h) *p. LXXXIII n. 4.* (i) Lampridius *Alexandro Seuer. c. XLIX.* (k) *l. XLII C. Theod. de decurionibus.* (l) *l. XII C. de dignitatibus.* (m) *IV Var. ep. XXV.* (n) Cicero *III ad Fam. ep. X.* (o) *ad Brutum ep. V.* (p) Dio *lib. XXXIX p. m. 99.*

potibus C. & L. Cæſaribus, inter quos Caius pontifex, Lucius augur vti inſcriptiones antiquæ docent (q).

C. CAESARI AVGVSTI F.
PONTIFICI. COS.
DESIGNATO
PRINCIPI IVVENTVTIS

L. CAESARI AVGVSTI F
AVGVRI CONS.
DESIGNATO
PRINCIPI IVVENTVTIS

Ipſe vero Veſpaſianus pontifex maximus filium Titum pontificem fecit, vti ex lapide priſco (r) adparet. Atque hæc ipſa electio veteribus dicebatur nominatio (ſ), vti Cicero (t) de Cnei Pompeii filio : *in paternum auguratus locum, vt quod a patre acceperam, filio reddam, mea nominatione cooptabo.* Duos autem tantum nominaſſe ex Cicerone diſcimus, qui de ſe ipſo (u) : *quo enim tempore me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius & Q. Hortenſius nominauerunt, neque enim licebat a pluribus nominari.* Plinius diem nominationis vocat (x), quod eo nominarent, quos digniſſimos ſacerdotio iudicabant (y). Electi igitur antequam inaugurarentur, vel in collegia cooptarentur, dicebantur deſignati, vt eſt in lapide priſco (z) : SACRATA. DOMVS. AVGVSTO M. CLODIVS. PONT. DESIG. Inde & Iulius Cæſar dicitur Flamen Dialis deſtinatus (a). Facti nunc ſacerdotes *capi* dicebantur, quod in vir-

(q) Gruterus *p. CCXXXIV n. 4.* (r) *p. CCXLIV n. 4.* (ſ) Liuius *XXVI c. XXIII.* (t) *Philippica XIII c. V.* (u) *Phil. II c. II.* (x) Plinius *IV ep. VIII.* (y) *II ep. I.* (z) Gruterus *p. CCXVII n. 1.* (a) Suetonius *Caſare cap. I,*

virginibus non ſolum Veſtalibus ſolenne erat, ſed & flamines diales, pontifices atque augures captos fuiſſe Gellius ex priſcis auctor eſt (b). Capi vero dicebantur, quia manu prehenſi a Pontifice maximo, quaſi hoſtes capti abducebantur. Creati ſacerdotes *inaugurabantur* per augures (c), certo die præfinito, quem ipſi ſumebant (d). Illi vero, quibus abire de ſacerdotio poteſtas data, *exaugurari* dicebantur (e). Inaugurati opiparam parabant cœnam, *aditialem* ſacerdotii dictam (f); dicebatur & cœna pontificum (g), vel ab inauguratione (h), vel a creatis auguribus auguralis (i), a Saliis dicebantur epulæ Saliares (k). Atque in eiusmodi cœnas quibus dicis cauſſa ſemper intererant pontifices (l), magni impendebantur ſumtus (m). Ita tricies H. S. adiiciales cœnas frugaliſſimis viris conſtitiſſe ait Seneca: (n) & Plinius (o) Hortenſium cœna aditiali primum pauonem cibi gratia Romæ occidiſſe ait. Succedebant filii nonnunquam patri in ſacerdotio, vti exemplum videmus in Cneii Pompeii filio, qui patri in auguratu ſucceſſerat (p). Hos autem filios ſacrorum vocatos Gutherius (q) probare contendit ex lapide priſco, in quo: FONTEIO. ONESIMO. FILIO. SACRORVM. SIGNVM. ET. BASIM. quæ tamen ita intelligenda, quod Fonteius Oneſimus ſacrorum cauſſa ſignum dono dederit. Digni-

(b) *I c. XII.* (c) Macrobius *III Saturn. c. XIII.* (d) Cicero *Philipp. II c. XLIII.* (e) Gellius *VI c. VII.* (f) Plinius *X c. XX.* (g) Macrobius *c. l.* (h) Cicero *VII. ad Fam. ep. XXVI.* (i) Cicero *c. l.* (k) Horatius *lib. I ode XXXVIII.* (l) Plinius *XXVIII c. II.* (m) Macrobius *c. l.* (n) *ep. XCV.* (o) *X c. XX.* (p) Cicero *Philippica XIII c. V.* (q) *de V. I. P. I c. VII.*

gnitas ſacerdotum erat maxima, ita vt iis rebus deſperatiſſimis pro legatis vterentur, ob religionis auctoritatem (r). Dabatur cum ſacerdotio ſimul maioribus toga prætexta, ſella curulis & flaminium (ſ). Lictores quoque adſignant ex Plutarchi quæſtione vltima: hinc lictor Flaminius apud Feſtum. Quin & carpento Capitolium ingredi illis antiquitus conceſſum (t). Perpetua autem dicebantur ſacerdotia, quia per vitæ tempus paucis exceptis durabant (u). Ita augures ne ob flagitia quidem ſacerdotio priuari poterant (x). Inter honores regis ſacrorum non minimus erat, vt eſſet perpetuus, τὴν τιμὴν ταύτην ἔχων διὰ βίου, vti loquitur Halicarnaſſenſis (y). Flamines quoque in lapidibus priſcis dicuntur perpetui (z). Immo etiam ſingulare ſacerdotum erat priuilegium, vacatio a militia & oneribus perſonæ inhærentibus (a). Lex autem erat, vt ſacerdotes ſenesque vacationem haberent a militia, niſi ſi tumultus Gallicus oriretur (b). Ita a muneribus quoque aliis publicis in coloniis habebant vacationem, niſi volentes, vti patet ex inſcriptione apud Gruterum (c). Quare & Symmachus (d) inſigne eſſe dicit ſacerdotii vacare muneribus. Ab iis autem quæ extra ordinem præſtanda, immunes quidem erant (e), non vero ab hiſce quæ ordinaria.

(r) Halic. *lib. VIII p. m. 510.* (ſ) Liuius *XXVII c. VIII.* (t) Tacitus *XII Ann. c. XLII.* (u) Dionyſ. Halic. *lib. II p. m. 92.* (x) Plutarchus *qu. LXVII.* Plinius *IV ep. VIII.* (y) *lib. IV p. m. 269.* (z) Gruterus *p. CCCCII n. 5. p. CCCCLXXX n. 5.* (a) Cicero *acad. quæſt. IV c. XXXVIII.* Halic. *c. l.* (b) Appianus *lib. II B. Ciu. p. 306.* Plutarchus Marcello *ab initio.* Cicero *Philipp. VIII c. I.* (c) *p. CCCCLXXXIV n. 6.* (d) *lib. X ep. LIV.* (e) *l. VI π. de vacat. mun. l. vn. C. eod.*

naria. Quare tempore belli Macedonici Q. Fabio Labeoni & Aurelio prætoribus vrbanis, magnum certamen cum omnibus ſacerdotibus fuit de collatione ſtipendiorum militarium, atque ab ſacerdotibus, licet ab hiſce tribuni adpellati, omnium annorum, per quos non dederant, exactum eſt (f). Erant autem ſine imperio & poteſtate: ſic enim apud Liuium (g) patricii, graue putant, ſi Salii, Flaminesque nusquam alio quam ad ſacrificandum pro populo ſine imperio ac poteſtatibus relinquantur; quod ad pontifices, maximum præcipue, non eſt extendendum. Habitus & ornamenta erant varia. Prætexta, commune magiſtratuum & ſacerdotum erat veſtimentum, vti L. Valerius tribunus plebis apud Liuium (h) loquitur: *purpura viri vtemur, prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis.* Erat autem toga alba limbo purpureo circumtexta, ſeu candida cum ora purpurea (i) Græcis dicta περιπόρφυρον ἱμάτιον (k), vti libro quarto pluribus explicabimus. Capitis ornamentum erat apex. Tria quidem pileorum genera facit Suetonius apud Seruium (l); apicem, tutulum, galerum. *Apex* pileus ſubtilis erat, in cuius medio virga eminebat, eratque flaminum & ſacerdotum omnium proprius. Ita enim Feſtus: *apex* inquit, *ſacerdotum inſigne, dictus eſt ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, apere dicebant, vnde aptus is, qui conuenienter alicui iunctus eſt.* Licet potius ab ipſa virga in ſummo eminente apicem dictum putem. Maxime vero conueniebat Flamini Diali:

Tab. V n. 32.

(f) Liuius *XXXIII c. XLII.* (g) Liuius *IV c. LIV.* (h) *XXXIV c. VII.* (i) Catullus *Argon. v. 307.* (k) Plutarchus *Sertorio p. m. 575.* (l) *ad Virgilii II Aeneid. v. 683. & ad VIII Aen. v. 667.*

li : inde apicatum Dialem vocat Ouidius (m): conſtabat autem ex lana, vt Virgilius *lanigeros* apices dixit (n). *Apiculum* vero, inquit Feſtus, *filum erat, quo flamines velatum apicem regerebant.* *Tutulus* pileus lunatus erat, metæ figura, atque pontificum & flaminum erat, ſecundum Feſtum. Hinc Tutulati dicti Ennio (o) atque Varroni (p). *Galerus* albus, ſeu albogalerus infula erat alba, confecta ex pelle hoſtiæ Ioui cæſæ. Quod rotundum pileolum vocat Seruius (q), quaſi ſphæra media ſit diuiſa & pars vna ponatur in capite. Figura ergo conſtabat hemiſphærica ſine apice. Pontificum erat proprius, vti diſcimus ex Apuleio (r), dum ait: *Hoc Diogeni & Antiſtheni pera & baculus, quod regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus.* Qualem galerum e marmore antiquo quoque exhibet Choulius (ſ), quem variis figuris exornatum videmus. Dependent ab apicibus & galeris ligulæ laneæ, quas *offendices* vocat Feſtus, quibus apex retineatur vel remittatur, atque quibus & ſub collo adligaretur, ne decideret. Alias adparent pontifices, dum ſacra faciunt ac ſacerdotes alii lauro atque aliis frondibus diis ſacratis capita coronati (t), cum capite velato. *Suffibulum* vero Feſto dicitur veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Veſtales virgines ſacrificantes habebant, idque fibula comprehendebatur: ad quem Feſti locum Scaliger notat, in ſacrario deæ Opeconſiuæ legem fuiſſe ſcriptam: *hoc*

Tab. V n. 31.

(m) *III Faſt. v. 396.* (n) *VIII Aen. v. 666.* (o) *II Ann. p. m. 267.* (p) *VI de L.L. p. m. 52.* (q) *c. l.* (r) *apologia p. m. 274.* (ſ) *de relig. p. m. 213.* (t) Macrobius *III Sat. c. XII.*

hoc præter virgines Veſtales & ſacerdotem publicum introire nefas eſto, is cum introerit ſuffibulum habeto. Ita Pontifices quoque Veſtæ penetralia introeuntes ſuffibulo vſos fuiſſe videtur, virgines Saliares autem in regia ſacrificium facientes paludatæ adparebant cum apicibus, auctore Feſto. Augurale veſtimentum erat *Læna* (u), quod ſecundum Feſti explicationem habitus erat duplicis, ſeu quod aliis ſuperindueretur. Et quidem vti Gutherius (x) ex monumentis priſcis declarat, veſtis vna in modum tunicæ breuior erat; altera oblonga in modum pallii tunicæ imponebatur. Sic & auguralis erat *trabea* (y), quæ ex purpura conſtabat & cocco. Omnes autem vtebantur veſtimentis puris, ſeu ſecundum Feſtum non obſitis, non maculam habentibus. Manſere hæc ſacerdotia ſub primis Imperatoribus Chriſtianis, cum ſub Diocletiano ſacerdotum collegia adhuc memorêt Arnobius (z); a Theodoſio autem omnia ſacerdotibus ſalaria abſcindebantur & priuilegia abolebantur, expulſiue vtriusque ſexus ſacerdotes (a), id quod dein Arcadius atque Honorius confirmarunt (b). Varie autem diſtincti erant ſacerdotes apud Romanos. Quidam enim vel omni ſacerdotio præerant, vel ſpeciali tantum ſacrorum parti: quidam certis ſuis diis attributi, quorundam locus erat in ſacrificiis, alii denique ſacerdotum erant miniſtri. Quatuor autem præ cæteris Romanorum erant collegia ſacra, quæ τὰς τέσσερας ἱερωσύνας τελέων quatuor ſacerdotia perfectorum vocat Dio (c), eaque enume-

(u) Cicero *de claris orat. c. XIV.* (x) *lib. I c. XXIX de V. I. P.* (y) Seruius *ad VII Aen. v. 612.* (z) *lib. IV p. m. 151.* (a) Zoſimus *lib. V cap. XXXVIII.* (b) *l. XIV C. Theod. de pag. ſacrif. & templ.* (c) *lib. LVIII p. m. 629.*

numerat (d): pontificum ſcilicet, augurum, ſeptemuirorum & quindecimuirorum. Licet potius adſentiar Ciceroni (e), qui ſeptemuirorum loco haruſpices ponit, & ſingulos a ſe inuicem diſtinguit, dum ait: *maiores noſtri ſtatas ſolenneſque cærimonias pontificatu: rerum bene gerendarum auctoritates augurio, fatorum veteres prædictiones Apollinis vatum libris: portentorum explanationes Etruſcorum diſciplina contineri putarunt.*

COLLEGIVM PONTIFICVM

Pontifices Romulo regnante, nulli erant (f), ſed a Numa inſtituti (g), vnde autem dicti ſatis non conſtat. Plutarchus quidem in vita Numæ (h) a latinorum potens deducit, quod facerent, quæ potis eſſent, aliorum opinionibus reiectis. Varro (i) & Dionyſius Halicarnaſſenſis (k) a ponte ſic dictos putant pontifices, quod ab his primum pons ſublicius factus, qui ligneus erat ſupra Tiberim, atque pontificum curæ demandatus, vt ab iis ſi forſan collaberetur, reſtitueretur. Q. Scæuola (l) deducit a poſſe & facere, quod priſcis idem ac ſacrificare. Zoſimus (m) ideo dictos putat, quod Græci deorum effigies in Penei fluminis ponte primitus ſtatuerint, atque ab eo more, cum Romani pleraque ſacra ſua a Græcis hauſerint, maximi ſacerdotii participes a ponte nomen fuiſſe adeptos, qui Græcis dici poſſint γεφυραῖοι. Quam tamen opinionem Plutarchus tanquam ridiculam reiicit. Licet non adeo abſona hæc videatur ratio, cum hoc for-

(d) *lib. LIII ineunte* (e) *de haruſp. reſp. c. IX.* (f) Liuius *IV c. IV.* (g) Dionyſius Halic. *lib. II p. m. 132.* (h) *p. m. 65.* (i) *lib. IV de L.L. p. m. 15.* (k) *c. l.* (l) Varro *c. l.* (m) *lib. IV c. XXXVI.*

forſan in cauſa ſit; quod pontis ſublicii reſtituendi curam pontificibus demandauerit Numa, atque ideo ſacra vis & cis Tiberim non mediocri ritu facta tradit Varro. Præſes pontificum dicebatur PONTIFEX MAXIMVS, vel pontifex ſummus (n), pontifex publicus populi Romani (o), vel ſimpliciter etiam pontifex (p). Græcis *ὁ μέγιστος τῶν ποντιφίκων* (q), *ἀνὴρ ἱεροφάντης ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχων* (r). Primum Pontificem Numa creauit Marcium ex patribus, eique ſacra omnia exſcripta adſignataque attribuit (ſ), an vero hic ſolus, an præter hunc alii minores creati, de eo diſceptatur. Potius tamen plures fuiſſe creatos ex oratione Canuleii tribuni plebis videmus, qui pontifices a Numa fuiſſe inſtitutos ait (t), quod & adfirmat Florus (u). Ita & Halicarnaſſenſis *τῆς Νομᾶ διατάξεως* meminit, dum inſtituerit pontifices (x). Idem *ἱεροφάντας* ab Anco conuocatos memorat (y). Liuius ergo cum de vno pontifice dicit, reliquos non excludit, ſed illum primum & maximum innuit. Primus autem maximus circa bellum Punicum primum ex plebe creatus eſt T. Coruncanius (z), cum alias patricii ſoli hoc ſibi vindicaſſent ſacerdotium. Eligebatur pontifex maximus ex ipſis pontificibus, ſuffragiis populi & quidem comitiis populi tributis (a), quæ exinde comitia pontifici maximo creando dicta (b), quibus interim alius pontifex præerat (c), licet non omnes tri-

(n) Tacitus *Ann. II c. LXXI.* (o) Liuius *VIII c. IX.* (p) Liuius *XXVIII c. XI.* (q) Plutarchus *Numa p. m. 67.* (r) Dionyſ. Halic. *lib. III p. m. 178.* (ſ) Liuius *I c. XX.* (t) Liuius *IV c. IV.* (u) *lib. I c. VIII.* (x) *lib. II. p. m. 132.* (y) *lib. III p. m. 178.* (z) Velleius *I cap. CXXVIII.* Liuius *epit. XVIII.* (a) Suetonius *Iulio cap. XVIII.* (b) Liuius *XXV c. V.* (c) Liuius *c. l.*

tribus ſuffragia dixiſſe ex Cicerone pateat, ſed ſeptendecim tantum tribus, quæ ſorte ductæ (d), quod minorem partem populi vocat. Syllæ tamen legem vti alia ſacerdotia, ita & pontificatum maximum a populo ad collegia duxiſſe, ex eo concludimus, quod cum Cæſar in locum Q. Metelli Pii pontifex vellet ſubſtitui, in plebe autem plurimum ſpei reponeret, T. Labienus in eius fauorem legem Domitiam reduxit (e). Inde vero M. Antonius Pontificis maximi electionem a populo ad ſacerdotes iterum tranſtulit, vt M. Lepidum ad pontificatum eueheret (f), quem inde furto creatum dicit Velleius (g). Poſt Lepidi mortem Auguſtus pontificatum maximum ſuſcepit, ſine dubio a populo delatum, qui hunc honorem viuo adhuc Lepido in eum transferre cupiebat, Auguſto tamen dum recuſante (h). Reliqui Imperatores, ne viderentur poteſtatem qua vtebantur, ex potentia potius, quam legibus habere (i), ſummum hoc ſacerdotium ſemper ſuſcipiebant, quo & religionum ſacrorumque omnium potirentur. Et quidem hanc dignitatem ex Scto adepti fuiſſe videntur, quo iam olim decretum, vt ſi filius Cæſari naſceretur, is ſummus Pontifex conſtitueretur (k). Vti & de Macrino teſtatur Capitolinus (l), eum pontificem maximum a Senatu adpellatum decreto Pii nomine. Primum quidem non ſtatim ipſo initi imperii die, ſed paullo poſt hæc dignitas deferebatur. Alexander Seuerus (m) enim in oratio-

ne

(d) Cicero *agraria II c. VI & c. VII.* (e) Dio *lib. XXXVII p. m. 46.* (f) Dio *lib. XLIV in fine.* (g) *lib. II c. LXIII* (h) Appianus *V Ciuil. p. 746.* (i) Dio *lib. LIII.* (k) Dio *lib. XLIV p. m. 243.* (l) *in vita c. VII.* (m) Lampridius *in vita c. VIII.*

ne ad Senatum gratias agit, ſibi vna cum Auguſti nomine additum & pontificatum maximum & poteſtatem tribunitiam & imperium proconſulare, quæ omnia nouo exemplo vno die in eum contulerit ſenatus, quod & idem poſtea Probo euenit (n). Immo Zoſimus (o) auctor eſt, ſimul ac ſummum Imperium quis fuerit conſecutus, ſtolam ſacerdotalem a pontificibus ei fuiſſe oblatam, idque ad tempora Gratiani vsque fuiſſe ſeruatum. Quare & in titulis Imperatorum in nummis & inſcriptionibus primum Pontificis maximi ſtatim videmus, aliis omnibus præmiſſum. Non autem niſi ſolos Imperatores Pontifices maximos; Cæſares ſolum Pontifices fuiſſe dictos, immo vsque ad tempora Alexandri Seueri vnum tantum fuiſſe pontificem M. ex lapidibus aliisque erudite declarat accuratiſſimus vir, Ioannes Andreas Boſius; qui & idem probat ex hiſtoriis, non titulum ſolum geſſiſſe Imperatores, ſed & re ipſa res ſacras ordinaſſe (p). Immo & in poſterioribus late, non coniecturis ſolum, ſed certis teſtimoniis contra Gothofredum probat, Chriſtianos Imperatores titulum etiam Pontificis maximi vsque ad Gratianum geſſiſſe, qui primus, teſte Zoſimo, (q) extremis tamen annis etiam titulum hunc reiecit. Pontifice autem maximo demortuo, ſtatim quidem in collegium cooptabatur alius pontifex, quo numerus eſſet completus, ex quo collegio iterum ſuppleto, demum poſt aliquot interuallum, eligebatur Pontifex maximus. Videmus id exemplo L. Cornelii Lentuli, pontificis maximi, in cuius demortui locum ſtatim

Cccc pon-

(n) Vopiſcus *Probo c. XII.* (o) *lib. IV c. XXXVI.* (p) *de Pontificatu Maximo Impp. Roman. cap. II & ſeqq.* (q) *c. l.*

pontifex ſuffectus eſt M. Cornelius Cethegus (r). Altero anno vero poſt hoc, nouo pontifice Cethego comitia habente, pontifex maximus creatus P. Licinius Craſſus (ſ). Haut facile tamen creabantur maximi pontifices, qui ſella curuli non ſediſſent, licet non plane generale hoc eſſet (t). Ita nec certa ætas definita, cum Q. Metellus Pius adoleſcens pontifex maximus creatus dicatur (u), ætas tamen magiſtratibus petendis apta ſine omni dubio fuit requiſita. Dicebatur Pontifex maximus, quia ſecundum Feſtum, maximarum rerum, quæ ad ſacra & religiones pertinent, iudex erat, licet & eodem teſte, inter minores pontifices, *maximus* dictus fuerit, qui primus in id collegium venit, item *primus*, qui nouiſſimus. Officium pontificis conſiſtebat vel in adminiſtratione, vel in imperio ac poteſtate ſacra. Officium aliud peculiare erat, eique ſoli conueniebat, aliud quod cum pontificum collegio haberet commune. Ita de officio Pontificis maximi loquitur Liuius (x): *Numa pontifici ſacra omnia exſcripta exſignataque adtribuit: quibus hoſtiis, quibus diebus, ad qua templa ſacra fierent, atque vnde in eos ſumtus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica priuataque ſacra, pontificis ſcitis ſubiecit, vt eſſet, quo conſultum plebs veniret: ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinosque adſciſcendo turbaretur. Nec cæleſtes modo cærimonias, ſed iuſta quoque funebria, placandosque manes, vt idem pontifex edoceret:* Præerat ergo interpretandæ religioni, & ſtatim ac Pontificatum ſuſcepiſſet, edicebat de cærimoniis (y), qua-

(r) Liuius *XXV c. II.* (ſ) Liuius *XXV c. V.* (t) *c. l.* (u) Sextus Aur. Victor *de viris illuſtr. p. m. 498.* (x) *lib. I c. XX.*

(y), quare & conſeruator cærimoniarum publicarum in lapide priſco dicitur (z). Deinde eius erat prouidere, ne quid religio detrimenti pateretur, quare quæ de ſacris conſtituta, transgredi (a), & ſacra per peregrinos ritos turbari prohibebat (b). Et ſi quid contra ius religionis a Senatu populoue decretum eſſet, intercedebat. Sic cum Cn. Flauius Aedilis curulis ædem Concordiæ dedicare vellet, negabat Cornelius Barbatus P. M. niſi conſulem aut Imp. templum poſſe dedicare (c). Cum ciuitas ludos Ioui donumque vouere iuſſiſſet conſulem, moram voto publico Licinius P. M. attulit, qui negauit ex incerta pecunia poſſe voueri (d). Auguſtus quidquid librorum fatidicorum nullis vel parum idoneis auctoribus ferebatur, ſupra duo millia vndique contracta cremauit (e). Actibus quibusdam religioſis præire tenebatur, dedicationibus templorum, votis, obſecrationibus, deuotionibus ſolennibus, aliisque. Et cum verbis ſolennibus ex tabula præirent; Græci illud adpellant ἐξηγεῖσθαι (f) latini præfari carmen (g), vel præire (h). Ipſam autem formulam Pontificale carmen dicit Seneca (i) In his tamen maxime dabant operam, vt voce & verbis minime hæſitantibus id facerent. Quare Metello P. M. laudi ducit Valerius (k), quod tutelam cærimoniarum per duos & viginti annos neque ore in votis hæſitante, neque in ſacrificiis tremula manu geſſerit. Sacris quoque omni-

 bus

(y) Tacitus *II Hiſt. c. XCI.* Suetonius *Vitellio c. XI* (z) Gutherius *de Iure Pontificio lib. I c. XII.* (a) Plutarchus *Numa p. m. 67.* (b) Liuius *I c. XX.* (c) Liuius *IX c. XLVI.* (d) Liuius *XXXI c. IX.* (e) Suetonius *Aug. c. XXXI.* (f) Plutarchus *Camillo p. m 134.* (g) Liuius *V c. XLI.* (h) Liuius *IX c. XLVI.* (i) *Conſol. ad Martiam c. XIII.* (k) *lib. VIII. c. XIII.*

bus & in Circenſi pompa præcinuiſſe Pontificem Maximum ex Cicerone (l) contendit Gutherius (m), ſed recte probat Boſius (n), Lentulum, quem ibi compellat Cicero, ne pontificem quidem fuiſſe, ſed vti coniector, ex Septemuiris epulonum, quibus iſtæ præcentiones competebant. Anni (o) quoque & annalium cura illi incumbebat, quos inde annales maximos adpellabant (p). *Ab initio enim rerum Romanarum*, inquit Cicero (q), *vsque ad P. Mutium Pont. max. res omnes ſingulorum annorum mandabat litteris Pontifex max. efferebatque in album & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi, ii qui etiam nunc Annales maximi nuncupantur.* Hos autem ſine vllis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum fuiſſe ait. De quibus annalibus intelligendus eſt Cato apud Gellium (r), dum ait: *non libet ſcribere, quod in tabula apud pontificem maximum eſt, quoties annona cara, quoties lunæ aut ſolis lumini caligo aut quid obſtiterit.* Quorum annalium maximorum librum vndecimum idem quoque Gellius (ſ) citat, eosque annales maximos adpellat. Hosque faſtos & commentarios pontificum adpellat Liuius (t). De quibus & plebeii conquerebantur olim, ſe ad eos non admitti (u), quæ tamen incenſa vrbe pleraque interiere. Ab hisce tamen alii erant *cæremoniarum libri*, de quibus initio capitis ſecundi dictum fuit, quos pontifices ſibi tantum reſeruabant & ſupprimebant, licet

(l) *de haruſp. reſp. c. X.* (m) *I de V. I. P. c. XI.* (n) *de Pontifice max. c. IV. §. 6.* (o) Macrobius *I ſaturn. c. XII.* (p) *III Saturn. c. H.* Feſtus *voce maximi annales.* (q) *II de Orat. c. XI.* (r) *II c. XXVIII.* (ſ) *IV c. V.* (t) *lib. VI ab initio.* (u) *IV c. III.*

licet eos redarguat Cicero (x),quod ex ſua diſciplina multa effluere atque ad aliorum aures manare ſinant. De adrogationum quoque atque adoptionum cognoſcebat cauſſis. Adrogationes enim inquit Gellius (y), non temere nec inexplorate committuntur, nam comitia arbitris etiam pontificibus præbentur, quæ curiata adpellantur, iusque iurandum a Q. Mucio pontifice maximo conceptum, quod in adrogando iuraretur. Adoptiones quoque apud pontifices fiebant (z), lege tamen curiata (a); non vero vt ipſi pontifices rogationem ferrent ad populum, ſed apud pontifices, vel arbitris pontificibus, vti loquebantur veteres, hæc peragebantur, idque ideo, quia is, qui adoptabatur in gentem quoque & ſacra patris adoptantis tranſibat. De matrimoniis autem & partu cum reliquis pontificibus edicebat. Imperium & iura in varias res exercebat. Feſto ideo dicitur iudex atque arbiter rerum diuinarum ac humanarum: alias rerum, quæ ad ſacra & religiones pertinent iudex, vindexque contumaciæ priuatorum, magiſtratuumque. Quare & Cicero iudicium & iudicum poteſtatem eidem attribuit (b). Incumbebat enim Pontifici maximo imperium in omnia ſacerdotia, ſpeciatim ſacra Veſtalia, quod late declarat Ouidius (c). Quare & Plutarcho Veſtalium ἐπίσκοπος dicitur (d), Veſtalesque virgines ſingulari more rituque capiebat (e). Sic & de Veſtalium, vt infra dicemus, aliorumque ſacerdotum delictis frequenti tamen collegio iudicabat (f). Collegi-

Cccc 3

(x) *pro domo c. XLVI.* (y) *lib. V c. XIX.* (z) Cicero *pro domo c. XIV.* (a) Tacitus *Hiſt. I c. XV.* (b) *pro domo c. I de haruſp. reſp. c. VII.* (c) *III Faſt. v. 417.* (d) *in Numa. p. m. 66.* (e) Gellius *I c. XII.* (f) Cicero *de haruſp. reſp. c. VII.*

legium enim conſulebat, cuius decretum exequebatur. Quod Poſthumiæ exemplo comprobamus, de qua Liuius (g): *ampliatam, dein abſolutam pro collegii ſententia pontifex maximus abſtinere iocis colique ſancte potius quam ſcite iuſſit.* Ita vt ipſis quoque pœnas irrogaret capitales. Sic de Cantilio ſcriba pontificum iuſſu Pontificis M. eo vsque in comitio cæſo, vt inter verbera expiraret, teſtatur Liuius (h). Rex ſacrorum pontifici erat ſubiectus (i), quod multo magis de minoribus ſacerdotibus erit dicendum. Flamines quoque diales a pontificibus ire in prouincias prohibiti (k), & dicto vt audiens eſſet flamen pontifici iuſſus (l), & C. Seruilius P. M. Cornelio Dolabellæ mulctam dixit, eumque magiſtratu ſe abdicare iuſſit, antequam eum regem ſacrorum inauguraret (m). Quare & mulctam ſacerdotibus imponere poterat, ſi imperio non eſſent audientes (n). Ius quoque comitia calata habendi eidem competebat, centuriata quidem regis ſacrorum inaugurandi cauſſa, curiata flaminum inaugurandorum (o). Tributis quoque tribunorum plebis creandorum cauſſa, licet illud Q. Furio extra ordinem tum conceſſum (p). Ludos quidem edidiſſe quoque Pontificem maximum, vult Gutherius (q), quod ex Suetonio probare contendit, qui ſub Auguſto (r) ludos pontificales commemorat; ſed cum ſolorum magiſtratuum alias eſſet ludos edere, ſequiori tamen tempore ob collatam ſacerdotii dignitatem idem feciſſe videntur ſa-

cer-

(g) *IV c. XLIV.* (h) *XXII c. LVII.* (i) Liuius *II c. II.* (k) Tacitus *III Ann. cap. LVIII.* Liuius *XXXVII cap. LI.* (l) Cicero *Philipp. XI c. VIII.* (m) Liuius *XL c. XLII.* (n) Liuius *XXXVII c. LI & XL c. XLII.* Cicero *Philip. XI c. VIII.* (o) Gellius *XV c. XXVII.* (p) Liuius *III c. LIV.* (q) *de V. I. P. III c. XX.* (r) *c. XLIV.*

cerdotes. Quod diſcimus ex inſcriptione apud Gruterum (ſ): CIRCENSES OB HONOREM SACERDOTII; & in alia (t): SEX LIGARIVS OB HONOREM PERPETVI PONTIFICATVS LVDOS CIRCENSES DEDIT. Habebat & ius ſanciendi leges de religione ac cæremoniis. Dionyſius enim Halicarnaſſenſis (u): τὸ νομοθετεῖν ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα καὶ ἀνέθιστα, κρίνοντας, ἃ ἂν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς φανείη νόμων τε καὶ ἐθισμῶν *leges ferre de ſacris, quæ nondum ſcripta nec vſu recepta ſunt, ſi digna videantur, quæ legibus & conſuetudinibus ſanciantur*, eidem clare adſcribit. Hinc de cæremoniis edicebat, & circa eaſdem diſpenſabat. Sic Domitianus permiſit flamini diali, vt repudiare poſſet vxorem (x). Eidem flamini aliquot cæremoniarum gratiam pontificibus factam Maſurius Sabinus ſcribit apud Gellium (y). Gutherius (z) quidem etiam leges curiatas, de adoptionibus, ſacrorum deteſtationibus & teſtamentis eundem tuliſſe contendit, ſed recte eundem notat Boſius (a), quod præſentiam hæc requiſiuiſſent & cauſſæ cognitionem pontificis, non auctoritatem, quæ in ciuilibus pontifici nulla. Quam magna tamen auctoritas eſſet pontificis maximi, nihilominus pleraque cum collegio pontificum communicare (b) ei incumbebat, atque dum pro collegio vel reſpondebat (c), vel ex auctoritate collegii patribus renuntiabat (d). Immo & ipſi collegio erat ſubiectus. Qaare & Alexander Seuerus ipſe licet Pontifex

(ſ) *p. CI n. 8.* (t) *p. CCCCXXXI n. 1.* (u) *lib. I p. m. 132.* (x) Plutarchus *quaeſt. Rom. XLIX.* (y) *X c. XV.* (z) *de V. I. P. I cap. XIII.* (a) *de pontifice cap. V §. 1.* (b) Liuius *XXXIV cap. XLIV.* (c) *pro domo c. X.* (d) Liuius *XXXIV c. XLIV.*

ſex max,, pontificibus tamen tantum detulit & XVuiris & auguribus, vt quasdam cauſſas ſacrorum a ſe finitas iterari & aliter diſtingui pateretur (e). Licinius P. M. cum ex pecunia incerta votum publicum fieri poſſe negaret, conſul ad collegium pontificum referre iuſſus, ſi poſſet recte votum incertæ pecuniæ ſuſcipi? poſſe, rectiusque etiam eſſe pontifices decreuerunt (f). Et cum poteſtas eius a populo, ab ipſo quoque & toto collegio pontificum dabatur prouocatio. Ita cum A. Poſtumium L. Metellus, Q. Fabium Pictorem Flaminem ad ſacra retinuiſſet P. Licinius, & in ſenatu & ad populum magnis contentionibus certatum eſt: & imperia inhibita vltro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & tribuni adpellati; & prouocatum ad populum eſt (g). Ita quoque a C. Seruilio pontifice M mulcta dicta L. Cornelio Dolabellæ, deque ea cum prouocaſſet, certatum ad populum (h). Sic & populus mulctam L. Valerio Flacco flamini Martiali a P. Licinio Craſſo conſule dictam, remiſit (i). Cornelius Barbatus pontifex a populo coactus verba præire ad templi dedicationem (k). Et alios in ædium ſacrarum dedicatione ſolennia pro (l) pontifice iuſſit ſuſcipere populus. Inde & tribunum plebis pontifici vel denunciare, vel eundem cogere potuiſſe teſtatur Cicero (m). In cauſſa quoque Veſtalium pontificum iudicata euertebat populus, vti Aſconius Pedianus auctor eſt (n), Sex Peduceum tribunum plebis criminatum

(e) Lampridius *Alexandro Seuero cap. XXI.* (f) Liuius *XXXI c. IX.* (g) Liuius *XXXVII c. LI.* (h) Liuius *XL c. XLII.* (i) Cicero *Philipp. XI c. VIII.* (k) Liuius *IX c. XLVI.* (l) *II c. XXVII.* (m) *pro domo c. XLV.* (n) *in Milon. p. m. 198.*

natum eſſe, L. Metellum Pont. Max totumque collegium pontificum male iudicaſſe de inceſtu virginum Veſtalium, quod vnam modo Aemiliam damnauerat, abſoluerat autem duas, Martiam & Liciniam; populus hunc Caſſium creauit, qui de eisdem virginibus quæreret: isque & vtrasque eas, & præterea complures alias nimia etiam, vt exiſtimatio eſt, aſperitate vſus, damnauit. In Veſtalium autem condemnatione ad populum fuiſſe prouocatum, exemplum non conſtat. Immo quoque ſenatui ſubiectus erat Pontifex max., vti C. Seruilius piacula iræ deûm conquirere a ſenatu iuſſus (o), & ſub Claudio Imp. Senatusconſultum factum ſcribit Tacitus (p), viderent pontifices, quæ retinenda firmandaque haruſpicum eſſent. Nulli tamen reddendæ rationi nec ſenatui nec populo erat obnoxius (q). Dignitas eius erat maxima, ad quam nulli olim euehebantur, niſi qui ſella curuli ſediſſent (r), viri ſcilicet conſulares atque prætorii. Quare & dignitatem iſtam ambientes dicebantur viri clari (ſ), conſulares (t), honoribus populi Romani ornati (u), & ſenes honoratique (x). Sic inter Craſſi Muciani quinque præcipua numerabant, quod eſſet pontifex maximus (y). Velleius Tib. Coruncanium hominem nouum, pontificatu maximo ad principale faſtigium elatum ſcribit (z). Quare & ſummi magiſtratus cum Pontificatu coniuncti fuere: vti P. Licinius Craſſus P. M. ma-

 giſter

(o) Liuius *XL c. XXXVII.* (p) *XI Ann. c. XV.* (q) Halic. *lib. II p. m. 133.* (r) Liuius *XXV c. V.* (ſ) Liuius *XL c. XLII.* (t) Aur. Victor *de viris illuſtribus in Metello Pio p. m.* (u) Cicero *pro domo c. XLV.* (x) Liuius *XXV c. V.* (y) Gellius *I c. XIII.* (z) *lib. II. c. CXXVIII.*

giſter equitum dictus (a), cenſor & conſul (b). Hinc & Cicero (c) rem publicam gerere & religionem interpretari coniungit, dum ait: *nihil praclarius, quam quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & ſummæ reip. praeeſſe voluerunt, vt ampliſſimi & clariſſimi ciues remp. bene gerendo, religiones ſapienter interpretando, rem publicam conſeruarent.* Hoc autem caſu, extra Italiam iis migrare non licebat, ne a ſacris abſint, vt Liuius loquitur (d): licet & hoc dein quoque, vt Scipioni extra ſortem concedente collega (e). Fallitur ergo Liuii epitomator (f), qui P. Licinium Craſſum bello contra Ariſtonicum primum pontificem maximum & conſulem extra Italiam migraſſe ait, addens quod nunquam antea factum erat. Ob has igitur prærogatiuas Cn. Tremellio tribuno plebis mulcta dicta eſt, quod cum M. Aemilio Lepido Pont. max. iniurioſe contenderat, ſacrorumque quam magiſtratuum ius potentius fuit, vti inquit Florus (g), cum tamen inuiolabilis alias eſſet tribunorum plebis magiſtratus atque ſacroſanctus. Quare omnibus quoque magiſtratibus priores erant, vti & Cicero primum illis locum adſignat, cum ait: me in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, pontifices, conſules, prætores collocauerunt (h). Immo & ipſi Imperatores vna cum imperio hanc quoque dignitatem in ſe deferri voluere. Sacerdotium non deponebant, niſi cum vitæ munera derelinquant (i); quod & in cauſſa fuit, quod Au-

(a) Liuius *XXVII c. V & VI.* (b) Liuius *ep. LIX.* (c) *pro domo ab initio.* (d) Liuius *XXVIII c. XLIV.* (e) Liuius *XXVIII c. XXXVIII.* (f) *ep. LIX.* (g) *epit. XLVII.* (h) *in Piſonem c. XII.* (i) Caſſiodorus *VI Variorum ineunte.*

Digitized by Google

Auguſtus Pontificatum maximum delatum licet, Lepido adhuc viuo adimere noluit (k). Inſignia erant prætexta, lituus, albogalerus & inſtrumenta ſacrificiorum. De Prætexta quidem teſtatur Lampridius (l), quod eam cum ſacra faceret, loco Pontificis Maximi, non imperatoris, acceperit. Sella curuli quoque & lictoribus vſum fuiſſe putem, tum quod præcipuum eſſet ſacerdotium ipſis magiſtratibus potius, tum quod nulli ad id electi, niſi qui ſella curuli ſediſſent: flaminibus quoque lictores additos ſupra vidimus, multo magis ergo pontificibus. Domum aliam niſi publicam non inhabitabat (m), quam alias regiam dictam vult Seruius, quod in ea ſacrorum rex quoque habitaret (n). Sed contradicit Feſtus, qui ſacram viam a quibusdam adpellari ait a regia ad domum ſacrificuli: expreſſe ergo diſtinguit. Priſcam autem Numæ regiam Veſtæ templo contiguam pontificis maximi domum factam arbitror. Mouet me Suetonius (o), qui Cæſarem pontificem factum in domo publica habitaſſe dicit. De Auguſto Dio Caſſius (p): ἀλλὰ μέρος τι τῆς ἑαυτοῦ οἰκίας, ὅτι τὸν ἀρχιερέα ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδημόσιωσε. τὴν μέντοι τοῦ βασιλέως τῶν ἱερέων ταῖς ἀειπαρθένοις ἔδωκεν ἐπειδὴ ὁμότοιχος ταῖς οἰκήσεσιν αὐτῶν ἦν *ſed cum omnino publicam domum pontificem inhabitare neceſſe eſſet, ſuarum ædium partem publicauit, & regis ſacerdotum domum virginibus Veſtalibus, cum iis eſſet contigua, donauit.* Ibi per βασιλέα τῶν ἱερῶν nullum alium intelligit, quam pontificem maximum; de quo hic ſermo eſt. Licet poſtea

(k) Appianus *V Ciuil. p. m. 749.* Dio Caſſius *lib. LIV p. m. 531.* (l) *Alex. Seuero c. XL.* (m) Dio *lib. LIV p. m. 54.* (n) *ad VIII Aeneid. v. 363.* (o) Iulio *c. XLVI.* (p) *lib. LIV p. m. 541.*

totam ſuam domum publicaſſe Auguſtum idem dicat Caſſius. Regia autem Numæ, Veſtæ templo fuit contigua. Quod tradit Plutarchus in Numa (q), ἱδρύματο, inquit πλησίον τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ τὴν καλουμένην ῥηγίαν, οἷόν τι βασίλειον οἴκημα. καὶ τὸ πλεῖστον αὐτόθι τοῦ χρόνου διέτριβεν, ἱερουργῶν ἢ διδάσκων τοὺς ἱερεῖς, ἢ πρὸς ἐννοίᾳ τινὶ τῶν θείων πρὸς αὐτοὺς σχολάζων. *Aedificauit iuxta ædem Veſtæ regiam, in qua plurimum temporis transegit, res diuinas agens aut inſtruens ſacerdotes aut cum iis de religione tempus tranſigens.* De eadem canit Ouidius (r):

hic locus eſt Veſtæ, qui Pallada ſeruat & ignem
hic fuit antiqui regia parua Numæ.

& Horatius (ſ):

vidimus flauum Tiberim, retortis
littore Etruſco violenter vndis,
ire deiectum monumenta regis
templaque Veſtæ.

Quare & P. Victor regiam Numæ & templum Veſtæ coniungit. Ex quibus concludimus, regiam priſcam Pontificum habitationi fuiſſe deſtinatam, licet & ſacrorum rex eandem quoque inhabitaſſe videatur; qui in ſacris in regum locum ceſſit. In eandem quoque domum cum de religione agendum, reliquos pontifices conuocare ſolitum fuiſſe maximum, teſtatur Plinius (t). Cuſtodiebantur in ea ancilia: Dicit enim Dio Caſſius (u) de Iulio Cæſare: ὅπλα τὰ Ἄρεια παρ' αὐτῷ τότε, ὡς καὶ τὰ ἄλλα ἀρχιερεῖ κατά τι πάτριον κείμενα *arma Martis, quæ ſecundum inſtitutum quoddam priſcum apud ipſum ſummum pontificem adſeruabantur*: licet poſtea proprias nacta manſio-

(q) *p. m. 69.* (r) *III Triſt. el. I.* (ſ) *lib. I ode II.* (t) *lib. IV ep. XI.* (u) *lib. XLIV p. m. 248.*

ſiones, Saliorum dictas, vti ſub Saliis. Sacra Bonæ deæ in hac domo quoque ſæpius celebrata. Cicero enim Clodium muliebri ornatu ex inceſto ſtupro atque ex domo pontificis maximi, emiſſum ait (x), cum ſcilicet ſacra Bonæ deæ pollueret. Probam Pontifice max. vxorem fuiſſe eligendam ex Plinio diſcimus, qui Plotinam laudans ait: *quid illa ſanctius, quid antiquius? nonne ſi pontifici maximo deligenda ſit coniux aut hanc aut ſimilem elegerit.* Nec pontifici maximo iterare matrimonium licuiſſe Tertullianus auctor eſt (y). Cadauer adſpicere aut tangere nefas habebatur. Sic enim Seneca de Tiberio (z): *ipſe pro roſtris laudauit filium, fletitque in conſpectu poſito corpore, interiecto tantummodo velamento: quod pontificis oculos a funere arceret.* De Auguſto narrat Dio (a), quod M. Vipſanium Agrippam pro roſtris laudans, velum inter eum & mortuum fuerit expanſum παραπέτασμά τι πρὸ τῦ νεκρῦ παρατείνας. Rationem tamen huius ſe ignorare ſcribit Dio, quod enim dicant ideo eſſe factum, quod ſummus pontifex aut quod cenſor eſſet Auguſtus, erroneum eſſe ait, cum pontifici maximo cadaueribus inſpiciendis interdictum non ſit. Quare ſunt, qui Auguſtum atque Tiberium velum inter ſe atque mortuum interpoſuiſſe autument, cum auguribus nefas eſſet mortuos tangere, quod Tiberii illud apud Tacitum docet: non debuiſſe imperatorem auguratu & vetuſtiſſimis cærimoniis præditum feralia attrectare. Licet Boſius ὁ πάνυ non lege quidem interdictum

 hoc

(x) *de haruſp. reſp. c. III pro domo c. XXXIX* (y) *ex hort. ad caſtitatem c. XIII. de monogamia c. XVII de praeſcriptionibus c. XL.* (z) *conſol. ad Martiam c. XV.* (a) Dio *lib. LIV p. m. 541.*

hoc velit, decorum tamen fuiſſe, vt pontificis, tanquam ſacrorum præſidis oculi a funere arcerentur.

Pontifici max ſubiecti erant reliqui pontifices, qui pro diuerſitate temporis, vti ſupra explicauimus, modo a collegio, modo a populo ſurrogabantur. Moris tamen erat, vt nominatio in locum demortui ante exactum annum fieret (b). Quatuor hi a Numa ſine dubio inſtituti patricii, quibus longo interuallo poſt, lege Ogulnia, additi alii quatuor ex plebe, teſte Liuio (c). Priores dicti veteres (d), hi autem coniunctim minores. Sylla dein pontificum augurumque collegium ad quindecim vsque ampliauit, teſte Liuio (e), & vti coniector, illos qui olim ſcribæ a libris Pontificalibus dicti (f), in pontificum numero eſſe voluit. Mouent me verba Liuii, dum ait (g): *L. Cantilius ſcriba pontificis, quos nunc minores pontifices adpellant*. Idemque adſerit Capitolinus de Macrino (h), quod ex horum numero ad Pontificatum Maximum lectus fuerit. Iulius Cæſar poſt hunc pontificum, augurum & XVvirorum collegia, vno addito in ſingula collegia ampliauit (i). Atque iſti coniunctim conſtituebant collegium Pontificum (k). Sacerdotium autem non prius capiebant, niſi collegii iudicium felici prius augurio fuerit comprobatum (l). Officium deſcribit Halicarnaſſenſis (m), quod eſſet, lites ſacras iudicare, leges de ſacris ferre, in omnes magiſtratus, quibus ſacrificia & deorum cultus commiſſus & in omnes

(b) Liuius *XXVI c. XXIII.* (c) *X c. VI.* (d) Cicero *de oratore III c. XIX.* (e) *ep. LXXXIX.* (f) Gruterus *p. CCCVI n. 6. & p. CCCLXXVIII. n. 6.* (g) *lib. XXII c. LVII.* (h) *c. VII.* (i) Dio *lib. XLII p. m. 209.* (k) Halic. *lib. II p. m. 133.* (l) *c. l.* (m) *p. 132.*

omnes ſacerdotes inquirere, miniſtros ſacrorum in officio continere, deorum cultum præmonſtrare & interpretari; mulctas quoque pro delicti magnitudine imponere. De religione enim edocebant, rebus diuinis & ſacris (n), deos edebant, quibus ſacrificaretur (o), quid & apud quas aras mactaretur (p); atque hæc in commentariis pontificum adnotata, de quibus capite ſecundo dictum, quibus ſcilicet hoſtiis immolandum, cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui fœminis. Quæ & alia pontificum inſtituta Cicero explicat (q). Inde & eos antiſtites ſacrorum & cærimoniarum dicit (r). Supplicationes quoque ex decreto pontificum factæ (ſ). Quin & legis actiones atque has interpretandi ſcientia olim apud collegium pontificum per centum prope annos fuere ſeruata; Flauius tamen ſcriba repoſitum in eorum penetralibus ius ciuile vti Liuius (t) loquitur, populo dein tradidit, exinde ius Flauianum dictum (u). Licet & poſt hæc tempora, pontificem neminem bonum eſſe dixerint, niſi qui ius ciuile cognoſſet, non quidem vt ciuilium curam haberet, ſed vt eo in reſponſis de ſacris, de feriis, de ſepulcris, & ſi quid eſſet eiusmodi, vteretur (x). Cauſſæ autem religionis in ſacerdotum populi Romani iudicio & poteſtate verſari dicebantur (y), modum, qui hoc in iudicio ſeruatus, deſcribente Liuio (z). *Ver ſacrum*, inquit, *factum erat priore anno M. Porcio & L. Valerio Coſſ. id cum P. Licinius pon-*

(n) Cicero *pro domo cap. XII.* (o) Liuius *XXX c. II.*
(p) Macrobius *III Saturn. c. X.* (q) *II de LI c. XI.*
(r) *pro domo c. XXXIX.* (ſ) Liuius *XXXIX. c. XXII.*
(t) Liuius *IX c. XLVI.* (u) *Lege II §. 6 de Orig. iuris*
(x) *II de LI c. XIX.* (y) Cicero *pro domo c. I.* (z) *XXXIV c. XLIV.*

Digitized by Google

pontifex, non eſſe recte factum collegio primum, deinde ex auctoritate collegii patribus renuntiaſſet, de integro faciendum arbitratu pontificum cenſuerunt. Pontifex ergo maximus de rebus ad religionem ſpectantibus collegio proponebat, collegium de re propoſita iudicabat, pontifex max. ex auctoritate collegii patribus renuntiabat, & pro collegio reſpondebat (a). Senatus arbitratu pontificum cenſebat. Non autem ſoli pontifices ad hoc collegium admittebantur, ſed & vbi de religione deliberaretur, ſacerdotes alii ſimul ad iſtud collegium fuere vocati. De quo Cicero (b): *meam domum P. Lentulus conſ. & pontifex, P. Seruilius, M. Lucullus, Qu. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſalla, L. Lentulus flamen Martialis, P. Galba, Qu. Scipio C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius rex ſacrorum: M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex. Caſar flamen Quirinalis: Cn. Cornelius, P. Albinouanus, Qu. Terentius, pontifices minores, cauſſa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia ampliſſimorum, ac ſapientiſſimorum ciuium adſtante, omni religione, vna mente omnes liberauerunt.* Hic locus plane ſingularis eſt, & quidem omnes hosce de domo & cauſſa Ciceronis iudicaſſe ex verbis, *cauſſa cognita, duobus locis dicta,* patet. Frequens hoc adpellat collegium, nec vlla de re, immo ne de capite quidem Veſtalium, poſt ſacra conſtituta tam frequens collegium iudicaſſe ait (c): Omnes autem hæ perſonæ fuere ſacerdotes, dum de iisdem nullam præter Lentuli cos., in faſtis magiſtratuum A. V. C. DCXCVII, quo hæcce geſta, nec circa eadem tempora, factam reperiam mentionem. Sed Q. Metellum Celerem augurem (d) Glabrio-

(a) *de haruſp. reſp. c. X.* (b) *de haruſp. reſp. c. VI.* (c) *pro domo c. VII.* (d) Dio *lib. XXXVII p. m. 42.*

brionem (e) & Meſſallam Xuiros ſacrorum (f), M. Lepidum pontificem (g), & Curionem pontificem (h) fuiſſe ſcriptores docent. Factum exinde, vt ſi quid de religione in ſenatu proponeretur, eam rem ad pontificum collegium reiiceret, vt ipſi, quod videretur, ſtatuerent (i); horumque de eo decretum ſeruabatur (k). Sic & ſigna, ſtatuas æneas, quæ capta de hoſtibus dicerentur, quæ eorum ſacra ac profana eſſent, ad pontificum collegium reiiciebat ſenatus (l). Ita & ad collegium pontificum relatum, de expiandis, quæ Locris in templo Proſerpinæ tacta, violata, elataque inde eſſent (m). Ferias latinas ſi non rite peractæ, ad pontificum collegium reiiciebat ſenatus, quod eaſdem inſtaurari iubebat (n). Et cum Sctum de qua re religioſa fieri neceſſe eſſet, non niſi adhibito pontificum iudicio fiebat; vti ex hiſtoria Ciceronis videmus, cuius domum licet centuriatis comitiis eodem iure eſſe iuſſiſſent omnes centuriæ, quo fuiſſent, nihilominus de ædium religione ad pontificum collegium res delata, & horum demum adhibito iudicio factum Sctum, DOMVM CICERONIS IVDICIO PONTIFICVM RELIGIONE LIBERATAM VIDERI (o). Non autem omnium pontificum adſenſus requirebatur, ſed trium præcipue. Declarat (p) id Cicero, dum ait: *de ſacris publicis, de ludis maximis, de deorum Penatium,*

(e) Liuius *XXXI cap. fin.* (f) Liuius *XLII c. XXVIII.* (g) Liuius *XXXII cap. V.* (h) Dio *lib. XLI p. m. 149.* (i) Liuius *XXXIX c. V.* Cicero *de haruſp. reſp. c. VI pro domo c. LIII.* (k) Gellius *V c. XVII* Macrobius *Saturn. I c. XVI.* (l) Liuius *XXVI c. XXXIV.* (m) Liuius *XXIX c. XX.* (n) Liuius *XLI c. XVI.* (o) Cicero *de haruſp. reſp. c. VII.* (p) *de haruſp. reſp. c. VI.*

Veſtaeque matris caeremoniis, de illo ipſo ſacrificio, quod fit pro ſalute populi Romani, quod poſt Romam conditam, huius vnius caſti tutoris religionum ſcelere violatum eſt, quod tres pontifices ſtatuiſſent, id ſemper populo Romano, ſemper ſenatui, ſemper ipſis diis immortalibus ſatis ſanctum, ſatis auguſtum, ſatis religioſum eſſe viſum eſt. Senatus quoque in rebus ſacris, quae publica concernebant, nihil decernebat, niſi adhibito prius iudicio pontificum; pontifices nihil decernebant, niſi ad eos fuerit relatum. P. Clodii cauſſa, templum Bonae deae polluentis, ſingulari caſu ad Veſtales virgines & pontificum collegium fuit relata (q), idque eo, quia ſacra haec per virgines Veſtales fierent. Quod ſi vero pontifices ipſi ſenatui portentum factum nuntiaſſent, de ea re SCtum faciebat Senatus (r). Ad pontificum enim collegium ea tantum referebantur, vbi de interpretanda religione quidquam obueniebat, in aliis rebus ſenatus ſua auctoritate omnia ordinabat, exceptis prodigiis, quibus factis Xuiros libros Sibyllinos adire iubebant. Epulones quoque ad pontifices referebant, ſi quid in ludis praetermiſſum aut commiſſum, & ſi minus recte facti, ex eorum decretis renouabantur aut inſtaurabantur (ſ). Pontificum ergo vis in edicendo quoque conſiſtebat, quae decreta pontificum vocat Liuius (t). Aeque conſultum hoc collegium, quantum auri in ludos conſumi neceſſum eſſet, quod tamen ad religionem pertinere pontifices negarunt (u). Extendebant praeterea decreta pontificum ſe ad omnes res ſacras atque religioſas. Ita cum M. Marcellus bello Galli-

co

(q) Cicero *I ad Att. ep. X.* (r) Gellius *IV c. VI.* (ſ) Cicero *de haruſp. reſp. c. X.* (t) *XXXIX c. XVI.* (u) Liuius *XXXIX c. V.*

co honori & virtuti ædem vouiſſet, dedicationem impediebant pontifices, quod vnam cellam amplius quam vni deo dedicari negabant (x). C. Caſſium concordiæ ſimulacrum in templo augurato ſtatuere volentem prohibuere pontifices (y). Singularis eſt inſcriptio apud Gruterum (z):

IMP. CAESAR
VESPASIANVS AVG.
PONTIF. MAX. TRIBVNIC.
POTEST. VI. IMP. XIIII. P. P.
COS. VI. DESIG. VII. CENSOR
LOCVM. VINIAE. PVBLICAE
OCCVPATVM. A. PRIVATIS
PER. COLLEGIVM. PONTIFICVM
RESTITVIT

Duplici ex ratione vineæ publicæ reſtituendæ curam habuere pontifices (a), primo quod ex priuatorum patrimonio in publicum eſſent reducendæ, inde quoque iure pontificio ſtatutum videmus apud Ciceronem (b): *ſacerdotes vineta, virgetaque & ſalutem populi auguranto.* Quod genus ſacerdotum dicebatur hierophantæ (c). Nomina etiam ſacrorum locorum ſub congrua proprietate proferre pontificalis erat obſeruatio (d). De transferendis mortuorum reliquiis collegium hoc pontificum adire quoque ſolebant (e). Quo facit inſcriptio apud Gruterum (f): RELIQVIAE. TRAIECTAE III

(x) Liuius *XXVII c. XXV.* Valerius Max. *I c. 1.* (y) Cicero *pro domu c. LI.* (z) *p. CCII n. 2.* (a) Cicero *de LI. II c. VIII.* (b) *l. IV C. Theod. de pagan. ſacrif. & templis.* (d) Macrobius *III Saturn. c. IV.* (e) Plinius *X ep. LXXIII.* (f) *p. DLXXVIII n. 1.*

Digitized by Google

NON. FEBR. EX. PERMISSV. COLLEGII. PONTIFI-CVM. PIACVLO. FACTO. Ita M. Oppii ædilis oſſa ſenatus e campo Martio tanquam loco ſacro haut rite poſita pontificum monitu remouit (g). Immo & monumenta ſine horum decreto refici non poterant, vt docet inſcriptio apud Gruterum (h):

T. AELIVS. SENTINIANVS. FOR
COR. COH. II. VIG. PETIT. A PONTI
FICES. VT. SIBI. PERMITTERENT
REFICERE. N. MONVMENTVM
IVRIS. SVI LIB. LIBERTABVSQVE
SIBI. ET. SVIS. POSTERISQVE
EORVM.

Corruptum tamen & collapſum reficere licebat, corporibus non contactis. Quare aram Druſo dicatam ab hoſtibus disiectam reſtituit Germanicus filius, Varianarum autem legionum tumulum reſtituere non auſus (k). Quod ſi ergo religioſus locus iam factus, pontifices explorare debebant, quatenus ſalua religione deſiderio reficiendi operis medendum ſit. Teſtamenta quoque exequi pontificalis erat auctoritatis, in iis rebus, quæ vel ſepulcrorum monumenta, vel alia ſacra concernerent (l). Hinc Gallus Fauonius Iucundus, filios ſub ea conditione hæredes ſcribens, vt oſſa ſua intra quinquennium e Luſitania exportent, has ſi ſecus fecerint, addit minas: MANESQVE. MEI. OPEM. PONT. MAX. ET. FLAM. DIAL. QVI. IN. CAPITOLIO. SVNT. IMPLORENT. AD. IMPIETATEM. CONTRA. FILIOS. MEOS. VLCISCEN-

(g) Dio *lib. XVIII extr.* (h) *p. DXVIII n. 4.* (i) *l. ſepulcri π. de ſepulcro violato.* (k) Tacitus *Ann. II cap. VII.* (l) *l. hereditas §. 1. π. de hered. petit.*

CISCENDAM (m). De matrimonio & partu conſulebantur, vtpote an concepto nec dum edito partu nubere liceat (n). Quare & Antoninus Pius reſcripſit, eum qui centeſimo & octogeſimo ſecundo die natus eſſet, iuſto tempore videri natum (o). De cognationum quoque gradibus iudicaſſe vero admodum eſt ſimile, idque etiam contendit Gutherius (p). Licet autem proprium pontificum eſſet, de ſacris iudicare & omnibus ſacerdotiis præeſſe, certorum tamen ſacerdotum quoque munus nonnunquam obibant. Sic pontifices ſæpe dialia ſacra feciſſe, ſi flamen valetudine aut munere publico impediretur, ex oratione Seruii Maluginenſis apud Tacitum (q) diſcimus. Ita etiam Sibyllinorum curam habuiſſe dicuntur apud Vopiſcum (r), niſi XVuiros ibi ab Vlpio Syllano pontifices adpellari dicamus. In ludis tamen ſi ſeptemuiri epulonum abeſſent, eorum munus pontifices obibant (ſ). Erant autem a iudiciis & mulcta immunes, nec ſenatui vel populo rationem reddere tenebantur (t). Ornamenta erant galerus & ſigna ſacrificalia, vrceolus, ſimpulum, ſecuris & adſpergillum. Habebant autem pontifices ſuam peculiarem arcam & ærarium. Arcæ quidem pontificum mentionem factam videmus in priſcis inſcriptionibus (u): HOC. MONVMENTVM. NE. DE NOMINE NOSTRO EXIAT. QVI EXTERNVM. INDVCERE. VOLVERIT. POENAE. NOMINE INFERAT. ARCAE. PONTIFICVM. H. S.

(m) Gruterus *p. DCCCLXXI n. 2.* (n) Tacitus *Ann. I c. X.* (o) *l. III §. 17. de ſuis & legit.* (p) *de V. I. P. lib. II c. VII.* (q) Tacitus *Ann. III c. LVIII.* (r) Aureliano *c. XX.* (ſ) Dio *lib. XLVIII p. m. 376.* (t) Dionyſ. Halic. *lib. II p. m. 133.* (u) Gruterus *p. DCCLXV num. 5.*

Digitized by Google

L. M. N & in alia (x): SI. QVIS. HOC. ARMARIVM. VENDERE VOLVERIT. INFERET. ARCAE. PONTIFICVM L. S. L. M. N. Et qui huic præerat dicebatur arcarius pontificalis, de quo Symmachus: (y) *rurſus* inquit, *ille pontificalis arcarius proſequitur apud te mandata collegii, cui præ cæteris retinendi Vaganenſis ſaltus cura legata eſt.* Aliud erat ærarium Pontificum, cui præerant Curatores ærarii, & IIIIViri ab ærario Pontificum, vt eſt in lapidibus (z): Q. INGENVS. MAXIMIANVS SCRIB. PVBLICVS. PONTIF. ET. CVRATOR. AERARI in alio (a):

Q. SOLONIO. Q. F. VOL.
SEVERINO
EX V DECVRIIS EQVO
PVBLICO. LVPERCO
IIII. VIR. AB AERAR
PONTIF.

Communiter quidem arcam cum ærario eandem faciunt, ſed perperam. Arca enim collegio pontificum communis erat, cum non inſolens eſſet Romanis, vt collegia ſuas haberent pecunias communes (b), quæ in arcis communibus adſeruabantur (c). Quare & arca publica (d) dicebatur, in quam inferebantur pecuniæ publicæ. Inferebantur in eam pecuniæ, quæ pœnæ nomine ob violata monumenta, vel ſi quid contra monumentorum leges commiſſum, debebantur, vti ex ſupra ad-lega-

(x) Gruterus *p. CCCLXXXIII n. 4.* (y) *lib. I ep. LXIX.* (z) Gruterus *p. CCCVI n. 7. CCCCXX n. 6.* (a) *pag. CCCCLXX n. 6.* (b) *l. III π. de coll. & corp. illic.* (c) *l. I. C. de crim. expil. hered.* (d) Vopiſcus *Aureliano c. XX.*

legatis inſcriptionibus (e) aliisque adparet. Impenſa autem hæc pecunia fuiſſe videtur in ſacra, conſeruationem ſtatuarum ſacrarum, monumentorum & ſimilium. Concludimus id ex inſcriptionibus, quæ in arcam ſacerdotum hac ex ratione quidpiam illatum docent (f). T. FVNDILIO. GEMINO. VI VIR. AVG. MAG. ET. IVV. AVGVSTALES. PATRONO. ET. QVINQ. PERPETVO. OPTIME MERITO. HIC. ARCAE. AVGVSTALIVM. SE. VIVO. H. S. XX DEDIT. VT. EX. REDDITV. EIVS. SVMMAE. DIE. NATALI. SVO. IIII K. FEBR. PRAESENTES. VESCERENTVR. ET. OB. DEDICATIONEM. STATVAE. DECVRIONIBVS. ET SEVIRIS. ET. IVVENIBVS. SPORTVLAS. ET. POPVLO. EPVLVM. ET. OLEVM. EADEM. DIE. DEDIT. Ita in arcam Auguſtalium ob tuitionem ſtatuæ certam ſummam fuiſſe illatam alius lapis docet (g). Q. IVLIO SERVANDO IIIIII. VIR. AVGVST. C. I. P. C. N. M LICINIA. PALLAS MARITO. OPTIMO INLATIS. ARCAE IIIIII VIR. OB. TVITIONEM STATVAE HS L. D. D. IIIIII VIR. Habebant ergo & Auguſtales ſuam arcam, quibus tamen ab Antonino Pio illud primum fuit conceſſum, vt ex lapide diſcimus (h).

PIETATI
HOSTILIAE
HOSTILIANAE
. VIVIR. AVG. SOCI
QVIBVS. EX PERMISS. DIV. PII
ARCAM. HABERE. PERMISS.
PRIMAE. BENEMERENTI. T. V.

Aera-

(e) Gruterus p. *DCCCXXXV n. 8.* (f) *p. CCCCXIV n. 2.*
(g) *p. CCCCXXXV n. 12.* (h) *p. CCCCXIX n. 7.*

Digitized by Google

Aerarium autem illud fuiſſe puto, vnde & alerentur pontifices & ſacra curarent. Numa enim ſtatim ac pontificem legit, cui omnia ſacra ſubiecit, pecuniam quoque, vnde in eos ſumtus erogaretur, adſignauit (i), inde ærarium conſtitutum putem, quod alias populi erat, & a fiſco principum differebat. Iacobus Gutherius quidem fiſcum æque tribuit pontificibus, idque ex inſcriptione (k):

AVIDIA MAXIMA
DOMVM AETERN. V. S. P
SI. QVIS. ALIVD. CORPVS
SVPERPOS. DET. FISCO. P.
CCC. M. N.

Ibi fiſcum pontificum intelligit, vti & in Hadriani reſcripto (l), quod pœnam quadraginta aureorum fiſco inferre iubet, ſi quis in ciuitate ſepulcrum fecerit. Vtroque tamen loco fiſcus intelligitur principum, cum non inſolens alias eſſet, fiſco vel ærario tales etiam pœnas inferri. Quod videmus ex lapide (m); QVI EIVS MONVMENTI PARTEM. ALIENARE. TENTAVERIT DARE. DAMNAS. ESTO. AERARIO. POPVLI. ROMANI. S. L XV. M. N. ET. COLLEGIO PONTIFICVM. L. S. L. XV M. N ET EMPTOR. ET VENDITOR. Suos quoque Romanorum coloniæ habebant pontifices, vti occurrit pontifex perpetuus coloniæ Aſtigitanæ (n), Sutrinæ (o) pontifex Albanus (p), aliarumque coloniarum. Sæpius & hoc ſacerdotium cum IIui-

(i) Liuius *I c. XX.* (k) *p. DCCCCIII n.6.* (l) *l. III π. de ſepulcr. viol.* (m) Gruterus *p. DCCCCXLVI n.6.* (n) Gruterus *p. CCCLI n.5.* (o) *p. CCCV n. 10.* (p) *p. CCXXXV n. 8.*

IIuirali officio coniungitur vt ex variis patet inſcriptionibus. Poſteriori tempore in coloniis & municipiis pontifices dicti, primarii inter ſacerdotes ſingularis cuiusdam dei. Patet id ex lapide (q):

IVNIO POSTVMIANO V. C
P. P. DEI. SOLIS. INVICTI
MITRAE. XV. VIRO. S F.
PONTIFICI. DEI. SOLIS
ORDO. SACERDOTVM. MA
GISTRO. SVO.

Pontificem ergo Solis magiſtrum ſuum vocat ordo ſacerdotum ſolis. Ita duorum quoque deorum pontificatus in vna perſona coniungi poterat, quod in Vettio Agorio Prætextato videmus, qui & pontifex Veſtæ & pontifex ſolis dicitur (r). Alii pontifices in monumentis priſcis occurrunt, vt pontifex Vulcani & ædium ſacrarum (ſ) pontifex domus Auguſtæ (t) dei Liberi (u) variarumque coloniarum. Licet & dum occurrat PONTIFEX SALIVS (x). PONTIFEX FETIALIS (y). PONTIFEX CVR. (z) bene animaduertente Boſio (a), notet, & pontificem fuiſſe & ſalium, vel fetialem, vel curionem, cum bina alias ſacerdotia in pontifice fuiſſe coniuncta, exemplo C. Seruilii Gemini pateat, qui & pontifex fuit & decemuir ſacrorum (b).

REX SACRORVM

Exactis regibus inſtitutus, & per pontifices ac augures

(q) Gruterus *p. CCCXIII n. 3.* (r) *p. MCII n. 2.* (ſ) *p. CCCXVIII n. 8.* (t) *p. LXVI n. 3.* (u) *p. CCCLXXII n. 4.* (x) *p. CCCXVII n. 9.* (y) *p. CCCLXIV n. 1.* (z) *p. CCCXIX n. 3.* (a) *de pontif. max. c. I n. 3.* (b) Liuius *XL c. XLII.*

gures deſignatus (c), vt eorundem loco ſacra publica faceret & ſacrificiis praeeſſet; ab omni alio munere immunis, pontifici tamen maximo ſubiectus (d). In iudiciis quoque ſacris de rebus ſacris vna cum pontificibus ſediſſe teſtatur Cicero (e). Creabatur comitiis centuriatis (f), & quidem ex patriciis (g). Moris tamen erat, vt antequam inauguraretur, prius magiſtratu, ſi quem haberet, ſe abdicaret (h), idque ex prima inſtitutione, cum ſola diuini cultus cura illi demandata (i). Vxor eius dicebatur regina, quae & ipſa quaedam ſacrorum munia obibat (k). Hinc extat lapis (l): REX. SACRORVM. AVGVR CVM. MANLIA. L. F. FADILLA REGINA. SACRORVM.

COLLEGIVM AVGVRVM

Augures ab auibus & gerendo dicti Feſto, erant ii, qui obſeruabant auguria. Auſpices primum, poſt vero augures adpellati (m). Augures autem Romulo regnante nulli erant, ſed a Numa Pompilio creati, inquit Canuleius apud Liuium (n). A Romulo quidem id factum volunt, non quod ipſe Romulus ſolum augur (o) praeſtantiſſimus, ſed & quod inter eum & fratrem Remum de regno captata fuerint auguria (p). Sed dum nondum publice apud Romanos inſtituti erant, cum Plutarchus (q) Hetruſcos acciuiſſe Romulum contendat. Numa vero

(c) Halic. *lib. V p. m.* 278. (d) Liuius *II c. II.* Halic. *lib. IV p. m.* 269. (e) *de haruſp. reſp. c. VI.* (f) Gellius *XV c. XXVII.* (g) Cicero *pro domo c. XXXVII.* (h) Liuius *XL c. XLII.* (i) Halic. *lib. II p. m.* 118. (k) Macrobius *Saturn. I c. XV.* (l) Gruterus *p. MLXXXVII n. 8.* (m) *quaeſt. Rom. LXXII.* (n) *IV c. IV.* (o) Plutarchus *Romulo p. m.* 31. (p) Liuius *I c. VII.* (q) *Romulo p. m.* 23.

vero cum alia ſacra ordinaret, hoc quoque augurum conſtituit collegium (r). Tres autem primitus fuere inſtituti, vt tres antiquæ tribus Ramnes, Titienſes, Luceres ſuum quæque augurem habeant (ſ). Poſt M. Valerio & Q. Apuleio Coſſ quatuor fuere. Quod ipſe miratur Liuius, & morte duorum factum putat, cum primitus tres creatos ſcribat, aut ſi pluribus opus ſit, vt pari inter ſe numero ſacerdotes multiplicent, conſtitutum addat. Sed potius putem, quarta a Tullio addita tribu, (t) quartum quoque adiectum augurem. Hi autem quatuor omnes patricii erant, quibus rogatione Ogulnia additi quinque plebeii, vt terni eſſent in ſingulas tribus veteres (u). Auxit hunc numerum Sylla, vt eſſent quindecim (x), qui coniunctim conſtituebant Collegium *augurum* (y). Ipſi collegæ, augures publici Populi Romani Quiritium (z) in lapidibus AVGVR. P. V. B. P. R. Q. (a) dicebantur. Inter quos primus maximus augur dictus (b). Diuina quoque augures adſumſiſſe nomina volunt, vt alius dictus ſit Hercules, Mercurius alius, alius Saturnus (c): ſed male intellexere litteras AVG in lapidibus priſcis ſæpius diis additas: VT MERCVRIO AVG. SACRVM. HERCVLI AVG. SACRVM. quod non augurem, ſed Auguſtum notat, deorum quoque epitheton. Deligebantur modo a populo, modo coopta-

(r) Halic. *lib. II p. m. 125.* (ſ) Liuius *X c. VI.* (t) Halic. *lib. IV p. m. 219.* (u) Liuius *c. l.* (x) Liuius *ep. LXXXIX.* (y) Cicero *III ad Fam. ep. IV.* Plinius *VIII c. XXVIII.* Gruterus *p. XIII n. 1. p. CXXXVIII n. 1.* (z) Gruterus *p. CCCCXXXIII n. 4.* (a) Gruterus *p. XXVII n. 4. p. XXVIII n. 6.* (b) Liuius *XXVI c. XXIII.* (c) Latzius *de Rep. Romana lib. III c. XII.*

optabantur a collegis, vti ſupra dictum. Quare de M. Marcello Plutarchus (d), quod ſacerdotes οἱ ἱερεῖς ipſum elegerint augurem. Officium eorum deſcribit Cicero ex Iure Pontificio (e) : *Interpretes*, inquit, *Iouis optimi maximi, publici augures ſignis & auſpiciis poſtea vidento, diſciplinam tenento.* In eo ergo conſtabat, vt ex auium volatu, motu, ore, lingua atque pennis aliisque portentis iudicium caperent, an res aliqua bene vel male ceſſura. Sæpe & de rebus præteritis, an rite peractæ, conſulebantur, quod auſpicia capere dicebatur. Nihil enim inquit Cicero (f), fere quondam maioris rei niſi auſpicato, ne priuatim quidem gerebatur. Maximum ideo & præſtantiſſimum in republica ius eſt augurum, quod maxime creuit facto Accii Nauii, qui nouacula cotem diſcidit (g), vt nihil belli domique poſtea niſi auſpicato gereretur: concilia populi, exercitus vocati, ſumma rerum, vbi aues non admiſiſſent, dirimerentur. Adhibebantur augures in conſilium vel publica auctoritate, vel dum auſpicaretur magiſtratus. Sic deos conſulere iuſſi augures, de loco in quo extruendum erat Capitolium (h); augures conſulti an etiam ab alio ac conſule dictator dici poſſet (i), & de vitio creatis magiſtratibus conſulebantur (k). Alias auſpicanti magiſtratui ære conductus augur publicus præſto erat (l). Non autem ſolum reges olim augures, ſed & poſtea priuati eodem ſacerdotio præditi rempublicam religionum auctori-

(d) *ab initio.* (e) Cicero *II de LL c. VIII.* (f) *I de diuin. c. XVI.* (g) Liuius *I c. XXXVI.* (h) Halic. *lib. III p. m.* 201. (i) Liuius *IV c. XXXI.* (k) Liuius *VIII c. XXIII.* (l) Halic. *lib. II p. m.* 81.

ctoritate rexerunt, vti inquit Cicero (m). Quare & conſules erant aliique Magiſtratus. Ita Tiberius Gracchus, M. Tullius Cicero, M. Antonius, C. Iulius Cæſar, Cn. Pompeius, Plinius Iunior cum auguratu ſimul conſulatum aliosque magiſtratus maiores geſſere. *Maximum autem*, inquit Cicero (n), *& præſtantiſſimum in republica ius eſt augurum, cum eſt auctoritati coniunctum. Neque vero hoc, quia ſum ipſe augur, ita ſentio, ſed quia ſic exiſtimare non eſt neceſſe. Quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quam poſſe a ſummis imperiis, & ſummis poteſtatibus comitia tollere? concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid grauius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi vnus augur alio die dixerit? quid magnificentius, quam poſſe decernere, vt magiſtratu ſe abdicent conſules? quid religioſius quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid? legem ſi non iure rogata eſt tollere? vt etiam decreto collegii, vt Liuia conſilio Philippi, conſules & augures: nihil domi, nihil foris per magiſtratum geſtum, ſine eorum auctoritate poſſe cuipiam probari.* Augures quidem publici adhibebantur quidem ad auſpicia, ſed ſolam habebant ſpectionem; nuntiationem vt augures non habebant, ſed tunc demum, cum eſſent magiſtratus, vt conſul conſuli, prætor prætori obnuntiaret, de quo ſupra ſub auſpiciis dictum & libro ſecundo de comitiis dicetur pluribus. Inſigne præter alia communia erat lituus auguralis, quo templum augurale diſtinguebant. Inter priuilegia hoc erat ſingulare, vt auguribus viuis ne ob flagitia quidem abrogari poſſet ſacerdotium. Ratio ſine dubio hæc fuit, ne auguralis ſcientiæ arcana patefierent (o). Quare Pli-

Ffff 3

(m) *II de LI cap. XII.* (n) Plutarchus *Romulo p. m. 32.*
(o) Plutarchus *quæſt. Rom. XCVII.*

Plinius (p) inter laudes huius ſacerdotii hoc tanquam plane inſigne refert, quod non adimatur viuenti. Cum vero vlcus haberet, auſpicia capere interdictum erat (q), quia puritatem in ſacris, licet ethnici, requirebant Romani. Nec ex lege iſta priſca & generali bini augures ex vna gente eſſe poterant (r). Alii in municipiis erant augures; vti augur municipii apud Gruterum (ſ), & Augur Fabratenſis (t), atque iſti decreto decurionum creati: vt eſt in lapide (u) AVGVR. EX D. D. CREATO. Quare & augures adlecti dicti (x). Manſit hoc collegium vsque ad tempora Theodoſii ſenioris.

HARVSPICVM COLLEGIVM.

Haruſpicem vel ab haruga, vel ab hara hoſtia dictum putant (y), quod hoſtias inſpiceret. Græcis dicti *ἱεροσκόποι* vel *θυόσκοποι* (z). Vnum quidem in ſingulas tribus ex Hetruſcis legit Romulus (a); Poſt vero ſenatus decreuit, vt de principum filiis ſex, ſingulis Etruriæ populis in diſciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæſtum. Licet Valerius Maximus (b) decem principum liberos Hetruſcis inſtituendos traditos velit. Creſcente ergo deorum & ſacrificiorum numero plures facti, qui collegium conſtituebant (c), quod alias & haruſpicum ordo adpellatur: vt eſt in lapide (d):

(p) *IV ep. VIII.* (q) Plutarchus *quæſt. LXXII.* (r) Dio Caſſius *lib. XXXIX p. m. 99.* (ſ) *p. CLXXI n. 1.* (t) *p. CCCIII n. 5.* (u) Gruterus *p. CCCCXLIV n. 8.* (x) *p. CCCCLXXIX n. 6.* (y) Donatus *ad Terentii actum IV ſc. IV v. 28.* (z) Halic. *lib. 2. p. m. 93.* (a) *c. l.* (b) *lib. I ineunte.* (c) Tacitus *Ann. XI cap. XV.* (d) Reineſius *cl. V n. 13.*

L. FONTEIVS. FLAVIANVS
HARVSPEX. AVGG. CC
PONTIFEX. DICTATOR
ALBAN. MAG. PVBLICVS
HARVSPICVM. ORDINI
HARVSPICVM. LX. D. D

Videtur autem Ordo haruſpicum in hoc lapide in prouinciis idem fuiſſe, quod Romæ Collegium. Et qui ordini præerat, dicebatur ſine dubio magiſter publicus. Officium ex iure pontificio deſcribit Cicero (e): *prodigia, portenta ad Etruſcos & haruſpices ſi ſenatus iuſſerit, deferunto. Etruriaque principes diſciplinam docento: quibus diuis creuerint, procuranto: idemque fulgura atque obſtita pianto.* In eo enim conſtabat, vt ſacrificiis adeſſent & hoſtiarum omina obſeruarent, vel ante mactationem, an ſponte ſequerentur, ſtarent ad aras, vel aufugerent, male laberentur, terram pedibus calcitrarent, triſtes & horrendos mugitus ederent; vel aliud infauſti quidpiam inter iugulandum accideret; quæ ſigna irati Dei putabant: e contrario propitia, ſi ſigna extarent felicia. Maxime vero exta introſpiciebant, indeque extiſpices quoque dicti (f), vti ſupra de haruſpicum diſciplina latius fuit dictum. De fulguribus quoque conſulebantur, atque horum expiandorum curam habebant. Quare Nonius Marcellus (g) fulguratores, extiſpices & haruſpices coniungit, & cum Catone haruſpicem fulguratorem vocat. Quare & haruſpicibus adſcribitur, vt fulgura obſeruarent, quod & ſub Chriſtianis Impp.

(e) *II de LI c.VIII.* (f) *II de diuin. c. XI.* (g) *cap. I n. 319.*

Impp. manſit (h). Qualis & fulguritorum conditor dicitur, vt Iuuenalis (i) canit:

atque aliquis ſenior, qui publica fulgura condit.

Cœli quoque ſidera atque ſacrificiorum flammas inſpiciebant, vt Seneca canit (k):

arte qui reſeras polum,
cui viſcerum ſecreta, cui mundi fragor
& ſtella longe ſemitam flamma trahens
dant ſigna fati

atque Virgilius (l):

tertius ille hominum, diuûmque interpres Aſylas,
cui pecudum fibræ, cœli cui ſidera parent,
& lingua volucrum & præſagi fulminis ignes.

De locis ſacris quoque & religioſis reſponſa dabant, quænam ſint talia, quænam vero profana, vti vel ex tota Ciceronis oratione pro haruſpicum reſponſis patebit (m). Prodigiorum procuratio aliqua ex parte ad eos ſpectabat. Sic cum varia narrata eſſent prodigia (n); ædes ſacras de cœlo tactas, monſtra nata, & litteræ ex Macedonia eſſent adlatæ, lauream in puppi nauis longæ enatam. Priorum prodigiorum cauſſa ſenatus cenſuerat, vt conſules maioribus hoſtiis, quibus diis videretur, ſacrificarent, ob hoc vnum prodigium vltimum haruſpices in ſenatum vocati, atque ex reſponſo eorum ſupplicatio populo in diem vnum edicta. Maxime vero in tali cauſſa, vbi quid miraculo quodam creuerit, conſultos eſſe haruſpices, videmus & ex Liuio (o), qui id factum ſcribit, cum lacus in Albano nemore ſine vllis cœleſti

(h) *l. I Cod. Theod. de paganis ſacrif. & templis.* (i) *ſat. VI v. 586.* (k) *Troade v. 356.* (l) *X Aeneid. v. 175.* (m) *c. V & VI.* (n) Liuius *XXXII c. I.* (o) *V c. XV.*

leſtibus aquis, cauſſaue qua alia, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem inſolitam creuit Videmus ergo ob talia in ſenatum vocatos haruſpices, vel Scto fuiſſe monitos, & quidquid edixerint, dicebatur haruſpicum reſponſum, vel haruſpicum ſententia, vt eſt in lapide (p):

DEO FVLGERATORI
ARAM
ET LOCVM. HVNC.
RELIG
EX. HARVSP. SENT
Q. PVBLICIVS. FRONT.
POS. ET
D. D

Cum exoleſcere aliquando inciperet hoc collegium, Claudius Sctum tulit, vt viderent pontifices, quæ retinenda firmandaque haruſpicum eſſent (q), ne ritus ſacrorum rebus ambiguis culti proſperis oblitterarentur. Alii erant haruſpices Auguſtales, vti ex lapide ſupra adducto patet, in quo tamen Reineſius pro AVGG CC legit AVGG. NN Auguſtorum noſtrorum. Et qui eosdem adminicularentur, adiutores haruſpicum dicti. Quo facit lapis priſcus (r).

D. M
CN. IVLI. CN. FIL.
DOMATI. PRISCI
EX. EQVO. PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM

(p) Gruterus *p. XXI n. 4.* (q) Tacitus *Ann. XI c. XV.*
(r) *p. CCCIV n. 5.*

Fuere etiam haruſpices,qui priuatis reſponſa darent, præmium inde expectantes, & per vicos oberrantes; quos vicanos haruſpices Ennius (ſ) adpellat, atque ex variis coniectabantur, & communi nomine alias dicebantur harioli. De his verba Ennii hæc ſunt: *Non habeo deniq; nauci Marſum augurem, non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos, non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomniûm, non enim ſunt ii aut ſcientia aut arte diuini ſed ſuperſtitioſi vates, impudentesque harioli, aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat: qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam: quibus diuitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt. De his diuitiis ſibi deducant drachmam, redddant cætera.* Optime hoſce deſcribit Iuuenalis, dum canit (t):

ſi mediocris erit, ſpatium luſtrabit vtrumque
prebebit vati crebrum poppyſma roganti.
Diuitibus reſponſa dabit Phryx augur, & inde
conductus dabit aſtrorum mundique peritus,
atque aliquis ſenior, qui publica fulgura condit.
plebeium in circo poſitum eſt, & in aggere fatum:
quæ nudis longum oſtendit ceruicibus aurum,
conſulit ante Phalas, delphinorumque columnas.

Sortes itaque ducebant, reſponſa dabant ex fronte, manu & aſtris, quo phyſiognomi, chiromantæ & aſtrologi antiquiſſimis jam noti, denotantur. Locum habebant tales harioli, ſortilegi & diuinatores in Circo, in quo mora-

(ſ) Cicero *I de diuin. extr.* (t) *ſat. VI v. 584.*

morabantur. Quare Iuuenalis canit : *plebeium in Circo poſitum & in aggere fatum.* Atque tales ſæpius coniectores fuere dicti, vti ſupra de haruſpicum diſciplina pluribus dictum fuit.

QVINDECIMVIRI SACRIS FACIVNDIS

Duumuiri primum a Tarquinio Superbo inſtituti, qui emtos ab eodem tres Sibyllinos libros adſeruarent, additique duo miniſtri publici, qui horum librorum cuſtodiam habebant. Expulſis dein regibus, cum Sibyllina hæc oracula inter præcipua ſacra haberentur, ciuitas ſuſcepta horum ſacrorum cura, clariſſimos viros cuſtodes eorum creauit, qui per totum vitæ tempus fungerentur eo munere, ab omnibus muniis aliis immunes, aliaque ſacerdotii iura haberent : atque ita ordinauit, vt ſine hisce libros Sibyllinos inſpicere non liceret (u). Hi itaque duumuiri ſacris faciundis dicti (x), exin facti decemuiri, lege a C Licinio & L. Sextio tribunis plebis lata, quinque ex patribus, quinque ex plebe creatis, qui dicti Decemuiri ſacrorum (y), vel decemuiri ſacris faciundis (z). Auctus hic numerus poſtea, incertum, a quo, probabile tamen a Sylla, qui & aliorum, vti diximus, ſacerdotum numerum adauxit. Ratione Panuinius (a) vtitur tali, quod eo anno, quo Capitolium concremauit, quod paullo ante Syllana tempora factum, Xuiri adhuc fuerint, Halicarnaſſenſi teſte (b). Ciceronis autem ætate Quindecimuiri fuere. Publium enim Dolabellam populi ſuffragiis quindecimuirum creatum ſcribit (c), ſine dubio per legem Domitiam. Licet & alio

(u) *lib. IV p. m. 261.* (x) Liuius *V c. XIII.* (y) Liuius *VI c. XLII.* (z) Liuius *X c. VIII.* (a) *de Ciuitate Romana c. XXXV.* (b) *c. l.* Liuius *XXII c. IX.*

alio loco (d) decem interpretes Sibyllinorum verſuum ex ciuitate electos ſcribat, niſi pro *decem* ibi forſan legendum *quindecim*. Dicti exinde XVuiri S. F. etiam quindecimuirale conſtituebant ſacerdotium (e), quorum primus dicebatur Quindecim virûm collegii magiſter (f). Iulius Cæſar, demum *ἔστι τοῖς πεντεκαίδεκα ἕνα, καὶ ἐς τοὺς ἑπτὰ ἂν καλουμένους, τρεῖς ἱερεῖς προσαποδείξας XV ſacerdotibus vnum, & iis quorum ſeptem erant, tres adiecit alios* (g). Seruius (h) poſt hæc ſexaginta fuiſſe contendit, quindecimuirûm tamen remanſiſſe vocabulum. Carminum autem Sibyllæ ac fatorum populi Romani erant interpretes (i), & antiſtites Apollinaris ſacri (k), id quod & eorum nummi tripode & delphino inſigniti teſtantur. Inſpiciebant autem libros Sibyllinos non niſi ex Scto, turbato Reip. ſtatu, vel ſi clades in bello accepta vel ſi tetra alias prodigia eſſent nuntiata (l), atque dum eos libros ex Scto adire iubebantur, & quæ ibi legiſſent, enuntiare ſenatui, qui dein ſecundum eorum effata, vel hoſtias, ludos, ſupplicationes, lectiſternia & ſimilia diis fieri decernebat. Exempla paſſim obuia (m). Hinc Gellius (n) ait: *ad eos Sibyllinos libros quaſi ad oraculum XVuiri adeunt, cum dii immortales publice conſulendi ſunt.* Quare & Auguſtus cum vetuſtate Sibyllini libri exoluerant, hoſce iuſſit vt ſua manu eos deſcriberent, ne quis alius eos legeret (o). Vbi

Dio

(d) *I de diuin. cap. II.* (e) Tacitus *Ann. XI c. XI.* (f) Plinius *XXVIII cap. II.* (g) Dio *lib. XLIII. extr.* (h) *ad Virgilii VI Aen. v. 73.* (i) Cicero *c. l.* (k) Liuius *X c. VIII.* (l) Liuius *XXII c. IX.* (m) Liuius *VII c. XXVII. XXI c. LXII. XXV c. XII.* Tacitus *III Ann. c. LXIV.* (n) *I c. XIX.* (o) Dio *lib. LIV p. m. 532.*

Dio habet *τὰς ἱερὰς* quod latinus interpres vertit *pontifices*, ſed potius generale nomen ſacerdotum eſt. Ludis quoq; ſecularibus intererant, & horum curam habebant. Ita enim de ſe Tacitus (p) *Domitianus quoque edidit ludos ſeculares; iisque intentius adfui ſacerdotio quindecimuirali praditus, ac tum prator. quod non iactantia refero, ſed quia collegio quindecimuirûm antiquitus ea cura, & magiſtratus potiſſimum exſequebatur officia caremoniarum.* Sacris quoque, quæ extra ordinem fiebant, præerat hoc collegium. Ita in ſacro iſto, quo Græcus & Græca, Gallus & Galla ſub terram viui fuere defoſſi, precationem iſtam præiuit Quindecimuirûm collegii magiſter (q). Sub Aureliano libri Sibyllini noti beneficiis publicis inſpecti ſunt, inuentumque vt in certis locis ſacrificia fierent, quæ Barbari tranſire non poſſent. Facta denique ſunt ea, quæ præcepta fuerant in diuerſo cærimoniarum genere, atque ita barbari reſtiterunt (r). Cæremoniæ quoque additæ, vt puri ſanctique, veſtitu ſacerdotali, laureati in templum Capitolinum, in quo adſeruabantur libri, adſcenderent, & libros fatales euoluerent. Tradit hæc Vlpius Syllanus, (ſ) qui XVuiros, quos ibi pontifices adpellat, ita adloquitur: *agite igitur pontifices, qua puri, qua mundi, qua ſancti, qua veſtitu animisque ſacris commodi, templum adſcendite, ſubſellia laureata conſtituite, veteranis manibus libros euoluite, fata reipublica qua ſunt aterna, perquirite.* Quare & XVuiros laureatos fuiſſe innuit quoque Arnobius (t). Durauit hoc ſacerdotium cum aliis vsque ad Theodoſii M. tempora.

(p) *Ann. XI c. XI.* (q) Plinius *XXVIII c. II.* (r) Vopiſcus *Aureliano c. XIX.* (ſ) Vopiſcus *Aureliano c. XX.* (t) *lib. IV p. m. 151.*

SEPTEMVIRI EPVLONVM

Triumuiri primum anno V. C. DLVIII fuere inſtituti, quibus item vt pontifici lege datum togæ prætextæ habendæ ius (u). Auctus dein eorum numerus, incertum a quo, veroſimile tamen a Sylla, vt eſſent ſeptem. Paullo enim ante Syllana tempora IIIuiri tantum fuere, vti ex oratione L. Craſſi, qui paullo ante Syllæ dictaturam obiit, adparet, cum inquit (x): *ſed vt pontifices veteres propter ſacrificiorum multitudinem, tres viros epulones eſſe voluerunt, cum eſſent ipſi a Numa vt etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti.* Ciceronis vero tempore & initio belli ciuilis VIIuiri erant, vt Lucanus canit (y): *Septemuirque epulis feſtus.* Cæſar dein decem fecit, tres enim collegio ſeptenario eum addidiſſe auctor eſt Dio (z). Surrogabantur modo a populo, modo a collegis. Collegium enim fuiſſe patet ex lapide apud Gruterum (a). Officium deſcribit Cicero (b), vt ludorum epulare ſacrificium facerent, & (c) epulis ludorum publicorum præeſſent, ac ſi quid prætermiſſum vel commiſſum, ad pontifices adferrent. Ex quo omnes epulæ ſacræ, quæ publice fierent, eorum officio commiſſæ fuiſſe videntur, ipſique & cæremonias obſeruabant, & ſi quid vel neglectum, vel non rite & perperam factum, ad pontifices deferebant. Ludis enim intereſſe tenebantur & ſi hi abeſſent, vices obibant pontifices (c). Dignitas eorum non minima, ita vt & Impp. hoc ſacerdotii munere gauiſos fuiſſe de Tiberio (d), & Dru-

(u) Liuius *XXXIII c. XLII.* (x) *III de Oratore c. XIX.* (y) *lib. I v. 60.* (z) *lib. XLIII extremo.* (a) *p. CCXXVII n. 1.* (b) *III de Oratore c. XIX.* (c) Dio *lib. XLVIII p. m. 376.* (d) Gruterus *p. CCXXXV n. 10.*

Druſo (e) Iuuentutis principe, teſtentur inſcriptiones.

FRATRES ARVALES

Aruorum ſacerdotes Romulus inſtituit, ſeque duodecimum fratrem adpellauit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice ſua, ſpicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in ſacerdotio ei pro religioſiſſimo inſigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona: honosque is non niſi vita finitus & exules etiam captosque comitatur, vti verba ſunt Plinii (f). Gellius (g) hoc collegium fuiſſe teſtatur, vti & in lapidibus adpellatur (h). Sacra autem publica eos facere ait Varro (i), propterea vt fruges ferant arua: atque a ferendo & aruis, fratres aruales dicti. Manſit hæc dignitas, nec minima fuit, & cum aliis Magiſtratibus iuncta. Lucium Cæſonium enim C. filium præfectum ſimul vrbis, atque proconſulem fuiſſe teſtatur lapis priſcus (k). Quo ſpectant & fratrum arualium inſcriptiones apud Gruterum (l).

FLAMINES

ab integumento capitis, flamma dicto, nomen adepti ſecundum Halicarnaſſenſem (m). Flamines dicti, inquit Varro (n), quod in Latio capite velato erant ſemper, ac caput cinctum habebant filo. Flamma enim dicebatur pileus ſacerdotalis, alias apex. Flamines hosce Numa creauit tres: Dialem primum, quem Ioui adſiduum eſſe ſacerdotem voluit, cui dein & Martialem & Quirinalem addi-

(e) *p. CCXXXVI n. 9.* (f) *XVII c. IV. XVIII c. II.* (g) *VI c. VII.* (h) Gruterus *p. CXVIII p. MLXXXVIII n. 1.* (i) *lib. IV de L.L. p. m. 23.* (k) *p. CCCLXXXI n. 3.* (l) *pag. CXVII.* (m) *lib. I p. m. 124.* (n) *lib. IV p. m. 15.*

addidit (o). Quos tres coniungit Cicero (p), de Antonio dicens: *eſt ergo flamen vt Ioui, vt Marti, vt Quirino.* Atque hi ex patriciis lecti (q), dictique maiores; plures ex plebeiis adiecit poſterior ætas, qui minores dicebantur (r). Qualis eſt Flamen Carmentalis (ſ), Volturnalis, (t) lucularis (u), Neptunalis (x), vti Reineſius legit pro Neptuni dialis. Palatualem, Furinalem, Floralem, Falaçrum, Volcanalem memorat Varro (y). Onuphrius Panuinius (z) adducit & Laurentialem, Lainarem & Pomonalem ex inſcriptionibus antiquis, obſcura ſæpe nomina. Vero admodum videtur ſimile, ſingulares deorum ſacerdotes, quibus non ſui peculiares fuere adtributi, dictos fuiſſe flamines. Probat id Cicero, dum ex iure pontificio ita loquitur: *diuis aliis alii ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis flamines ſunto.* Teſtatur id quoque Varro (a): *Horum ſinguli,* ait, *cognomina habent ab eo deo, cui ſacra faciebant, ſed partim ſunt aperta, partim obſcura.* Sic & Liuius (b) ſacerdotes & flamines promiſcue vſurpat. Sequenti tempore Imperatoribus quoque conſecratis adſignarunt flamines. Antonius ita flamen diuo Iulio dicitur Ciceroni (c). Flamines Auguſtales Tiberii Cæſaris, D. Claudii, D. Hadriani, D. Traiani, D. Veſpaſiani: Flauiales quoque & Traianales paſſim occurrunt apud Gruterum. Quin & Roma ſuum habuit flami-

(o) Liuius *I c. XX.* Plutarchus *Numa p. m. 64.* (p) *Philipp. II c. XLIII.* (q) Cicero *pro domo c. XIV.* (r) Feſtus *voce maiores.* (ſ) Cicero *de claris orat. c. XIV.* (t) Gruterus *p. CXXXV.* (u) Gruterus *p. CCCXLVII. n. 1.* (x) Reineſius *ſynt. inſcript. p. m. 130.* (y) *lib. VI de L.L. p. m. 73.* (z) *de ciuitate Rom. c. XXVI.* (a) *lib. IV de L.L. p. m. 23.* (b) *V c. LII.* (c) *Philipp. II c. XLIII.*

flaminem (d). Sic & Auguſtarum diuarum flamines erant (e). Et cum plures eſſent flamines Auguſtorum, horum præcipuus dicebatur primus (f). Creabantur flamines comitiis calatis, teſte Gellio, & quidem curiatis, vti probat Grucchius (g); ſolennibus quidem auguriis, inde capi a pontifice M (h), demum inaugurari dicebantur (i). Eademque ex ratione ac alii ſacerdotes pontifici audientes eſſe iubebantur (k). Sacerdotium eorum dicebatur flaminium, quod perpetuum erat, quandoque tamen flaminio abire iuſſi, vel propter exta parum curioſe deorum aris admota, vel quod apex inter ſacrificandum e capite lapſus (l). Vxores dicebantur flaminicæ deabus alias miniſtrantes (m): qualis in lapide (n) priſco Flamina dicitur. Sic & Flaminii dicebantur eorum ſerui, & quas inhabitabant, ædes Flaminiæ. Menſæ vero ad quas ſederent, adſidelæ (o). Præcipuus inter eos erat FLAMEN DIALIS: Cærimoniæ illi impoſitæ & caſtus multiplices, quos ex Fabii Pictoris libris enarrat Gellius (p). *Equo* inquit *dialem flaminem vehi religio eſt; claſſem procinctam extra pomœrium, id eſt, exercitum armatum videre. idcirco rarenter flamen Dialis creatus conſul eſt, cum bella conſulibus mandabantur. item iurare Dialem fas nunquam eſt. item annulo vti, niſi peruio caſſoque fas non eſt. ignem e fla-*

Hhh h *minia,*

(d) Gruterus *p. CCCLIX n. 6.* (e) Gruterus *p. CCXXVII n. 6.* (f) Gruterus *p. XXIX n. 13.* (g) *de comitiis lib. I c. II.* (h) Gellius *I c. XII.* Valerius Maximus *VI c. IX n. 3.* Liuius *XXVII c. VIII.* (i) Liuius *c. l.* (k) Liuius *XXXVII c. LI.* (l) Valerius Maximus *lib. I c. I. n. 4. 5. 6.* (m) Capitolinus *Antonino Pio c. VI.* (n) Gruterus *p. CCCCLIX n. 9.* (o) Feſtus *hac voce.* (p) *X cap. XV.*

minia, id eſt flaminis dialis domo, niſi in ſacrum efferri ius non eſt. vinctum ſi ades eius introierit, ſolui neceſſum eſt : & vincula per impluuium in tegulas ſubduci, atque inde foras in viam dimitti, nodum in apice neque in cinctu, neque alia in parte vllum habet. ſi quis ad verberandum ducatur, ſi ad pedes eius ſupplex procubuerit, eo die verberari piaculum eſt. capillum dialis, niſi qui liber homo eſt, non detonſet. capram & carnem incoctam & ederam & fabam neque tangere Diali mos eſt neque nominari. propagines e vitibus altius pratentos non ſuccidet. pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos eſſe oportet : & de eo lecto trinoctium continuum non decubat : neque in eo lecto cubare alium fas eſt. neque apud eius lecti fulcrum capſulam eſſe cum ſtrue atque ferto oportet. vnguium Dialis & capilli ſegmina ſubter arborem felicem terra operiuntur. Dialis cottidie feſtatus eſt. ſine apice ſub diuo eſſe licitum non eſt : ſub tecto vti liceret, non pridem a pontificibus conſtitutum. Alia ſunt, quæ ex Maſſurio Sabino addit : *farinam fermento imbutam attingere fas non eſt, tunicam intimam, niſi in locis tectis non exuit, ne ſub cœlo, tanquam ſub oculis Iouis, nudus ſit. ſuper flaminem Dialem in conuiuio, niſi rex ſacrificulus, haut quiſquam alius accumbit. vxorem ſi amiſit, flaminio decedit. matrimonium flaminis niſi morte dirimi non eſt ius. locum in quo buſtum eſt, nunquam ingreditur. mortuum nunquam attingit. funus tamen exſequi non eſt religio.* Maxime ſingulare erat, quod noctem vnam extra vrbem manere nefas haberetur (q). Nec magiſtratum petere, nec capere permiſſum (r) : inde L. Cornelium Merulam flaminem dialem cum in locum L. Cornelii Cin-

(q) Liuius *V c. LII.* (r) Plutarchus *quæſt. Rom. CXIII.*

Cinnæ Coſ. ſuffectus eſſet, & in magiſtratu occiſus, violatæ legis pœnam dediſſe credidere (ſ). Reperimus tamen C. Valerium Flaccum, flaminem dialem ædilem curulem fuiſſe creatum, quia vero iurare vt dialis non poterat: cum in leges iurare magiſtratus tenerentur, frater pro eo ad iuramentum admiſſus (t). Verba enim prætoris ex edicto perpetuo erant. Sacerdotem Veſtalem & flaminem dialem in omni mea iurisdictione iurare non cogam (u). Sacra eius dicebantur dialia, quæ ſi flamen valetudine aut munere publico impediretur, pontificibus incumbebant (x). Mortuo hoc, patricios confarreatis parentibus genitos tres ſimul nominari olim mos erat (y). Vxor dicebatur flaminica, quod docet inſcriptio (z):

AVL. SEMPR. ASPRENATI
FLAMINI. DIALI
CONIVGI. OPTVMO
BENE. MERENTI
HECALE. FLAMINICA.

De qua Feſtus (a) inquit: *flammeo veſtimento Flaminica vtebatur, id eſt dialis vxor, & Iouis ſacerdos, cui telum fulminis eodem erat colore.* De hac lata lex erat, vt ſacrorum cauſſa in poteſtate viri ſit, cætera promiſcua fœminarum iure ageret (b). Alias cæremonias Flaminicis obſeruatas adducit Gellius (c): *quod venenato operitur, & quod in rica ſurculum de arbore felici habet: &*

Hhhh 2 *quod*

(ſ) Appianus *I de b. ciu. p. m. 395.* Florus *III c. XXI.* (t) Liuius *XXXI exeunte.* (u) Gellius *XI c. XV.* (x) Tacitus *Ann. III c. LVIII.* (y) Tacitus *Ann. IV c. XVI.* (z) Gruterus *p. CCCXXII n. 2. p. CCCVII n. 8.* (a) *voce flammeo.* (b) Tacitus *Ann. IV c. XVI.* (c) *X c. XV.*

Digitized by Google

quod ſcalas, niſi quæ græce κλίμακες adpellantur, eas eſcendere ei plus tribus gradibus religioſum eſt : atque etiam cum it ad Argeos, quod neque comit caput neque capillum depectit. Dicitur & hæc ipſa flamen in lapide priſco apud Gruterum (d). Miniſtris vtebantur pueris patrimis atque matrimis (e), id eſt qui patrem matremque adhuc viuos habebant, qui exinde Camilli Flaminii dicebantur, & Flaminia ſacerdotula dicebatur ea, quæ flaminicæ diali ſubminiſtrabat, eademque ratione Flaminii lictores, qui flamini diali ſacrorum cauſſa præſto erant. Manſit hæc dignitas continua ſerie vſque ad tempora Syllæ, quibus L. Cornelius Merula ſibi ipſe venas ſecuit, narrante Appiano (f). Poſt quem Cæſar hoc ſacerdotium fuit conſecutus (g). Poſt finem vero imperii Auguſti inauguratus eſt Seruius Cornelius Maluginenſis (h), a quo hoc ſacerdotium vſque ad tempora Theodoſii continuatum eſt. Habebant tamen & prouinciæ, coloniæ atque municipia ſuos flamines, quorum frequens in lapidibus priſcis occurrit mentio : per quinque tantum annos hoc ſacerdotium geſſerunt, quare dicti flamines quinquennales (i), vel flamines ſacrorum quinquennales (k). Inde cum iteraretur ſæpius hoc ſacerdotium, dicebatur talis Flamen bis (l), Flamen iterum (m) Rarius flamen perpetuus (n). Et qui ſacerdo-

(d) *p. MXXIII n. 6.* (e) Feſtus *voce flaminius.* (f) *lib. I B. Ciu. p. m. 395.* (g) Dio *lib. LIV circa finem.* (h) Tacitus *III Ann. c. LVIII.* Suetonius *Auguſto c. XXX.* (i) Gruterus *p. CCLXI n. 4.* (k) Gruterus *p. CV. n. 10.* (l) Gruterus *p. CCCCXXV n. 16.* (m) Gruterus *p. CCCC LXXXIX n. 10. p. CCCXCIV n. 2.* (n) *p. CCCCLXXIX n. 7.*

doſium hoc aliquando geſſerunt, poſtea dicti flaminales viri. Quod docet inſcriptio Tarraconenſis (o): C. VAL. ARABINO FLAVIANI. F. BERGIDO. F. OMNIB. HON. IN. R. P. SVA. FVNC. SACERDOTI ROMAE. ET. AVG. P. H. C OB. CVRAM. TABVLARI CENSVALIS. FIDELITER ADMINIST. STATVAM INTER FLAMINALES VIROS. POSITAM. EX ORNANDVM VNIVERS CENSVER. Qui vero ad hoc ſacerdotium deſtinati, flamines deſignati (p). Ipſum vero ſacerdotium dicebatur Flaminatus: vt Flaminatus prouinciæ Hiſpaniæ citerioris in lapide priſco (q), vel munus Flaminicum (r). Flamen vero diuorum omnium, cuius mentio & ſæpius fit in lapidibus priſcis (ſ), & inter ſacerdotes locum habuiſſe videtur præcipuum, eadem forſan dignitate habitus atque apud Romanos pontifex maximus. Habuere & prouinciæ coloniæque ſuas Flaminicas, quarum paſſim in marmoribus Gruterianis fit mentio.

SODALES TITII ET AVGVSTALES.

Sacerdotes erant flaminibus minores. Varro (t) a Titiis auibus ſic dictos exiſtimat, quas in auguriis obſeruare ſolebant. Originem eorum ad Tatium Sabinorum regem refert Tacitus (u), qui retinendis Sabinorum ſacris eos inſtituit, licet & alio loco (x) in honorem Tatii regis a Romulo inſtitutos dicat: Vnicuique dein flamini

(o) Gruterus *p. CCCCLXXVIII n. 2. p. CCCLXXVI num. 1.* (p) *p. CCCXXV n. 3.* (q) Gruterus *p. MXCVI n. 7.* (r) *p. CCCXXI n. 10.* (ſ) *p. CCCLIII n. 3. p. CCCCXC n. 2. 3.* (t) *lib. IV de L. L. p. m. 16.* (u) *Ann. I c. LIV* (x) *II hiſt. c. XCV.*

mini certos adiectos fuiſſe ſodales coniectura eſt, quod ex eo patet, dum conſecratis Imperatoribus ſemper addantur flamen & ſodales. Sic a Tiberio additum ſodalium Auguſtalium ſacerdotium & genti Iuliæ ſacratum teſtatur Tacitus (y), ad quod ſorte ducti e primoribus ciuitatis vnus & viginti. De Antonino Pio Iulius Capitolinus teſtatur (z), quod meruerit & flaminem & ſodales, flaminesque & ſodales Aurelianos idem commemorat (a). Sic alii dicti Marciani, Heluiani, Alexandrini, Veriani, Flauiales, Hadrianales, Seueriani, Traianales, qui paſſim occurrunt apud Gruterum. Ludis ergo & Auguſtalibus præerant (b), quare & ludorum cauſſa viam ſilice ſternendam curarunt (c). Diſtincti tamen ſemper manſere ſodales, Titii atque Auguſtales, licet communem haberent Kalatorem, vt eſt in lapide (d): CALATORI. SACERDOTII. TITIALIVM FLAVIALIVM Galba etiam inter quindecimuiros ſodales Titios atque Auguſtales cooptatus fuit (e). Caracallæ vero ob conſeruatas cæremonias monumentum ſoli poſuere ſodales Titii (f). Habebant & coloniæ atque prouinciæ ſuos Auguſtales. Legebantur iſti a decurionibus, vt eſt in lapide (g):

FAVSIVS
VIVIR. ET. AVGVST.
QVI. INTER. PRIMOS
AVGVSTALES
A. DECVRIONIB.
AVGVSTALIS. FACTVS. EST.

Et

(y) *Ann. I cap. LIV.* (z) *in vita c. XIII.* (a) *c. VII fin.* (b) *Ann. III c. LXIV.* (c) Gruterus *p. CXLIX n. 5.* (d) *p. CCCIV n. 9.* (e) Suetonius *in vita cap. VIII.* (f) Gruterus *p. CCLXX n. 2.* (g) Gruterus *p. CCCCIX n. 5.*

Et dicebantur VIuiri auguſtales (h), quia certum conſtituebant corpus atque collegium (i), quod ſex perſonis conſtabat, (k) atque alias ordo ſexuiralis dicebatur (l), & qui ſuper numerarii, adlecti ſupra numerum ſeuirûm Auguſtalium (m). Indeque & ſacerdotes corporis Auguſtalium dicti (n) & collegium VIuirorum ſociorum (o) & compitalares Auguſtales (p). Quare in municipiis alterum conſtituebant ordinem, vt in lapide priſco ita ſe ſubſequuntur. Decuriones, Auguſtales & Municipes (q). Dicebantur & magiſtri auguſtales (r), vel magiſtri larum & genii Cæſaris, vt eſt in lapide (ſ):

C. MARTIVS APILVS
MAGISTER. LARVM
AVGVSTORVM. ET
GENII. CAES. AVG. N.
S. F.

Seuir enim & magiſter Larum, quam ſæpiſſime iungitur (t), & expreſſis verbis C. Rætius Montanus SEVIR. MAGISTER. LARVM. AVGVSTALIS dicitur (u). Dignitas eorum erat oneroſa, dicitur enim *ONVS AVGVSTALITATIS* in teſtamento M. Megonii, qui Auguſtalibus vſuras ſemiſſes legat, quo facilius ſtratiius publicum obire poſſent, quibus & vineam legauit, quo epulas publicas

(h) Gruterus *p. LXIV n. 6. p. CCCLIX n. 2.* (i) *p. CCXV n. 2.* Reineſius *cl. I n. 12.* (k) Gruterus *p. CCXLIX n. 5.* (l) *p. CCCXX n. 12.* (m) *p. CCCCLI n. 4.* (n) *pag. CCCLXXII n. 7.* (o) *p. DCCLXXII n. 7.* (p) *pag. CLXXIX n. 3.* (q) Gruterus *p. CCLXXX n. 1.* (r) *p. CXLIX n. 5. p. CCXLIX. p. CCCCXVIII n. 11. 12.* (ſ) *p. CCCXX n. 9.* (t) *p. CCCCX n. 6. p. CCCCXXXII n. 5.* (u) *p. CCCCLXII n. 5.*

cas exercentes vinum habere poſſint (x). Quare inter ſingularia refert L. Cancrius Sex Vir Auguſtalis & Flauialis (y), quod primus omnium his honoribus ab ordine donatus. Et (z) Q. ANNIO. IANVARIO. ORDO. DECVRIONVM. OB. MERITA. EIVS. HONOREM. AVGVSTALITATIS. GRATVITVM. DECREVIT. Habebant ergo ſuam propriam arcam Auguſtales, quæ modo arca Auguſtalium (a), modo Vluirorum dicitur (b), in quam, quæ iis legata, inferebantur (c), & qui huic præerat, quæſtor dicebatur Auguſtalis (d). Fœminas quoque inter Auguſtales adlectas teſtantur lapides, vt Aureliam Iuſtam, & Valeriam, (e) Claudiam Ruffinam (f), & Heluidiam Bureniam (g). Tandem etiam coloniæ ſuorum ſacrorum propriorum habuerunt ſodales, vti ſodales ſacrorum Tuſculanorum dicuntur in lapide priſco (h).

CVRIONES

Romulus hoſce iam inſtituerat, cum ſua cuique curiæ ſacra ordinaſſet, adſignatis in ſingulas diis & dæmonibus, quos perpetuo coleret; ſumtibus quoque neceſſariis ex publico, vt feſtis diebus ſacrificia celebrarent & in foculo curiali epulum vna ſumerent in cœnaculo cuiuslibet curiæ. Deſignari autem eos voluit a ſuis curiis, eamque electionem ita demum ratam haberi, ſi comprobata fuiſſet ab auguribus (i). Triginta horum erant atque

(x) *p. CCXV n. 2.* (y) *p. XIX n. 6.* (z) *p. CCCLIV n. 7.* (a) *p. CCCCXIV n. 2.* (b) *p. CCCCIX n. 7. p. CCCCXXIV n. 12.* (c) *p. DCCLXXII n. 7.* (d) *p. CCCCLVII n. 3. p. CCCCLXIV n. 4.* (e) Gruterus *p. CCCXX n. 12.* (f) *p. CCCCLI n. 4.* (g) *p. MLXXXVIII n. 12.* (h) *p. CCCCLXXIX n. 6.* (i) Halic. *lib. II p. m. 93.*

Digitized by Google

atque dicebantur Curiones, quos poſt hæc confirmauit Numa (k). Hic autem cuius auctoritate curiæ omnesque curiones regebantur, dicebatur Curio maximus (l). Hinc comitia curionis maximi creandi cauſſa per pontificem maximum habita (m). Et cum patriciorum olim proprium fuerit ſacerdotium, primus ex plebe Curio maximus creatus C. Mamilius Vitulus (n). Reliqui dicti curiones minores (o), vel curiales flamines (p) vel curionales publici (q). Ipſa ſacra quæ in curiis fiebant, ſacra curionia (r) vel ſacra publica populi Romani Quiritium (ſ). Qui vero eiusdem curiæ erant, dicebantur curiales (t). Menſæ autem curiales, in quibus immolabatur Iunoni, quæ Curis adpellabatur (u). Habebant & prouinciæ ſuos curiones, qualis in Narbonenſi Gallia L. Aemilius fuit (x). Quare & montis Albani curio dicitur in lapide priſco (y).

SALIORVM SACERDOTIVM.

Salios Numa legit ex patriciis iuuenes XII ſpectatiſſimos Marti gradiuo, qui a Numa inſtituti, cum ſacra in palatio celebrarent, dicti fuere *Palatini;* alii vero *agonales*, ſeu Collini a rege Hoſtilio voti damnato fuere inſtituti, qui ipſis trabeas, apices, gladios atque lanceas attribuit (z). Herculi quoque adſignat Salios Virgilius (a), dum de ſacris Herculis canit:

(k) Halic. *lib. II p. m. 24.* (l) Liuius *III c. VII.* (m) Liuius *XXVII c. VIII.* (n) *c. l.* (o) Gruterus *pag. CCCV n. 4.* (p) Feſtus *voce curiales.* (q) Gruterus *p. CCCV num. 5. 6.* (r) Feſtus *hac voce* (ſ) Gruterus *p. DCXXXII n. 1.* (t) Feſtus *hac voce.* (u) Feſtus *voce curiales.* (x) Gruterus *p. CCCXLVIII n. 1.* (y) Gruterus *pag. CCCXXIII n. 9.* (z) Halic. *lib. II p. m. 129.* Gruterus *p. CCCXCIX n. 6.* (a) *VIII Aen. v. 285.*

tum Salii ad cantus, incenſa altaria circum,
populeis adſunt euincti tempora ramis.

Quod miratur Macrobius, (b) ſed rem ita decidit, quod is deus apud pontifices idem fuerit, qui & Mars. Cum autem hanc Deorum confuſionem contra morem Romanorum fuiſſe certum ſit, de Latii ſacris hæc tantum intelligenda, ante Romanorum ortum: quare & Octauius Herſennius ſacra ſaliaria Tiburtium vocat (c). Princeps horum dicebatur Saliorum magiſter (d). Sic de Marco Antonino ſcribit Capitolinus (e), quod fuerit in Saliorum ſacerdotio & præſul & vates & magiſter, multosque inaugurauerit atque exaugurauerit. Præſul autem erat præſultor ſecundum gloſſam ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς προορχούμενος, *qui in ſacris præſultabat.* Præſulis ergo erat amtruare ſiue motibus certis præſilire. redamtruare vero Saliorum erat, qui Præſulis geſtus & modulos exprimebant, de quo Lucilius (f):

præſul vt amtruet hinc, vt vulgu' redamtruet inde.

quod explicat Feſtus: *Redamtruare*, inquit, *dicitur in Saliorum exſultationibus cum præſul amtruauit, quod eſt motus edidit, & referuntur inuicem iidem motus.* Vates autem dicebatur, qui carmen canebat Saliare, quale erat Mamurium. Saltatores quidem erant, qui ad tibiam ſecundum Halicarnaſſenſem (g), rythmico motu in armis ſe motabant, nunc ſimul nunc per vices patrios, quosdam hymnos inter ſaltandum canentes, dextra autem lanceam ferebant, ſiniſtra ancile atque choreas ducebant per orbem, & in forum & in Capitolium & in

mul-

(b) *III Saturn. c. XII.* (c) *c. l.* (d) Valerius Maximus *lib. I c. I n. 9.* Gruterus *p. CCCCLXXXIX n. 10.* (e) *c. IV.* (f) *ſat. IX v. 28.* (g) *c. l.*

multos alios priuatos publicosque locos. *Axamenta* autem dicebantur (h) carmina Saliaria, quæ a Saliis ſacerdotibus componebantur in vniuerſos homines. Nam in deos ſingulos verſus facti, a nominibus eorum adpellabantur Iunonii, Iannalii, Mineruii. Aliud Saliorum carmen Mamurium dictum, cum Mamurius præmii loco tulerit, vt nomen ſuum inter carmina Salii canerent (i). Inſignia erant apices, balthei ænei, galeæ æneæ, gladii, lanceæ, ancilia, tunicæ pictæ. Halicarnaſſenſis enim æneis baltheis ſuccinctos ait ſupra tunicas pictas & indutos adſtrictas fibulis prætextas, trabeas alias dictas; capitibus geſtantes apices ſeu pileos in altum faſtigiatos, dextra lanceam, ſiniſtra ancile tenentes. Plutarchus (k) vero indutos fuiſſe ait tunicis puniceis aureis, æneas in capite galeas portantes & paruis gladiis arma pulſantes. Liuius (l) tunicæ pictæ inſigne iis dediſſe Numam ait, & ſuper tunicam æneum pectori tegmen, cœleſtiaque arma. Ancilia ergo arma dicebantur cœleſtia. Octauo (m) anno regni Numæ morbus vrbem inuaſerat, & cunctis mœrentibus, ſcutum æneum e cœlo inter Numæ manus decidiſſe dicebatur, quod ſibi ab Egeria diuinitus miſſum perſuadebat, eamque vrbem, in qua id Ancile ſeruaretur, omnium fore potentiſſimam. Quod cum Numa feſtis diebus per vrbem circumferri & annuis honorari ſacrificiis voluiſſet, veritus inimicorum inimicitias & furta, fabricaſſe ferunt multa illi ſimilia, idque ope, atque induſtria Mamurii cuiusdam, vt indiſcreta humani operis ſimilitudo, inſidiatoribus omnem internoſcendi

(h) *hac voce.* (i) Feſtus *voce Mamurius.* Plutarchus *Numa p. m. 69.* (k) *c. l.* (l) *l. c. XX.* (m) Plutarchus. Halic. *l. c.*

di diuinitus miſſi ancilis facilitatem adimeret. Deſcribit & formam Feſtus, dicit enim fuiſſe ſcutum breue, ideo ſic adpellatum, quia ex vtroque latere erat reciſum, vt ſummum infimumque eius latus medio pateret. Circumferebantur hæc ancilia per duodecim hosce Salios Palatinos in Saliorum feſto, menſe Martio. Et quidem illi ipſi dies, quibus ancilia mouebantur, religioſi cum eſſent, quibus nihil quidpiam agebant, religioſe quoque colebantur a Saliis, dum in prouinciis eſſent, quod exemplo Scipionis videmus (n). Habebant iſta ſuum peculiarem locum, in quo adſeruabantur, qui curia Saliorum dicebatur (o) vel manſiones Saliorum (p), & prope pontificis regiam fuit, vti diximus. Aliæ *virgines* erant *ſaliares*, quas Cincius ait eſſe conductitias, quæ ad Salios adhibeantur cum apicibus paludatæ, easque Aelius Stilo ſcripſit ſacrificium facere in regia cum pontifice paludatas, cum apicibus in modum Saliorum, narrante Feſto. Ab his etiam dicebantur epulæ Saliares, quæ in eorum inauguratione atque feſto opipare paratæ. Hinc Ciceroni (q) ſaliarem in modum cœnare idem eſt, ac opipare cœnare. In prouinciis quoque atque coloniis peculiares fuiſſe Salios teſtantur monumenta veterum, vt Salius Albanus apud Gruterum (r). In mo & dein Impp. ſuos proprios fuiſſe, vt Salium Hadrianalem alius lapis apud Gruterum (ſ) docet.

CERERIS SACERDOS GRAECA

Cereri templum extruxerunt Arcades, & per fœminas

(n) Liuius *XXXVII c. XXXIII.* (o) Cicero *I de diuin. c. XVII.* (p) Gruterus *p. CLXXIII n. 5.* (q) *ad Att. lib. V ep IX.* Torrentius *ad Horatii lib. I ode XXXVII.* (r) *p. CCCXVIII n. 1.* (ſ) *p. MXIX n. 6.*

minas illi ſobrias ſacra facientes more Græco, quorum nihil iam mutatum ait Halicarnaſſenſis (t). Sic & ſacra Cereris per Græcas ſacerdotes ſemper fuiſſe curata ſcribit Cicero (u). Ad eam facit inſcriptio apud Gruterum (x): FABIAE. AGONIAE. PAVLINAE. C. F FILIAE. AGONII. CATVLINI. V. C EX. PRAEF. ET. CONSVLE. ORD. VXORI VETTI. PRAETEXTATI. V. C. PRAEF ET. CONSVLIS. DESIGNATI. SACRATAE APVD. ELEVSINAM DEO. IACCHO. CERERI. ET. CORAE. SACRATAE. APVD. AEGINAM. DEABVS. TAVROBOLITAE. ISIACAE. HIEROPHANTRIAE. DEAE. HECATE GRAECO SACRANEAE DEAE. CERERIS. Talis & in alio lapide dicitur ſacerdos Cereris publica (y).

VESTALES

In Latio antiquitus has Veſtæ miniſtras fuiſſe volunt in vrbe Alba, dum & matrem Romuli Rheam Syluiam Veſtalem dicant (z). Romæ vero eas inſtituit Numa, primum quidem quatuor (a), Geganiam, Veraniam, Canuleiam, Tarpeiam, quæ nomina Plutarchus prodit (b). Duas addidit Tarquinius Priſcus (c), vt eſſent ſex (d). Hunc ſexenarium autem numerum propterea inſtitutum ſcribit Feſtus, vt populus pro ſua quisque parte haberet miniſtram ſacrorum: quia ciuitas Romana in ſex eſt diſtributa partes, in primos, ſecundosque Titienſes, Ramnes, Luceres. Quem numerum

Iii i 3 ad

(t) *lib. I p.m. 26.* (u) *pro Balbo c. XXIII in Verrem lib. VI c. XLV.* (x) *p. CCCIX n. 2 3.* (y) *p CCCVIII n. 4.* (z) Liuius *I c. IV.* Eutropius *I c. I.* (a) Halic. *lib. II p.m. 127.* (b) *in Numa p.m. 66.* (c) Halic. *lib. III p.m. 199.* (d) Halic. *lib. II p.m. 127.*

ad ſuam ætatem vsque manſiſſe teſtatur Halicarnaſſenſis. Atque tales Veſtalium ſex in nummis quoque ſæpius comparent. Licet quidem Ambroſius (e) aliquando dicat: *quot tamen illis virgines præmia promiſſa fecerunt? vix ſeptem Veſtales capiuntur puellæ:* locum corruptum arguo, ita vt pro ſex irrepſerit ſeptem, cum contrarientur nummi & ſcriptorum monumenta. Capi dum eligebantur, dictæ & primum quidem a rege (f), poſt a pontifice maximo, a quo manu prehenſa ab eo parente in cuius poteſtate erat, veluti bello capta abducebatur, & quidem ex nobilisſimis familiis, vt patrima atque matrima, nulla labe inſignita, nec minor annis ſex nec maior annos decem nata ſit, requirebatur (g). Lege Papia autem cautum fuit, vt pontificis maximi arbitratu, virgines e populo viginti legantur: ſortitioque in concione ex eo numero fiat: & cuius virginis ducta erit, vt eam pontifex max. capiat, eaque Veſtæ fiat. Pontificis ergo erat easdem probare atque reiicere, ſi non eſſet idonea. Reſpiciebat enim ætatem, corpus, genus atque alia. In genere quidem, ne cuius parentes alter amboue ſeruitutem ſeruiſſent: aut in negotiis diuerſantur, vel quæ ipſa aut cuius pater emancipatus ſit, etiam ſi viuo patre in aui ſit poteſtate: excuſabantur etiam cuius pater Flamen, Augur, Quindecimuir aut Septemuir aut Salius eſſet, vel cuius ſoror ad id ſacerdotium lecta. Sponſæ quoque pontificis, & tibicinis ſacrorum filiæ vocatio a ſacerdotio iſto tribuebatur, nec eius legenda filia, qui domicilium in Italia non haberet, & excuſanda eius, qui liberos tres haberet

(e) *epiſt. II contra Symmachum.* (f) Gellius *I c. XII.*
(g) Gellius *c. l.*

ret. In corpore requirebatur, ne lingua debili, ſenſuue aurium deminuta, aliaue qua corporis labe inſignita ſit. Capiebatur e populo, patriciis ſcilicet & plebeiis, Auguſti æuo lege etiam ſtatutum, vt & e libertinis natæ capi poſſent (h). Sequebatur ſortitio in concione, id eſt in publico, in foro, in præſentia omnis populi. Teſtatur illud de Auguſto Suetonius (i): *cum in Veſtalis demortua locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in ſortem darent: adiurauit, ſi cuiusquam neptium ſuarum competeret ætas, oblaturum ſe fuiſſe eam.* Nec ergo ea ſortitio ex lege Papia ſemper erat neceſſaria, nam *ſi quis*, inquit Gellius, *honeſto loco natus adeat pontificem maximum, atque offerat ad ſacerdotium filiam ſuam, cuius duntaxat ſaluis religionum obſeruationibus ratio haberi poſſit, gratia Papiæ legis per ſenatum fit.* De quo ſingularis extat locus Taciti (k): *poſt quæ retulit Cæſar, capiendam virginem in locum Occiæ, quæ ſeptem & quinquaginta per annos ſumma ſanctimonia Veſtalibus ſacris præſederat; egitque grates Fonteio Agrippæ & Domitio Pollioni, quod offerendo filias, de officio in remp. certarent: prælata eſt Pollionis filia, non ob aliud, quam quod mater eius in eodem coniugio manebat.* Inter capiendum autem pontifex his vtebatur verbis: SACERDOTEM. VESTALEM. QVAE. SACRA. FACIAT. QVAE. IOVS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO. ROMANO. QVIRITIBVSQ. VTEI. QVAE. OPTVMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE AMATA. CAPIO. Amatam autem inter capiendum a pontifice maximo adpellatam addit, quoniam quæ prima

(h) Dio *lib. LV p. m. 563.* (i) *in vita c. XXXI.* (k) *Ann. II c. LXXXVI.*

ma capta eſt, hoc fuiſſe nomine traditum ſit. Virgo ita Veſtalis ſimul ac capta eſſet, in atrium Veſtæ deducta & pontificibus tradita, eo ſtatim tempore ſine emancipatione ac ſine capitis minutione e patris poteſtate exibat, & ius teſtamenti faciundi nanciſcebatur, vti ſingula hæc ex antiquiſſimis ſcriptoribus præſcribit Gellius. Dicebantur tum virgines Veſtales (l), vel ſacerdotes Veſtales (m), vti & ipſum munus ſacerdotium (n), vel virgines ſacri Veſtalis antiſtites (o). Inter haſce quæ tempore prima, dicebatur Veſtalis maxima (p), in lapide priſco (q) V. V. MAX. *virgo Veſtalis maxima*, Tacito Veſtalium vetuſtiſſima (r) Ouidio (ſ) *quæ natu maxima virgo eſt.* Per triginta annos huic ſacerdotio præeſſe tenebantur, ita vt primo decennio ſacrorum rationes diſcerent, altero exercerent, tertio docerent (t). De quo belle Seneca (u): *virginum Veſtalium more*, inquit, *quæ annis inter officia diuiſis diſcunt facere ſacra & cum didicerint, docent*, Effluxo hoc tricennali tempore *poſitis ſacerdotii inſignibus* & nubere fas erat, nec tamen infra hoc tempus (x). Quare Symmachus Pontifex max. (y) Veſtalem quandam increpat: *diceris ante annos legibus definitos Veſtali ſecreto velle decedere, nondum credo rumori, ſed adſertionem tuæ vocis expecto.* Infauſta tamen putabant coniugia, ideo ſæpius virginitatem

(l) Gruterus *p. CCCXI n. 3. 5. 6. 7.* (m) Gruterus *p. XXV n. 10.* (n) Liuius *l. c. XX.* (o) Symmachus *II ep. XXXVI.* (p) Suetonius *Caſare c. LXXXIII.* Plinius *IV ep. XI.* (q) Gruterus *p. CCCIX n. 7. 8. p. CCCXI n. 2. & 3.* (r) *Ann. XI c. XXXII.* (ſ) *IV Faſt. v. 637.* (t) Halic. *lib. II p. m. 127.* Plutarchus *Numa p. m. 66.* (u) *de vita beata c. XXIX.* (x) Halic. *lib. II p. m. 127.* (y) *lib. IX ep. CIII.*

tatem ſeruabant perpetuam, ac tum demum, ſi demortua eſſet aliqua, alia ſublegebatur a pontifice max. (z). Veſtales Albanæ duriori adhuc lege adſcriptæ erant, quæ niſi per quinquaginta annos ſacratæ manſerint, nubere prohibebantur, vti recte Lipſius (a) Halicarnaſſenſem emendat pro πεντaετοῦς legendo πεντηκονταετοῦς (b). Hinc & Liuius de Syluia, quod perpetua virginitate ſpes illi prolis ademta (c). Officium Veſtalium in eo præſertim conſtabat, vt ignem æternum ſeruarent, vti Cicero ex iure pontificio adducit (d): *virgines Veſtales in vrbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum.* Idque mutatis inter ſe vicibus (e), ne extingueretur, curantes. Inter prodigia enim omnium maxima habebant Romani (f), ſi extinctus fuerit ignis Veſtalis, interitus aut imminutionis reip. id ſignum interpretantes, a quacunque tandem cauſſa euenerit; & ſi quando interſtinctus fuerit, virgines verberibus adficiebantur a pontifice maximo: id tamen notante Plutarcho (g), in loco obſcuro & velo medio interpoſito. Ignem autem ſi extinctus, ab alio accendere non licebat: *Mos enim erat*, inquit Feſtus (h), *tabulam felicis materia tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret.* Nouum tamen ignem prima die Martii in Veſtæ aris ſolebant accendere, vt incipiente anno cura denuo ſeruandi nouati ignis inciperet (i). Dein Palladium ſiue dii Ilienſes, Romæ tutelares, in penetralibus templi Ve-

(z) Halic. *c. l.* (a) *de Veſta & Veſtalibus c. VII.* (b) *lib. I p. m. 62.* (c) *I c. III.* Liuius *XXVIII c. XI.* (d) *II de LI c. VIII.* (e) Halic. *lib. II p. m. 128.* (f) Feſtus *voce ignis.* (g) Numa *p. m. 67.* (h) *voce ignis.* (i) *Saturn. I c. XII.*

ſtæ repoſita in eorum erant cuſtodia. Sacra quoque adſiduo faciebant, de quo Seneca (k): *non eſt iniquum* ait, *nobiliſſimas virgines ad ſacra facienda altiſſimo ſomno inquinatas frui.* Sacrificans autem virgo dicebatur armata (l), & ſuffibulo, veſtimento illo Veſtalium, dum ſacra facerent, proprio ornata. Sic & pro diis immortalibus manus eas tendere conſueuiſſe docet Cicero (m). Aquam quoque ſacram, ſeu fontem illum, qui prata, in quibus plurimum cum Egeria conuerſatus fuerat, irrigabat, virginibus Veſtæ attribuit Numa, vt ex eo quotidie haurientes purificarent & adſpergerent ſacram ædem (n). Fontem autem iſtum in Auentino monte fuiſſe Ouidius docet (o). Dignitatem iis & priuilegia maxima Numa tribuit, vt teſtamenta poſſint condere, & alia facere ἄνδ προςάτȣ, lictore & carpento vterentur, nocentes quoque eorum occurſu, ſi fortuitus fuerit, pœna liberentur, qui vero lecticam earum aut ſellam qua vehebantur, ſubibat, morte id luebat (p). Dicit quoque Plutarchus omnia eo modo ac iure facere potuiſſe eas, quo matribus trium liberorum id permiſſum. Hoc tamen non Numa, ſed Auguſtus demum conceſſit, de quo Dio (q): ταῖς ἀειπαρθένοις πάνθ' ὅσαπερ αἱ τεκοῦσαι εἶχον ἐχαρίσατο. *Veſtæ virginibus omnia quæ matres habebant, indulſit.* De lictoribus idem teſtatur Dio Caſſius (r), quod Triumuiri ταῖς ἀεὶ παρθένοις ῥαβδούχῳ ἑνὶ ἑκάστῃ χρῆσθαι ἔδωκαν *Virginibus Veſtæ ſingulis lictore vno vti dederunt.* Rationem addunt hanc; quod quædam ab iis a cœna ſub veſperam

(k) *de prouidentia c. V.* (l) Feſtus *voce armata.* (m) *pro Fonteio circa fin.* (n) Plutarchus *Numa p. m. 68.* (o) *III Faſt. v. 295.* (p) Plutarchus *c. l.* (q) Dio *lib. LV.* (r) Dio *lib. XLVII p. m. 338.*

ram domum reuertens, cum quæ eſſet ignoraretur, vim fuerat paſſa. De quo & Seneca pater (ſ): *procedente hac lictor ſubmouere iubebitur: huic prætor via cedet: ſummum imperium conſules cedent tibi.* Et alibi (t): *tibi magiſtratus ſuos faſces ſubmittunt: tibi conſules prætoresque via cedunt. Numquid exigua mercede virgo es.* Eas quoque in foro & iudicio audiri, quoties teſtimonium dicerent, vetus mos fuit (u). Carpento vtebantur, vti & reliqui ſacerdotes (x) de quo Prudentius (y):

fertur per medias, vt publica pompa, plateas
pilento reſidens molli

Hinc vt legati pro pace mittebantur, vt exemplum in Vitellio apud Tacitum (z). Ad impetrandam veniam in delictis adhibebantur; exemplum in Meſſalina (a). Teſtamenta quoque apud eos deponebantur, teſte Suetonio (b). Honos iis habitus maximus, vt & virgo quædam Veſtalis fratrem iniuſſu populi triumphantem adſcenſo ſimul curru vſque in Capitolium ſit proſecuta, ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum eſſet (c). Alebantur autem ex publico, & prædiis illis coniunctim, ſingulis vero certa pecuniæ ſumma adſignata. Liuius enim ſtatim ac lectæ, a Numa iis ſtipendium publicum fuiſſe adſignatum tradit (d). De agris quidem teſtatur Hyginus (e), dum ait: *virginum quoque Veſtalium & ſacerdotum quidam agri vectigalibus ſunt redditi locatim.* Vti

(ſ) *I contr. II.* (t) *lib. VI controu. vlt.* (u) Tacitus *Ann. II c. XXXIV.* (x) Tacitus *Ann. XII c. XLII.* (y) *II contra Symmach. v. 1087.* (z) Tacitus *Hiſt. III c. LXXXI.* (a) Tacitus *Ann. XI c. XXXII.* (b) *Ceſare c. LXXXIII Auguſto c. CII.* (c) Suetonius *Tiberio c. II.* (d) *I c. XX.* (e) *de limitibus*

& Lipſius (f) ex catalogo coloniarum ſcripto adducit, agrum Lanuuinum pro parte militibus veteranis fuiſſe adſignatum, pro parte fuiſſe Veſtalium. Auguſtus vero vti & aliorum dignitatem & commoda auxit ſic & præcipue Veſtalium virginum (g). A priuatis quoque religionis cauſſa agros ſæpius fuiſſe legatos, videmus ex Symmacho (h), qui agros etiam virginibus & miniſtris deficientium voluntate legatos fiſcum retentare conqueritur. Cui tamen reſpondet Ambroſius (i), ſola ſublata eſſe prædia, quia non religioſe vtebantur iis, quæ religionis iure defenderent. Pecuniam accepere ſingulæ, quod de Tiberio teſtatur Tacitus, (k) Corneliæ virgini, quæ in locum Scantiæ capiebatur eum dediſſe HS vicies. Quod ſi forſan vi morbi atrio Veſtæ cogerentur excedere, matronarum curæ cuſtodiæque mandabantur (l). Locum illis in theatro ſeparatum & contra Prætoris tribunal dedit Auguſtus (m). Ita vt & ipſa Auguſta dein inter eas conſideret (n). Inſignia erant vittæ in capite, ſuffibulum & veſtes purpuratæ ſeu prætexta cum limbo in oris purpureo. De vittis quidem teſtatur Prudentius (o)

ſedet illa verendis
vittarum inſignis phaleris.

Quod & explicat:

cingunt
tempora teniolis & licia crinibus addunt.

Ambroſius (p) iis adſignat infulas vittati capitis, purpuratarum veſtium murices. Quare & Halicarnaſſenſis (q) de iis,

(f) *de Veſta & Veſtalibus cap. XII.* (g) Suetonius *Auguſto c. XXXI.* (h) *X ep. LIV.* (i) *lib. II ep. XII.* (k) *Ann. IV c. XVI.* (l) Plinius *VII ep. XIX.* (m) Suetonius *Auguſto c. XLIV.* (n) Tacitus *Ann. IV cap. XVI.* (o) *II contra Symmachum, v. 1093.* (p) *lib. II ep. XII.* (q) *lib. II p. m. 127.*

ſis, qui ſacerdotio hoc abeunt, dicit, quod deponant *τὰ σέμματα καὶ τὰ λοιπὰ τῆς ἱεροσύνης παράσημα vittas, & quæ alia ſunt ſacerdotii inſignia.* Et de Opimia Veſtali idem Halicarnaſſenſis (r), quod a pontificum collegio damnata, demtis e vertice infulis per forum fuerit traducta & viua defoſſa. Alba vtebantur veſti, ſed cui purpura prætexta, cum limbo purpureo. Halicarnaſſenſis (ſ) Aemyliæ Veſtali *καρπασίνην ἐσθῆτα* tribuit. Ab omni tamen ioco & cultu ſcitiore abſtinere iubebantur (t). Immo interdictus erat cultus luxurioſior & conuerſatio cum viris licentior (u). Longo capillitio fuiſſe & ſparſo eo inceſſiſſe Lipſius (x) contendit ex Prudentio (y):

perfundunt quia colla comis bene, vel quia cingunt
tempora taniolis

Contrariantur tamen nummi, qui vel capite velato, vel capillis in nodum contortis eaſdem repræſentant. Tonſæ quoque ſub ingreſſum ſacerdotii ſine dubio fuere. Feſtus enim capillarem arborem dictam ait, in qua capillum tonſum ſuſpenderint Veſtales. Hinc & Plinius (z): *antiquior eſt lotos, quæ capillata dicitur, quoniam virginum Veſtalium ad eam crinis defertur.* Qui & eas egreſſa vrbe mancipia fugitiua retinere in loco precatione poſſe tradit (a). Probrum virginis Veſtalis Feſto dicitur, vt capite puniretur; vir qui eam inceſtauiſſet verberibus necaretur. Lex hæc fixa in atrio libertatis, cum multis aliis legibus incendio conſumta eſt, vt ait M. Cato. Pœnæ enim illis ob delicti qualitatem infligebantur variæ, idque iuſ-

(r) *lib. VIII p. m. 556.* (ſ) *lib. II p. m. 128.* (t) Liuius *IV c. XLIV.* (u) Seneca *lib. VI c. vlt.* (x) *de Veſta & Veſtalibus c. XII.* (y) *lib. II contra Symm. v. 1104.* (z) *XVI c. XLIV.* (a) *XXVIII c. II.*

ſu Pontificis maximi. Sic flagro cæſa Veſtalis, cuius cuſtodia noctis eius fuerat, ob extinctum ignem Veſtæ (b). Stupri vero compertæ facto a pontificum collegio iudicio, pompa funebri, concomitantibus amicis ac cognatis, cum luctu atq; lacrymis, carpento clauſo, ne vox exaudiri poſſit elatæ ad portam Collinam, in campo exin ſcelerato dicto, viuæ in ſubterraneam cellam emittebantur, terra ſuperiniecta (c). Plutarchus (d) addit lectum ſtratum in hac cella fuiſſe poſitum, & lucernam accenſam, menſam quoq; cum paucis, quæ ad victum eſſent neceſſaria, vt panis, aqua in ampulla, lac, oleum *ὥσπερ ἀφοσιουμένων τὸ μὴ λιμῷ διαφθείρειν σῶμα ταῖς μεγίσταις καθιερωμένων ἁγιστείαις* *quaſi corpus abominentur maximis conſecratum ceremoniis fame conficere.* Totam quoque ciuitatem in luctu & gemitu fuiſſe addit, nec vllam ea die triſtiorem habitam, obuios via decedere, vaſtoque vbique ſilentio, attonitosque omnes ſtare aut comitari. Antequam autem defoderetur, Plutarchus ait, pontificem maximum arcanas quasdam preces, manibus in cœlum ſublatis fudiſſe, tum ipſam ſua manu eductam e lectica in ſcalis conſtituiſſe, & ſic carnifici ac miniſtris ſupplicii tradidiſſe. Inde ſcalas attractas fuiſſe ait & ædiculam multa humo iniecta contectam, donec reliquo aggeri ſolum adæquetur. Dionyſius addit, nec monumento nec parentalibus fuiſſe dignatas. Plutarchus (e) tamen neque hoc quidem modo defunctos ſe religione putaſſe *ἀλλὰ μέχρι νῦν ἐναγίζουσιν οἱ ἱερεῖς ἐκεῖ βαδίζοντες ἐπὶ τὸν τόπον* *ſed hodienum mos obtinet,*

(b) Liuius *XXVIII c. XI.* (c) Halic. *lib. II p. m. 128.* Liuius *VIII c. XV. XXII c. LVII.* Herodianus *lib. IV c. VI.* Plinius *IV ep. XI.* (d) *In Numa p. m. 67.* (e) *quæſt. Rom. XCV.*

tinet, vt ad illum locum ſacerdotes accedentes parentarent ſeu potius ſacra facerent, expiarent. Stupratores autem ſemper virgis ad necem vsque cæſi (f). Numa quidem Pompilius inceſtam lapidibus obrui ſimpliciter ſtatuit ſine alia ſupplicii pompa (g); Albæ vero legem, virginem Veſtalem pollutam virgis ad necem vsque cædi fuiſſe teſtatur Halicarnaſſenſis (h), qui & Tarquinium Priſcum hanc pœnæ ſolennitatem præſcripſiſſe auctor eſt (i). Quare & iure pontificio ſpeciali modo decretum, inceſtum pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto (k). Domitianus inde inceſta virginum Veſtalium varie ac ſeuere coërcuit, priora quidem ſub patre aut fratre commiſſa, capitali ſupplicio; poſteriora ſuo principatu, more veteri. Prioribus mortis permiſit arbitrium; alias vero defodi imperauit; ſtupratores partim relegauit, partim virgis in comitio ad necem cædi iuſſit, narrante ſingula Suetonio (l). Pontificis maximi primum hæc cura infligendæ pœnæ cum collegio fuit, vti ſupra dictum. Symmachus (m) vero ipſe pontifex, ſecundum proximæ ætatis exempla, præfecto vrbi Primigeniæ virginis, quæ ſacra Albana curabat, vindictam a pontificum collegio fuiſſe delatam docet. Abſolutæ quandoque virgines, & innoxiæ fuerunt repertæ (n). Sic & ſingulari miraculo quasdam innoxias fuiſſe repertas atque abſolutas ſcribit Halicarnaſſenſis (o). Prodigii autem loco illud fuiſſe habitum, ſi abſolueretur Veſtalis, diſcimus ex Cicerone. Sic enim Lentulum inducit (p): *fatalem eſſe annum*

(f) Halic. *lib. VIII p. m. 556. lib. IX p. m. 597.* Liuius *XXII c. LVII.* (g) Cedrenus *hiſt. lib.* (h) *lib. II p. m. 64.* (i) *lib. III p. 200.* (k) *II de LI c. IX.* (l) *Domitiano c. VIII.* (m) *lib. IX ep. CXXII.* (n) Liuius *IV c. XLIV* (o) *lib. II p. m. 129.* (p) *Catil. III c. IV.*

annum ad interitum orbis atque imperii, qui eſſet decimus annus poſt virginum abſolutionem, poſt Capitolii autem incenſionem vigeſimus, quam Fabiam fuiſſe Veſtalem putat Aſconius (q) Durauit hoc ſacerdotium vsque ad tempora Theodoſii ſenioris, quibus abolitum (r). De quo conqueritur quidem Symmachus (ſ), in epiſtola ad Valentinianum, Theodoſium & Arcadium ſcripta, reſpondet autem Ambroſius (t).

SOLIS SACERDOS

Solis ſacerdos varias habebat adpellationes. Adpellabatur enim SACERDOS D. S. I. M. *ſacerdos dei ſolis inuicti mithra* (u) vel PATER PATRVM DEI SOLIS INVICTI MITHRAE (x) vel PATER PATRATVS D. S. I. M (y), pater ſacrorum dei inuictæ mithræ (z), vel pater & hieroceryx dei ſolis inuictæ mithræ (a). Primus horum & præcipuus ſacerdos dicebatur pontifex dei ſolis (b). Moris autem erat hoſce ad Mithræ myſteria ſolenni more initiare. Ad quos ſine dubio conſecratio iſta, de qua ſupra dictum, ſpectabat. Vti & Nonius Victor ſecundum annos conſecrationis ſuæ numerat in lapide (c). Fiebat hæc conſecratio in Spelæo, quod Iuſtinus Martyr (d), docet, dum ait: *σπήλαιον καλοῦσι τὸν τόπον ἔνθα μυεῖν τοὺς πειθομένους αὐτῷ παραδιδοῦσιν, ſpeleum nominant eum locum, vbi initiari ei credentes perbibent*. *Varia* vero ſacra & portentoſa ſimulacra in iſto ſpelæo erant,

(q) *p. m. 151.* (r) Zoſimus *V c. XXXV.* (ſ) *X ep. LIV.* (t) *lib. II ep. XII.* (u) Gruterus *p. CCCXIII n. 4.* (x) *p. XXVIII n. 2. p. LXXXIX n. 4.* (y) *p. XXXIV n. 9.* (z) *p. XXVIII n. 1. p. CII n. 2.* (a) *p. XXVII n. 4.* (b) *p. CCCXIII n. 3.* (c) Gruterus *p. CCCIII n. 12.* (d) *dial. cum Tryph. Iud. p. m. 296.* Tertullianus *de corona militis c. XV*

erant. Lapis enim priſcus Romanus memorat ſacra Patrica, Hierocoracica & criphios (e). Alius addit Perſica, Eliaca, & Leontica (f). De iis Hieronymus (g): *ante pauios annos propinquus veſter Gracchus cum præfecturam gereret vrbanam, ſpecum Mithra & omnia portentoſa ſimulacra, quibus Corax, Cryphios, Miles, Leo, Perſes, Helios, Bromios pater initiantur, ſubuertit, fregit, exuſſit.* Diuerſa itaque ſacra erant, ſoli tamen propria, ſub diuerſis æque figuris propoſita, quæ pro more ſacrorum Iſidis erant hieroglyhicæ.

BACCHAE ET ORGIOPHANTAE

Bacchi in domandis Indis fuere comites Bacchæ, ſacerdotes dein eius: dictæ quoque in fabulis Mænades, Thyades, Mimallonides. Harum figuram ſic deſcribit Ouidius (h):

vite caput tegitur, lateri ceruina ſiniſtro
vellera dependent, humero leuis incubat haſta.

In lapide priſco talis ſacerdos dicitur famula Bacchi cymbalis (i). Ab orgiis quoque in Bacchi ſacris ſolennibus ſacerdotes eius dicti orgiophantæ (k), & horum princeps archibucolus dei Liberi (l). Atque hæ tanquam inſanientes Bacchæ caput fanatico more iactantes conſpiciuntur in monumentis (m).

SACERDOTES MATRIS DEVM

A Gallo Phrygiæ fluuio dicebantur Galli, ſecundum Feſtum: caſtrati autem erant in memoriam Attidis, quorum mores imitatus eſt Heliogabalus (n). Iactauit enim caput inter præciſos fanaticos & genitalia ſibi deuinxit atque omnia fecit, quæ Galli facere ſolent. Omnia itaque agebant fanaticorum more, dum horum eſſet caput iactare (o). Capillati quoque erant, hinc inſcriptio antiqua (p): CAPILLATVS

 A MA-

(e) Gruterus *c. l.* (f) *p. MLXXXVII n. 4. 5.* (g) *ep. ad Latum de inſtit. fil.* (h) *VI Metam. v. 593.* (i) *pag. CCCXVIII n. 2.* (k) *p. LXVI n. 9.* (l) *p. XXVII n. 4.* (m) Tacitus *XI Ann. c. XXXI.* Spon. *miſc. erud. ant. ſ. II art. V.* (n) Lampridius *Heliog. c. VII.* (o) Vlpianus *l. I §. 9. de ædil. edicto.* (p) Gruterus *p. CCCVIII n. 5.*

A MATRE MAGNA. In qua & ſacerdos eius dicitur, Syntrophus religioſus. Præſes horum dicitur archigallus (q), vel quia legitimo more initiatus, TAVROBOLINVS M. D. M. ID *matris deûm magnæ Idææ* (r). Et qui a miniſterio, ædituus matris deûm (ſ).

POTITII ET PINARII

Hoſce Euandrum & Arcades Herculi inſtituiſſe docet Halicarnaſſenſis (t), adſignato hoc ſacerdotio duabus familiis illuſtribus, quæ ſacrorum cærimonias prius edoctæ erant. Potitiis tamen ſolis extorum dape veſcentibus, quod tardius aduenerant Pinarii. Nomen autem Potitium in duodecim familias diſtinctum, ita vt anno quodam ſuper triginta puberes fuiſſe dicat Valerius Maximus (u). Cum vero Potitii ſeruos publicos ſolennia huius ſacri docerent, idque Appio Claudio cenſore auctore, omnes intra annum cum ſtirpe extincti (x), ſeruorumque factum miniſterium, quos de publico emtos fuiſſe docet Halicarnaſſenſis (y).

LVPERCI

Sacerdotum erant antiquiſſimi, ab Euandro inſtituti atque Pani ſacri (z). Horum duo erant ordines, cum a præpoſitis ſuis alii dicerentur Fabiani, alii Quintiliani ſecundum Feſtum (a): addidit Iulius Cæſar Iulianos (b). Priores binos ordines memorat Ouidius (c), dum de Romulo canit:

riſit, & indoluit Fabios potuiſſe Remumque
vincere, Quintilios non potuiſſe ſuos.

Luperci ex eo fuere dicti, quod Lupercalibus in lupercali ſacra facerent (d). Hæc ſacra vsque ad Anaſtaſii Imp. tempora perduraſſe ſcribit Panuinius.

COL-

(q) *n. 7.* (r) *p. XXVIII n. 6.* (ſ) *p. CCCVIII n. 6.* (t) *lib. I p. m. 32.* (u) *lib. I c. I n. 17.* (x) Liuius *IX c. XXIX.* (y) *c. l.* (z) Liuius *I c. V. Halic. I p. m. 67.* (a) *voce Fabiani.* (b) Suetonius *Iulio c. LXXVI.* Dio *lib. XLIV ab initio.* (c) *II Faſt. v. 377.* (d) Varro *V de L.L. p. m. 16.*

COLLEGIVM FECIALIVM

Sacer hic magiſtratus a Numa inſtitutus, lectique ad illum viri ex præſtantiſſimis familiis ad vitæ tempus (e). Officium eorum, quod ibi prolixe deſcribit Dionyſius, breuiter ex iure pontificio explicat Cicero (f): *fœderum*, inquit, *pacis, belli, induciarum oratores, feciales, iudices ſunto, bella diſceptanto.* Hinc antequam indiceretur bellum aliquod, Conſules ex SCto ad illud Collegium referebant, vt vel de iuſtitia, vel de indictione belli iudicarent (g). Nec etiam ſine fecialibus fœdus fieri poterat (h). Quare & ad fœdus feriendum ire iubebantur (i). Sub Imperatoribus ludis quoque præſidebant. Præſes eorum dicebatur PATER PATRATVS, cuius in adpellationis cauſſas inquirit Plutarchus (k), ſed proximam tangit Liuius (l), dum ait: *pater patratus ad iusiurandum patrandum id eſt ſanciendum fit.* Alius dicebatur VERBENARIVS, qui verbenas ex arce, ſeu gramen cum ſua terra euulſum ſecum ſumebat, cum legati ad hoſtes clarigatum, id eſt ad res raptas clare repetitum mitterentur (m).

DVVMVIRI ET TRIVMVIRI SACRI

Dum ædes aliqua facta vota erat, IIuiri ſæpe qui locarent & dedicarent, Comitiis tributis lege Papiria creabantur. Et quidem factum, cum magiſtratus iſte qui vouerat, non amplius ſupereſſet. Exemplum in æde Iouis adducit Liuius, quam L. Furius Purpureo prætor vouerat, dedicauit Q. Marcius Ralla duumuir (n). Quare & ſæpius filii vouentium duumuiri creati. Sic Caſtoris ædem a Poſthumio dictatore votam filius eius duumuir ad id ipſum creatus, dedicauit (o). Pietatis ædem a patre votam, locatamque, poſt mortem eius dedicauit Manius Acilius Glabrio duumuir (p). Sic & Triumuiros

(e) Halic. *lib. II p. m. 131.* (f) *II de LI c. IX.* (g) Liuius *XXXV c. III.* (h) Liuius *IX c. V.* (i) Liuius *XXX cap. XLIII.* (k) *quaeſt. Rom. LXI.* (l) *I c. XXXII.* (m) Liuius *XXX c. XLIII.* Plinius *XXII c. II.* (n) Liuius *XXXV. c. XLI.* (o) Liuius *II c. XLII.* (p) Liuius *XL c. XXXIV.*

uiros ſacris conquirendis, donisque perſignandis, reficiendis item ædibus creatos fuiſſe ſcribit Liuius (q).

SACERDOTES RELIQVI.

Inter ſacerdotes occurrunt quoque *antiſtites*, *patres* & *magiſtri*. Primarii quidem in prouinciis iſti ſacerdotes, qui ſummam ſacrorum & præcipuam curam gererent, antiſtites dicebantur. Quare & Ceionius Rufus in lapide priſco pater ſacrorum, antiſtes mithræ Babyloniæ, & dux myſticus magni ſacri taurobolii dicitur (r). Sæpius tamen antiſtites iidem ac ſacerdotes vti Cereris ſacerdotes atq; illius fani antiſtites iungit Cicero (ſ): *Pater* vero *ſacrorum* dicebatur de ſacris dei mithræ. *Magiſtri* eadem ratione ſe habebant ac antiſtites, modo enim prærogatiuam inter ſacerdotes ſui ordinis notabat, modo non. Sic magiſter dicebatur collegii fratrum Arualium (t): ordinis ſacerdotum dei ſolis inuicti mithræ (u). Saliorum (x), vbi ſemper ſummum notat præſidem collegii. Magiſter Egeriæ vero (y), Feroniæ (z), Auguſtalis (a) fani Dianæ (b) nihil aliud quam ſacerdotem notabat. Ipſum autem ſacerdotium dicebatur honos ſacerdotii, qui in coloniis maximus, (c) atque ipſi ſacerdotes dicebantur honorati (d) vel ornati (e). Sacerdotia quoque in coloniis & municipiis in varia collegia erant diuiſa, vti occurrit collegium Aeſculapii & Hygieæ (f), Serapidis & Iſidis (g). Alii erant ſacerdotes, quorum mentionem factam videmus in priſcis lapidibus. Ita ſacerdotis Veneris mentionem facit lapis priſcus (h). Singulare ſacerdotum genus erat, qui dicebantur *cultores*, ab honore & reuerentia, quam diis exhibebant ſic dicti: vti cultor dicebatur Iouis præſtitis (i) triplicis Dianæ (k) domus

(q) *XXV cap. VII.* (r) Gruterus *XXVIII n. 6.* (ſ) *VI in Verr. c. XLV.* (t) Gruterus *p. CXVIII.* (u) *p. CCCXIII n. 3.* (x) *p. CCCCLXXXIX p. CCCCXI n. 10.* (y) *pag. CCCLIV n. 1.* (z) *p. XXV n. 12.* (a) *p. CXLIX n. 5.* (b) *p. CCCXV n. 1.* (c) *p. CI n. 8. p. CCXLVIII n. 9. pag. CCCXXI n. 10.* (d) *p. CCCLVII n. 3. p. CCCLXVII n. 1.* (e) *p. CCCCIV n. 5.* (f) Spon. *ſect. II art. XI* (g) *Spon. p. 68* (h) Gruterus *p. CCCXVIII n. 3.* (i) *p. XXII n. 1.* (k) *p. XXVIII n. 6.*

domus Auguſtæ (l), Herculis (m), & aliorum. Quod autem cultor ſacerdotem notet, diſcimus ex lapide (n):

PRAESTITI IOVI
S.
TRIB. COH. X. PRAETOR
CVLTOR. NVMINIS. IPSIVS.

Sancto Sanco deo Fidio decuria ſacerdotum bidentalium attribuitur (o). Erant etiam ſacerdotes dicti *decuriones*, qui vt ſacra priuata agerent, conſtituti fuiſſe videntur: & quia plures Romanorum familiæ tales haberent, in decurias lecti, indeque ſic adpellati. Comprobat id lapis Romanus (p): ANCHIALVS. CVB. AED. Q. TER. IN. AEDE. DECVRIO. ADLECTVS. EX. CONSENSV DECVRIONVM. FAMILIA VOLVNTATE. Anchialus hic cubicularis æditus in æde Q. Terentii ex decurionum reliquorum conſenſu & familiæ ac gentis Terentiæ voluntate, in eundem decurionum ordinem adlectus dicitur. Sic & Panclis cubicularis æditus in ſua æde decurio lectus dicitur, atque in eius ſepulturam æs a familia collatum (q). Ita & Hymnus Voluſianus decurio Larum Voluſianorum dicitur (r). Larum ergo ſacerdotes erant, alias larum magiſtri dicti, vt L. Iunius Maurus larum Auguſtalium magiſter dicitur (ſ). Et cum lares interiores, cubiculares dicerentur imagines (t), qui horum ſacris præerat, decurio dictus cubicularium (u). Pueros quoque adhibebant, qui curæ larium cubiculi adſiſterent (x), alias & larum miniſtri dicti (y). Inde Auguſtales & magiſtri deorum in decurias ſcripti, vti M. Lælius vtriſque decuriis princeps dicitur (z). Sacerdotes Iſidis, matris deûm, & ſimilium ſacrorum dicebantur *fanatici*. Vti L. Cornelius Ianuarius fanaticus AB ISIS. SERAPIS. AB AEDEM BELLONE dicitur in lapide (a). Alias fana-

LIII 3

(l) *p. CCXLVI n. 9.* (m) *p. XLVI n. 11.* (n) *p. XXII n. 1.* (o) *p. XCVI n. 6.* (p) *p. CCCXLII n. 3.* (q) *CCCCXLVII n. 7.* (r) *p. CCCXIX n. 9.* (ſ) *pag. MLXXXVIII n. 8.* (t) Suetonius *Aug. c. VII.* (u) *Domitiano c. XVII.* (x) *c. l.* (y) *p. MLXXXVIII n. 14.* (z) *p. MXVII n. 5.* (a) Gruterus *p. CCCXII n. 7.*

fanaticus ex vico Bellonæ, vel de æde Bellonæ dicitur (b). Dicebantur autem ideo, quia ſacra ſua more fanatico peragebant. Quod optime explicat Lampridius (c), vbi de Commodo ait: *ſacra Iſidis coluit, vt & caput raderet & Anubin portaret. Bellonæ ſeruientes vero exſecare brachium præcepit ſtudio crudelitatis. Iſiacos vero pineis vſque ad pernicieni pectus tundere cogebat. cum Anubin portaret, capita Iſiacorum grauiter obtundebat ore ſimulacri.* Hecates ſacerdotes dicebantur hieroſantæ (d). In alio lapide Hieroſantria quoque deæ Hecatæ dicitur (e). In coloniis atque municipiis habebant ſuos ſacrorum præfectos, qui ipſis cuiuslibet vrbis ſacris propriis præfuere (f). Qui ſacris Vulcani præerat, dicebatur prætor ſacris Vulcani (g).

MINISTRI SACERDOTVM.

Sed & ſacerdotibus ſui miniſtri erant: *Camillos* igitur Romulus inſtituit patrimos atque matrimos, ſacerdotum quidem liberos, qui tamen ſi hisce carerent, ex aliis familiis puerum atque puellam legere poterant, teſte Halicarnaſſenſi (h). Flaminibus autem miniſtrantes dicebantur Flaminii. Sequitur *æditu*us, qui ſacras curabat ædes (i). Qui ſecundum templa, quæ cuſtodiebant, diſtincti; vt alius eſſet æditus a Veſta (k) ab Concordia, (l), æditus Martis (m), templi fortunæ (n), ſanctæ Veneris (o). Scæuolæ Icto dicuntur hierophylaces (p), habebantque cellulas ſuas prope templa (q). *Præciæ* & *præclamitatores* dicebantur, illi quidem qui flamines in genere; hi qui flaminem dialem diebus feſtis antecederent, exclamantes vt homines abſtineant opere, ſecundum Feſtum. *Curatores* qui in lapidibus occurrunt putamus eos, qui curarent quæ ad ſacra erant neceſſaria. Sic occurrit Curator ſacrorum publicorum popu-

(b) *p. DCLIV n. 7. p. CCCXIII n. 1.* (c) *in vita c. IX.* (d) *p. MCII n. 2. p. XXVII n. 4. p. XXVIII n. 2.* (e) *p. CCCIX n. 2.* (f) *p. CCCCXL n. 3. p. CCCCXCIV n. 1.* (g) *p. CCCXVIII n. 6. p. CCCXCVII n. 7.* (h) *lib. II p. m. 92.* (i) Varro *lib. VI de L. L. p. m. 68.* Gellius *XII c. X.* (k) Gruterus *p. CCCXII n. 4.* (l) *CCCXIX n. 6. 8.* (m) *p. MLXXXVIII n. 7.* (n) *p. CCCXIX n. 1.* (o) *p. CII n. 1.* (p) *l. XX § 1. de annuis legatis.* (q) Minutius Felix *c. XXV.*

populi Romani (r). Curator fani (ſ), Curator templi Mineruæ (t). Cum curatores alias dicerentur Romanis, qui rei alicuius curam habebant, vt Curator Capitolii reſtituendi (u), Curatores viarum, annonæ. *Kalatorum* frequentius mentionem faciunt lapides vt Kalator flaminum (x); fratrum Arualium (y): VIIuirûm Epulonum (z): Serui autem erant ſacerdotum, qui illis a miniſterio eſſent, dicti ἀπὸ τοῦ καλεῖν quia ſemper vocari poſſent ob neceſſitatem ſeruitutis. Sic & habebant pontifices ſuos apparitores (a), & lictores a ſacris publicis dictos (b). Sacris etiam publicis præſto erant *Tibicines* Romani, vti loquitur inſcriptio apud Gruterum (c). Tibicinum collegium dictum, quorum primus, Procurator dictus Tibicinum Romanorum (d). Horum officium erat, vt ſacris præcinerent (e): diſtincti ab iis, qui in ludis, nuptiis, vel funeribus præſto erant. Antiquitus illis ius veſcendi in æde Iouis conceſſum, (f) quod cum prohiberetur, vno agmine Tibur ceſſerunt, reductis tamen iis vetus ius reſtitutum. Diſtinctæ autem erant tibiæ, atque tubæ, vti clare videmus in Lampridii Seuero (g), ita quidem vt, illæ eſſent minores ex buxo factæ, quibus in ſacris vtebantur ſecundum Plinium (h), oblongæ, teretes & foraminoſæ, quales adhuc noſtræ, illæ vero incuruæ, ex ære argentoue factæ, quibus & in conuocandis militibus vtebantur. Hinc tubicen ſacrorum Varroni (i): His proximum erat *fidicinum* collegium. Sequioris ſexus miniſterium competebat *Ambubaiarum* collegio, quod ſic dicitur Horatio (k), atque hæ duplici quæſtu ſuſtentabant corpus, vt vel corporis vulgo copiam facerent atque organa pulſare noſſent (l). Licet & tibicinæ dictæ, vti harum mentionem facit Martialis (m). Viros quidem fuiſſe contendunt, ex eo maxime, quod

(r) Gruterus *p. MXI n. 12* (ſ) *p. CCCCXXIV n. 8.* (t) *p CCCXCIII n. 7.* (u) Gellius *II c. XI.* (x) *p. CCCV n. 3. p. CXXI n. 1.* (y) *p. CCCVII n. 6.* (z) *p CCCIV n. 9.* (a) Gruterus *p. MLXXVII n. 6.* (b) *p. CCCLVI n. 5.* (c) Gruterus *p. CCLXIX n. 2.* (d) Valerius Maximus *II c. V.* Gruterus *p. CLXXV n. 10.* (e) Liuius *IX c. XXX.* (f) Liuius *c. l.* (g) *c. XXVII.* (h) *XVI c. XXXVI.* (i) *lib. IV de L. L. p. m. 30.* (k) *ſat. II ab initio.* (l) Caſaubonus *ad Suet. Ner. c. XXVII.* (m) *XIV epigr. LIX.*

quod fœminarum non dentur collegia; nec ſibi obſtare putant verba Suetonii, qui Neronem inter ſcortorum totius vrbis ambubaiarumque miniſteria cœnitaſſe ſcribit (n), cum & eidem ſcorta dicantur pueri meritorii (o). Horatius tamen Ambubaias mortem Tigelli cuiusdam viri libidinoſi lugentes inducit, & per totam alias ſatyram adulterinam impudicitiam inſectatur, quæ maxime noſtris conuenit. Concordat etiam cum loco Suetonii Macrobius (p): *Fidicinas* ait, *pſaltrias, crotaliſtrias, citharœdas, Tympaniſtrias, vt inter miniſteria delectationis ergo ita & commeſſationibus, ſiue ſympoſiis adhibitas, atque inter luxuriæ & laſciuiæ inſtrumenta fuiſſe ex multis notiſſimum eſt.* Tales dein ſub nomine fidicinarum e rep. Chriſtiana penitus ſublatæ per Theodoſium M. (q).

MINISTRI SACRIFICIORVM

Poparum officium erat, vt victimas lectas, ſuccincto habitu, limo tantum pudenda tecti (r), ad aras ducerent, eas quoque dein malleo percuterent (ſ). Alii erant *cultrarii*, qui percuſſæ & cadenti victimæ cultrum ſupponerent, de quibus Suetonius (t) *admota*, ait, *altaribus victima, ſuccinctus poparum habitu, elato alte malleo cultrarium mactauit.* *Victimarii* aquam & molam ignemque in aris parabant. De his Liuius (u), libri in comitio igne a victimariis facto, in conſpectu populi cremati ſunt.

Atque ſic cum ſacrorum miniſteriis omnem concludimus Romanorum idololatriam; ſubmiſſa mente precati DEVM ter OPTIMVM terque MAXIMVM, velit nos, quos tam fuſca mentium caligine liberauit, plenitudine gratiæ implere, quo renuntiantes prauis iſtis adfectibus & malorum cupiditatibus, quibus abripi ſe patitur mundus, in Chriſto viuamus, eundem ſequamur, eiusdemque exemplum imitemur. Hæc vita eſt chriſtiana: Benedictus ſit DEVS in æternum!

(n) *c. XXVII.* (o) Vitellio *c. III.* (p) *II Saturn. c. X.* (q) *L. X C. Theod. de ſcenicis.* (r) Virgilius *XII Aen. v. 120.* (ſ) Spartianus *Geta c. IV.* (t) *Caligula cap. XXXII.* Virgilius *VI Aen. v. 28.* (u) Liuius *XL c. XXIX.*

FINIS.

INDEX

Scriptorum, qui in hoc Syntagmate recenſentur.

A

Petrus Aerodius. *pag.* 24
Alardus. 36
Albericus. 50.
Hieron. Aleander. 42. 61
Alexander ab Alexandro. 13
L. Cincius Alimentatus. 329.
Leo Allatius. 190
Theod. Ianſen. ab Almelouen. 22
Barthol. Amantius. 30
Franc. ab Amaya. 25
Liberius de Sto Amore. 20
Cyriacus Anconitanus. 40.
Io. Annius. 11
Anonymus. 57
Labeo Antiſtius. 189
Petrus Apianus. 30.
Apollodorus. 47
Arnobius. 53
Auguſtinus. 54
Antonius Auguſtinus. 35.
Leonardus Auguſtinus. 34
Iulianus Aurelius Haurechius. 57.

B

Benedictus Bacchinus. 62
Iulius Barbaranus. 12.
Petrus Angelus Bargæus. 42
Lambertus Barlæus. 48
Caſpar Barthius. 14
Thomas Bartholinus. 27
Petrus de Sto Bartolo. 41
Balthaſar Bebel. 58
Henricus Bebelius. 554
Laurentius Begerus. 34. 35
Io. Petrus Bellorius. 41. 59
Io. Bapt. Bellus. 257. 332.
Thomas Belus. 3
Petrus Berthaldus. 499.
Io. Beueronicius. 27
Dauid Blondellus. 258
Io. Bocaccius. 50
Sam. Bochartus. 21
Seuerinus Boëthius. 29
L. Chriſtoph. Boëticus. 40
Zacharias Bogan. 20
Ianus Iacobus Boiſſardus. 30. 256
Io. Bompartius. 20.
Ant. Borremanſius. 13
Olaus Borrichius. 28
Io. Andreas Boſe. 555
Cæſar Egoſſe de Boulay. 7
Marcus Zuerius Boxhorn. 11
Barnabas Briſſonius. 22. 23. 45
Sebaſtian Brœlmann. 39.
Chriſtoph. Browerus. 39
Io. Broyerinus. 28

Mmmm Aegi-

INDEX SCRIPTORVM.

Aegidius Bucherius. 331
Iulius Cæſar Bulengerus. 53. 257
Antonius Bulifonius. 43
Barthol. Burchelatius. 38

C

Iulius Cæſar. 189
L. Cæſar. 189
Petrus Ioſephus Cantelius. 4
Iulius Cæſar Capacius. 38
Atteius Capito. 189. 455
Iulius Capitolinus. 11
Philippus Caroli. 4.
Io. Bapt. Caſalius. 5. 6
Ioſ. Caſtalio. 42. 43. 499
Io. Ant. Caſtillionius. 38.
Catherinotus. 36
Portius Cato. 10. 59
Mich. Angelus Cauſſeus de la Chauſſe. 37. 56
Chriſtoph Cellarius. 26. 131
Cornelius Celſus, 27
Cenſorinus. 61
Ludou. Chadrucus. 34
Vincentius Chartarius. 55
Eduardus Herbertus de Cherbury. 19. 58
Io. Chiffletius. 42
Valerius Chimentellus. 42
Guilielmus Choulius. 8. 35. 56. 455. 554
Manilius Chreſtus. 48
Iacobus Chriſtmannus. 331
Alphonſus Ciacconius. 41.
Petrus Ciacconius. 41. 318
Cicero. 51. 553
Dan. Claſen. 259.
Cloatius. 189
Chriſtoph Coler. 26
Natalis Comes. 50
Cornutus. 49
Io. Craſſettus. 258
Iacobus Cuiacius. 23
Gisbertus Cuperus. 13. 43. 62
Cyprianus. 54

D

Antonius van Dalen. 260.
Petrus Danetius. 7
Thomas Dempſterus. 5. 330
Petrus Diaconus. 44
Io. Conrad Dietericus. 22
Io. Mich. Dilherr. 12
Dionyſius Halicarnaſſenſis. 10
Petrus Diuæus. 36
Alexander Donatus. 498
Io. Doughteius. 20
Benno Durckhundurckus. 190

E

Io. Henricus Eggeling. 60.
Henricus Ernſtius. 190.
Euhemerus. 48
Eunapius. 29.
Euſebius. 54.

F

Petrus Faber. 23
Raphael Fabrettus. 33. 41
Io. Fabricius. 58

Octa-

Octauius Falconerius. 33. 42
Felibianus. 35.
Minutius Felix. 52
Ioach. Fellerus. 60
Feneſtella 189 254. 554
Octau. Ferrarius. 12
Io. Bapt. Ferrettus. 32
Sextus Pomp. Feſtus. 10
P. Nigidius Figulus. 455.
Emundus Figrelius. 499
Iulius Firmicus Maternus. 52
Verrius Flaccus. 379
Guil. Fleetwood. 32
Andreas Dominicus Floccus. 553.
Thomas Fœdrus. 190
Guil. Fornerius. 24
Carolus du Freſne. 233.
Fabius Planciades Fulgentius. 50.
Ferdinand Fürſtenberg. 40

G

Seruatius Gallæus. 259
Vulcatius Gallicanus. 11
Ioſephus Malateſta Garuffius. 33.
Petrus Gaſſendus. 330
Paganinus Gaudentius. 190.
Leon. Gaultruche. 56.
Gellius. 10
Rutilius Geminus. 189
Scipio Gentilis. 26
Caſpar Geuartius. 12.
Thomas Godwynus. 3
Hubertus Goltzius. 44
Abrahamus Gorlæus. 34
Iacobus Gothofredus. 24. 555
Io. Georg. Græuius. 15
Io. Bapt. Grammaye. 38
Io. Iac. Graſſerus. 36
Iacobus Gronouius. 43
Hugo Grotius. 21. 25
Ianus Gruterus. 30. 31
Georg Gualterus. 38
Marquard Gude. 32
Iacobus Gutherius 189
Lilius Gregorius Gyraldus. 55. 333. 380.

H.

Martinus Hanckius. 2
Io. Bapt. Hanſenius. 314
Dan. Heinſius. 21
Heraclides. 49
Deſiderius Heraldus. 23
Octauius Herſennius. 553
Io. Fridericus Herwartus ab Hohenburg. 62. 331
Heſiodus. 46
Frid. Hildebrand. 5.
Hippocrates. 28
Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores. 11
Lucas Holſtenius. 41. 59
Rudolphus Hoſpinianus. 380
Franc. Hottomannus. 189
Hyginus. 50
Hyllus. 48

I

Curtius Inghiramius. 190
Iſidorus. 10

Hadrianus Iunius. 331

K.

Kalendarium Romanum. 318
Robertus Keuchenius 24
Henricus Kipping 4
Athanaſius Kircherus. 43
Northon Knachbul. 20

L.

Philippus Labbeus. 2
Cornelius Labeo. 48. 253. 329.
Lactantius. 53
Diogenes Laërtius. 29.
Pomponius Lætus. 554
Io Lalamantius. 331
Petrus Lambecius. 335
Aelius Lampridius. 11
Wilhelm Lange. 332
Scribonius Largus. 27
Wolfgangus Latzius. 7. 40. 554
Ioſephus Laurentii. 6
Libanius. 50
Fortunius Licetus. 499.
C Licinianus. 329
Geofredus Linocerius. 50
Iuſtus Lipſius. 8. 12. 60
Liuius. 9
Eilhardus Lubinus. 58.
Lucianus. 49.
Proclus Lycius. 61

M.

Bæbius Macer. 329
A. Theodoſius Macrobius. 32
Magno. 44
Carolus Cæſar Maluaſia. 37
Proſper Mandoſius. 34
Caſpar Mantzius. 26
Paulus Manutius. 7
Aldus Manutius. 12. 44
Marciana carmina. 255
Io. Marckius. 258
Iacobus Mazochius. 30
Scipio Mazzellus. 37
Io. Henr. Meibomius. 28
Aegidius Menagius. 24
Claudius Menetrius. 59
Paul Merula. 380. 455. 554
Io. Meurſius. 380
Iulius Modeſtus. 379.
Georg Mœbius. 259
Ambroſius Moralis. 42
Petrus Moreſtellus. 332. 380
Antonius Mornacius. 24
Mythologi 49

N.

Famianus Nardinus. 498
Io Neander. 27.
Claudius Nicaſius. 43
Io. Nicolai 381
Nigidius 48
Alexander de Nigris. 41
Auguſtinus Niphus. 256
Niſus 329
Fuluius Nobilior. 329
Ludouicus Nonnius. 27
Henricus Noriſius. 233
Aloyſius Nouarinus. 22. 210.

O.

Vlricus Obrechtus. 61
Iulius Obſequens. 255
Io. Obſopœus. 257
Adolphus Occo. 35
Abraham Ortelius. 58
Ouidius 329
Guilielmus Outram. 455

P.

Iacobus Pacidius. 555
Antonius Pagus. 23
Palæphatus. 47
Guido Pancirollus. 27
Onuphrius Panuinius. 37. 257. 554
Dionyſius Petauius. 330. 332
Samuel Petitus. 312
Caſpar Peucer. 256
Conradus Peutingerus. 39
Phurnutus. 49
Fabius Pictor. 10. 189. 553
Georg Pictorius. 58
Io. Pierius 37. 256
Laurentius Pignorius. 25. 61
Petrus Pithœus. 13
Lactantius Placidus. 15
Plinius. 10. 26
Plutarchus. 11. 62
Io. Poldus. 36
Trebellius Pollio. 11
Franc Pomey. 56
Guil. Poſtellus. 190
Io. Pretrenius 44
Io. Pricæus. 20
Humphridus Prideaux. 38. 45
Valerius Probus. 44
Proſper. 190
Appius Pulcher. 252
Erycius Puteanus. 214. 332
Burcardus Pylades. 46

R.

Iacobus Ræuardus. 25
Caſpar a Reies. 28
Thomas Reineſius. 31. 45
L. Andreas Reſendius. 35. 41
L. Cœlius Rhodiginus. 14
Io. Rhodius. 27
Io. Richardus. 36
Martinus de Roa. 19
Gaudentius Robertus. 19
Franciſcus Robortellus. 6.
Roſinus. 5. 330. 380. 554
Albertus Rubenius. 43
Philippus Rubenius. 12
Octauius Rubeus. 37.
Io. Ludouicus Ruellus. 380
Iuſtus Ryckius. 499

S.

Maſurius Sabinus. 329
Salluſtius 49
Claud. Salmaſius. 26
Petrus Sanctifleurius. 4.
Torellus Saraina. 37. 44
Io. Saubertus. 455
Ioſ. Scaliger. 331
Andreas Schottus. 5. 58
Henr. Schæuius. 58
Eraſmus Schmid, 258

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORVM.

Conrad Samuel Schurtzfleiſch. 40
Mich. Scrinius. 40
Io. Seldenus. 38
Fabius Maximus Seruilianus. 189
Seruius. 14
Petrus Seruius. 13
Sibyllini. 251. 253
Sibr. Tetardus Siccama. 330. 380
Diodorus Siculus. 47
Gabr. Simon. 36
Iacobus Sirmondus. 42
Io. Smetius 39
Martinus Smetius. 30
Ezech. Spanhem. 60
Aelius Spartianus. 11
Iacobus Sponius. 31. 32. 36. 62
Aelius Stilo. 553
Ioh. Guil. Stuckius. 455
Franc. Svvertius. 38

T.

Petrus Taffinus. 332
Io. Talentonius. 28
Terrinus. 43
Tertullianus. 54
Emundus Thomas. 36
Iacobus Philippus Thomaſinus 33. 233. 499
Io. Thuilius. 3
Ant. Thyſius. 3
Timotheus 61
Titus 379
Iacobus Tollius 28
Læuinus Torrentius. 15
Trebatius. 189
Steph. Trelierius. 314
Stephanus Turrinus. 40
Bernardinus Trinagius. 38
Adrianus Turnebus. 45.

V.

Flaminius Vacca. 34
Anaſtaſius à Valle Quietis. 3
M. Varro. 10. 51. 188
Marquardus Velſerus. 39
Georg. Hieron. Velſchius. 8
Veranius. 252
Veratius. 380
Franciſcus Villierius 189
Petrus Viola. 331
Elias Vinetus. 36
Raphael Volaterranus. 554
Flauius Vopiſcus. 11
Ger. Io. Voſſius. 57
Iſ. Voſſius. 258
Sertorius Vrſatus. 33. 37. 44
Io. Nic. Werner. 13
Georg. Wheler. 32
Georg Wonna. 61

Z.

Stephanus Zamoſius. 40.

INDEX

INDEX RERVM,

Quæ in hoc Syntagmate de ritibus ſacris continentur.

** Notandum, quod per typographi errorem, paginarum numeri a 89 ad 96 bis fuerint poſiti: cum ergo index ad intermedias paginas remiſerit, vtraque erunt euoluenda.*

A.

A*Bellio* quis deus. 116

Abeona quæ dea. 159

Abiurare quid. 316

Abſynthium victores bibebant. 445

Abundantia diuinitus culta. 141

Acca Laurentia quæ dea 179 feſtum eius Accalia. 437

A. D. litteræ initiales quid notent. 351

Adeona quæ dea. 159

Adolere quid in ſacrificiis. 198

de *Adoptionibus* cognoſcebant pontifices. 573

Adorare vnde dictum 202

Adſpergilli vſus in ſacris. 194. 496

Adſperſio in ſacris locum habebat. 193. 194

Adtegrare quid notet. 472

Aduerſariorum ſcriptores. 13

Aeacus, Minos, Rhadamantus ſub Plutone iudices. 1:8

Aedes ſacra a templis diuerſæ. 512

Aedicula quæ. 510

Aedituorum cellulæ. 518 ſecundum templa diſtincti. 638

Aegobolium quale ſacrificium. 485

Aequitas virtus diuina. 139

Aerarium pontificum quid. 590 publicum in templo Saturni. 525. 526

Aeſculanus quis deus. 159

Aeſculapii figura. 129 ex Epidauro Romam venit. 130 ſanitatis fuit præſes. 130 templum in inſula Tiberina 130. 526 feſtum. 425 lucus illi ſacer, dictus Aeſculapium. 352

Aeternitas dea. 143

Aeuum quid. 333

Agenoria dea. 159

Ager hoſtium conſecratus. 221

Agger Tarquinii vbi ſitus. 313.

Agonalia, Iani feſtum. 352. 358. 414.

Agone in ſacrificiis quid. 474

Agonium Martiale, quale feſtum. 357. 419

Aius Locutius, quis deus. 163.

Alio die ſibi obnuntiabant in Comitiis. 269. 287

Allienſis dies religioſus. 353. 378

Altaria, quæ 529

Amata virgo Veſtalis dicebatur. 623

Ambarualia quæ & amburbium quid 388
Ambegni in ſacrificiis quid. 465
Ambubaiæ quæ fuerint. 639
Amtruare quid. 618
Ancilia Martis arma 96. 355. 619 620 in domo pontificis M. olim adſeruata 580 poſt locum adepta ſingularem 620
Anclabris & anclabria quid in ſacris 496. 531
Anculi dii. 164
Angerona dea. 160
Angeronalia feſtum. 359. 431
Angliæ antiquitates qui ſcriptores illuſtrauerint. 38.
Animalia atra inferis ſacra. 119
Anna Perenna dea 178 feſtum 355. 434
Annales maximi qui. 572
Annus confuſionis. 343 Iulianus 343 magnus. 334 Numæ. 336 Romanorum triplex. 334 Romuli. 335 ſecularis. 333 anni & annalium cura in tutela Pontificis M. 572 a Iulio Cæſare diſpoſitus. 342. 343
Anſeres & canes in Capitolio alebantur. 223
Antica & poſtica pars in auguriis quæ. 274
Antiſtites qui dicti. 636
Anubis, deus. 156
Apex ſacerdotalis quid 563
Apis deus. 186
Apollinis varia cognomina. 91. 92, figura 93, officium 93, medicinæ habebatur inuentor 93, cum Sole idem habebatur 90, Apollinares ludi 352, templum 523, ludi ſcenici ſacri 399
Aprilis menſis 346, Kalendæ Veneri ſacræ 407
Aqua viua in ſacris requirebatur 194
Aræ differunt a focis 528, pro ratione deorum diuerſæ 529. 530. tres ararum ſpecies in templis 530, gramineæ 532, infima quæ 533, maxima 532, minores dictæ arulæ 532, nocturnæ 532, princeps 533, Iouis Paganici 531, qua ratione dedicatæ 533, harum ornamenta 534. 535, vſus 536, aras tenebant precantes, & aduoluebantur ſupplices 204
Arbitror vtebantur in iuramentis 323
Arbores ſacræ in ſacrificiis ſolennibus ferebantur 470, iis vittas addebant 518
Arca pilenti quid 545. Auguſtalium. 616 pontificum 589. 591, publica 590
Arcus templis additæ 517
Arduenna Diana, 89
Area quid 513
ad *Argeos* ſacra 440
Aricinum nemus Dianæ ſacrum 400
Armata quæ Veſtalis dicta 626
Armillum quid 495

Armi-

Digitized by Google

Armiluſtrium quæ ſolennitas 356. 440
Ars Theſſalica quæ 307
Arx an templum augurale 272. 276, a Capitolio differt 522
Aſtrologorum prædictiones 309. 312
Atri dies qui dicti 376. 377
Atanuuium quale vas 495
Atys amator Veſtæ 123
Aues admiſſiuæ 263, alteræ, arculæ 263, inauſpicatæ incendiariæ 264, oſcines, præpetes, ſuperuaganeæ 262
Augurale in caſtris quid 272. 279
Auguralis diſciplina quæ 261, Romanorum ab Etruſcorum differebat 264 275, ad quatuor potiſſimum referenda 262, libri 252, templum 275
Auguratorium quid 272,
Augures a Romulo & Numa 594. 595, quot fuerint 595, quomodo creati 595, 596, publici auſpicanti magiſtratui præſto erant 596, ſi ad aquam veniſſent, hauriebant eam 277, eorum poteſtas 597, priuilegia 597, comprecationes 275, in municipiis qui 598, ſpatium templorum inaugurabant. 512
Augurium cum auſpiciis idem 261, ex auibus fiebat 262, ex diris 271, ex acuminibus 281, ſalutis 282, locus & ritus 271. 274. 275, tempus poſt mediam noctem 273, augurabantur ſedentes 279, intra pomœrium captare moris 272, expectabatur aliud, quo firmaretur prius 276, antica & poſtica pars quæ dicta 274 ſiniſtra & dextra quæ 262 274, vitium in auguriis quid 278, auguria quæ in caſtris 279. 280. 281, alia augurum erant, alia magiſtratuum 273. 277. 279. 284. 285. *vide & auſpicia.*
Auerrunci dii qui 167, quomodo eos precati 212
Auguſtus menſis 348
Auguſtalia feſtum 356. 442
Aures pro diis 164, argenteæ Mineruæ dicatæ 94
Aurum oblatitium 246
Auſpiciorum ſpecies 280. 281, maiora & minora 286, piacularia 291, perennia 281, impetrita 280, iuge auſpicium 280, auctoritas 282, ante comitia fieri debebant 286. 288, poteſtatem auſpiciorum qui habuerint 283. 284, auſpicia vitiare, turbare vel retinere poterant ſoli collegæ 287, obnuntiare ſibi poterant magiſtratus 285, tribuni qua ratione potuerint obnuntiare 286, proconſules & proprætores auſpicia nulla habebant 282.

286, ementiebantur ea 287, nitebantur rationibus politicis 287, auſpiciorum tantum ſpecies manſit 288
Auſpicari dicebantur ſub initium anni 411
Axamenta carmina Saliaria dicta 617

B.

Bacchus diuerſimode cultus 81, figura 119. 120, vini habebatur inuentor 120, Orientis dicebatur dominator 121, officium 121, feſta 355. 419, Bacchanalia 419, ſacerdotes 633, Bacchæ 633
Barbam Apollini dedicabant 551
Baſis aris addita 541
Bela quid 532
Belenus Apollo 92
Belgii antiquitates qui ſcripſerunt 38
Bellona Martis comes 170, eius feſtum 358. 431
Bibliothecam antiquariam qui conſcripſerint 2. 3, templis additæ 518, in bibliothecis Mineruæ ſtatuæ 94
Bidental quid 462
Bidentes quæ 293
Biſextus 342
Bona dea quæ 112, feſtum 420. 421. ſacra in domo pontificis facta 581
Bonus euentus quis deus 149
Bos ſeſcenaris 497
Brumalia 358
Bubona dea 152

C.

Cabiri deorum miniſtri 172
Caca dea 162
Caduceus Mercurii 91
Cærimoniæ quid 191. ſacræ quæ 187. ſeqq. in ipſo deorum cultu, quæ 198, poſt cultum 204
Inter *cæſa* & porrecta quid in ſacrificiis 371. 476
Calpar dicebatur vinum nouum 397. 472.
Camilli flaminis dialis miniſtri 612, & ſacerdotum 638
Camœna quæ dea 159
Camulus Mars dictus 96
Camus freni aſperi genus 96
Candelabrorum vſus in ſacris 470. 469
Canes ante pedes larum 174
Canopus quis 186
Capitolium quando extructum 519, ornatum varie 520. 521
Caper Baccho ſacer 121
Capi dicebantur ſacerdotes 560. 561
Capis quale vas in ſacris. 495
Capillati qui 633
Caput abluebant in ſacris 193, poſti allidebant in adoratione & neceſſitate 203, capite velato ſacra faciebant 199,
Ciui-

Ciuium, qui contra leges egerant, conſecrabatur 222
Cardea cardinis dea 160
Carmenta quæ dea 178, Carmentæ nymphæ 154. 179, harum feſtum 352. 353, Carmentalia 434
Carna dea 156, feſtum 358. 431
Carnis partes in ſacrificiis 487. 488
Carpentum fœminis conceſſum 545, in nummis diuinitatem arguit 547
Caſta mola quid 489
Caſtitas nocte ante ſacra ſeruanda 196. 197
Caſtor & Pollux gemini 127, figura & officium 127. 128, etiam in mari dii 128, feſtum 353. 424
Catius deus. 159
Cella quid. 512
Cenſores notabant periuros 326 Cenſoriæ tabulæ in æde nympharum. 177
Cerberus canis triceps. 118
Cerei in Saturnalibus. 416
Cereris figura. 102 officium. 103 initia. 103 feſtum, Cerealia. 408. Græca ſacra erant. 409 ſacerdos Græca. 620
Ceruus Dianæ immolabatur. 90
Chariſtia feſtum. 354. 438
Charon Plutonis miniſter. 118
Cinxia Iuno. 158
In *Circo* habitabant vates. 313
Clarigatio quid. 371
Clatria Iſis. 186
Clauum pangendi feſtum. 355. 389
Clementia dea. 142
Clepſydrarum vſus in iudiciis. 368 fabrica. 369
Clinia auſpicia quæ. 263. 264
Cloacina dea. 160
Clanaculum. 497
Clypei in templis ſuſpendebantur 240. 549 aureus vel argenteus ſi cuipiam decernetur, ſingulari honori erat, 549.
Cœna aditialis quæ. 561
Cœnatio Iouis locus in vrbe. 396
Collatina dea. 150
Comitia Ioue tonante haberi nefas. 269 Comitiales dies qui. 373.
Commendare diis quid. 215.
Commotia nymphæ. 166
Comperendini dies qui. 374. 375
Compitum quid. 514 Compitis præerat Mercurius. 92 Compitalia feſtum. 357. 359. 432. conceptiua. 446
Compoſiti accedebant ad ſacra. 197
Comprecationes quid. 209. 214
Concamentio ferrea in ſtatuis quæ. 541
Conceptis verbis precari, quid. 219
Conſeſſus deorum quid. 65
Concordia dea. 143 feſtum. 428

Coniuratio quid. 326
Conſecratio Romanorum varia. 220. animalium quæ. 223 locorum quæ 501 ſacerdotum ſolis quo ritu facta. 632 taurobolii. 484 templorum differt a dedicatione. 213
Conſentium deorum. 62. 83
Conſeuius deus. 153
Conſus quis deus. 159 idem ac Neptunus. 101 feſtum conſualia 101. 354. 408
Conticinium quid. 362
Conuitiis petebant deos. 212.
Corona deorum ſtatuis impoſitæ. 543 diis dono datæ. 547. 548
Corpus circumagebant in ſacris. 200
Crepuſculum quid. 360
Creſcere ſignum habebatur fauſtum. 301
Crimina ante ſacra expiare neceſſe erat. 195
Criobolium quid. 483
Cubiculares imagines quæ. 637
Culina prope templa. 515. 516
Cultores qui. 636. 637
Cultrarii qui. 640
In *Cultu* deorum quæ obſeruanda. 192
Cunina dea. 155
Cupido. 171
Cumerores qui. 638. 639
Curia Saliorum quid. 620
Curiales qui. 617 Curialia ſacra. 381 Curiones qui. 616 Curio maximus. 617 minores. 617.

D

Debitoribus confeſſis æris triginta dies ad conquirendam pecuniam conceſſi. 376
December menſis. 349
Decemuiri I. II & III quid. 248.
Decuriones qui ſacerdotes. 637.
Defixiones ſacrorum quæ. 308.
Delubrum quid. 508
Depulſoria ſacra. 215. 216
Deuerra quæ 151.
Deuotiones qua ratione factæ. 228 exercitus. 229 magicæ. 214. 309 hoſtium patriæ fiebant. 224. 230 deuouere diis homines. 225 fiebant pro ſalute Impp. 230. 231
a *Deo* rerum principium. 66 deorum genus triplex, phyſicum, mythicum, gentile. 63. 64 ad deorum hiſtoriam facientes ſcriptores. 46 fabulas de diis inutiles iudicauit Numa. 64 ad fabulas de diis qui ſcripſerint. 47 deos habebant vſque ad decrepiti hominis mortem. 153. 159 pro diuerſo reſpectu diuerſimode picti. 81 ſimulacra in genere. 81 diſtincti manſere Romanis, 81 ſecundum loca in ſuperos inferos & medioxumos diſtincti

cti. 69 ab officiis diſtincti. 70. 71 aquatiles 165 cœleſtes. 65 inferos geſtu contrario inuocabant. 207 maiorum & minorum gentium. 64. 66 marinorum ſacrificia. 489 noui dii non niſi ſenatus auctoritate creari poterant. 68 patrii qui. 70. 175 peregrini. 183 a Romanis ſæpius eiecti. 184 populares. 66 proprii 70 publici & priuati. 70 ruſtici. 69. 145 ſelecti. 66. 106 tutelares. 70 vernaculi Romanorum. 70 conſeſſus deorum quid. 65 deos ſuo iuſto nomine compellabant. 208 deorum adiuncti. 170. 171

Dextram in adorando oſculabantur. 205 moribundi contingebant promittentes. 320 dextrorſum ſe vertebant in ſacris. 200

Dialia ſacra quæ. 611

Diana quæ dea. 94 diuerſimode culta. 81 figura & officium 89. partubus præerat. 89. 90 nympharum præſes. 90 cum luna eadem habetur. Epheſia. 96 verua in nummis Dianæ Epheſiæ quid 96 Lucina 94. 95 quomodo differat a Iunone Lucina. 96 triuia. 96 feſtum idibus Auguſti. 399 ſacra 354 templum. 524 Dianium lucus. 500

Dicis cauſſa quid. 469

Diei & noctis tempora 361 diuerſitas varia. 369 ſqq. ciuilis Romanorum quis. 359. 360 quomodo diuiſus. 360

Diluculum quid. 362

Dioſcuri qui. 127

Diræ furiæ. 183

Diras imprecari quid. 224

Ditis deus. 117

Diualia feſtum. 359

Diui qui. 452

Diuinationum varia genera. 260. 261

Diuiſiones quæ. 452

Dolabra quid. 497

Domiducus deus. 158

Dona dicta quæ diis dabant 237. 488 745 qua ratione diis oblata 546, quæ mirabili arte conſtabant, offerebantur diis 550, adfigebantur templorum columnis 238. 239 & arboribus 241, varia erant variorum 551, triumphantium quæ 546. 547

Donaria locus, vbi reponebantur dona 237. 546

Dryades ſyluarum nymphæ. 177

Dulcia dona ſub initium anni mittebant. 412

Duumuiri ſacri. 635

E

Edulia dea. 155

Egeria nympha 156. 178

Eiuratio quid. 326
Electorum ſcriptores. 12
Epona dea. 152
Epula in ſacris quæ 395, ludorum quæ 396, in ſtatuarum dedicatione 543, epulum indictum 357, Iouis 396. Mineruæ. 356
Equiria feſtum 354. 355, 406
Equus October quid 407, equorum probatio 355. 357
Euocationes deorum 231, manium 306, euocationis carmen. 232
Exaugurare quid 519, fana quid. 509
Excantationes quid. 308
Execrationes 223. 224 iuramentis additæ. 325
Exedra in templis quid. 518
Expiatio criminum. 225
Exta diis oblata 478, profecta quid 477, inſpiciebant haruſpices 290. 291 extiſpices qui. 289
Externos religionis ritus non concedebant Romani 191, 192

F

Fabiorum dies nefaſtus. 354
Fabulinus deus. 156
Facere dicebantur ſacrificantes. 473
Familiarum ſacra & gentilitia 449, 450
Fanatici qui dicti 312, 637
Fanum quid. 509
Farnus deus. 155
Far pium. 472
Fas quæ dea. 139
Faſti alii magiſtratuum erant, alii Kalendares 328, Kalendares ordinauit Numa 328, pontifex M. curam habebat 329, adulatione fuere corrupti 441 iterum correcti & caſtigati 442, vrbani erant vel ruſtici 329, dies vel toti vel ex parte 371
Faſtigium templi quid. 516
Fata dictæ Parcæ, 182
Fatua dea. 122
Fauere linguis in ſacris quid. 198
Fauiſſa quis locus in templis 194. 515
Faunus quis 161. 162 idem ac Pan 146, vel Pani comites 147, feſtum Faunalia 354, 358, 428, 429
Febris dea. 168
Februarius a luſtrationibus dictus. 345
Felicitas dea. 141
Fendica in ſacrificiis quid 487
Feralia Plutonis feſtum 354 417
Fercula in ſtatuis quæ 544
Feria conceptiuæ 443, ſqq. latinæ 444, ſtultorum. 425
Feronia dea. 162
Feſſonia dea. 160
Feſti dies qui 389, horum varia ratio 395, quomodo diuiſi

tiſſi 396, enuntiabantur olim publice 391. 392 iis iurgiis & operibus ceſſare debebant 391. 392 adiunctorum 432, in Impp. honorem 441, indigetum 424, ſqq. nympharum 434, Ruſticorum 428, feſtiuitates in feſtis 393

Feſtus quid 516

Fetialium collegium & officium 635

Ficus Mercurialis 92

Fides dea alia a deo Fidio 143, fidem deûm implorare quid 211

Fidius deus ab Hercule diuerſus 125. 126

Fidicines in ſacris 639

Filii ſacrorum male Gutherio dicti 561

Fiſſum & fibra in ſacrificiis quid 291

Flamines qui 607, varie diſtincti 608, quomodo electi 609, perpetui erant 609, in coloniis qui 612, dialis præcipuus 609, cui ceræmoniæ impoſitæ multiplices 610. magiſtratum gerere non facile poterat 611, quam diu durauerit 612, vxor dicebatur flaminica 609. 611, miniſtros habebat 612.

Flora dea 151, 179, feſtum 357. 436

Fluonia dea 154

Focus quid 528

Fontes pro diis 167, Fontinalia feſtum 356. 438. 439.

Forculus deus 160

Forda bos quid 465. Fordicidia feſtum 356. 439

Fornax dea 152, Fornacalia feſtum 430

Fortuna figura 134. 135, cognomina varia 135, bona & mala 135. 136, fors Fortuna 136, huius feſtum 359. 426, huiusce diei feſtum 137. 427, muliebris feſtum 356, Scia & Seiani quæ 151, virilis feſtum 356. 427, officium 136

Fratres aruales Accæ Laurentiæ ſacri 179. 607

Fruteſca dea 152

Fugalia feſtum 440

Fulgura obſeruabant quoque haruſpices 599, fulgure tacta loca religioſa fiebant 293, fulgurales libri 253, fulguratores. 292.

Fulmina varia 167. 268, ſiniſtrum proſperum 268, præterquam ad comitia 269, condere quid 294

Furia quæ 181. 183

Furina dea 161, feſtum Furinalia 161. 353.

G.

Galerus pontificum quid 564

Galli ſacerdotes matris deûm 633

Google

Galliæ antiquitates qui illuſtrauerint 37
Gallicinium quid 362
de *Gemmis* qui ſcripſerunt 34
Genios duos quisque homo nactus 109, figura 110, erant & genii deorum 111, familiarum & locorum 112, deus erat tutelaris 113, cultus 113. 114, particularium locorum 69, hoſtia an mactata 114, eius templum 526
Germaniæ antiquitates qui ſcripſerint 39. 40
Gloria dea 138
Grauii theſaurus, quæ ſcripta contineat 15. & ſqq.
Grates agere diis quid 199
Gratiæ deæ 180

H.

Hamadryades fontium nymphæ 177
Harioli qui 312
Harmamaxa quis currus 544
Harpocrates deus 186
Haruſpicum collegium quale 595, in prouinciis dicebatur ordo 199, de prodigiis conſulebantur 600. 601, quando conſuluerint exta 289. 476, oſſa hominũ de cœlo tactorum colligebant 295, conſiderabant etiam fulgura 293, diſciplinam ab Hetruſcis habent Romani 288, in quo conſtiterit 289, haruſpicini libri 253
Haſta olim pro ſceptris 81
Hecate quæ dea 96
Hecatombe quid 482
Hercules deus 124, figura, cognomina & cultus, 124, ſacra fiebant græco ritu 125, capite operto 199, iis fœminis intereſſe non licebat 125, eius ſacerdotes 634, ſalii quoque lecti 617. 618, feſtum 424
Heres Martea quæ 160
Hermæ ſtatuæ Mercuriales 92
Hermathena quæ 94
Hierofanta Hecates ſacerdotes 638
Hierophylaces qui 638
Hilaria feſtum 355. 422. 438, a matris deûm feſto diſtincta 438
Hilaritas diuinitus culta 142
Hippocratia feſtum 408
Hippona dea 152
Hiſpaniæ antiquitates qui illuſtrauerint 35
Hoc age in ſacris 198, & ſacrificiis 475
Honoris & virtutis templum 527, honorem diis habere quid 198, Honorinus deus 159
Hora dea 172, qua ratione horas Romani fuerint dispertiti 361, apud Romanos pronuntiabantur 364. 365. 367, ruſtici ſecundum vmbras metiebantur 367

Horologium primum Romæ poſuit Scipio Naſica 366, fabrica quæ 366, hydraulica quæ 367 ſecundum temporis diuerſitatem diuiſa 367
Horta dea 159
Hoſtiæ quæ fuerint 457, quæ harum differentia 457.460.461, albæ requirebantur 470, ambaruales 464, aureæ & argenteæ 465, auriga quæ 464, cauiares 454, confetæ 465, eximiæ 465, harvvigæ 464, iniugæ 463, lactentes 464, maiores 464, maxima dicebatur ouis 458, mediales 464, optatæ 464, perfectæ offerendæ 456, piaculares 464, præcidaneæ 463, prodigæ 464, puræ 461, regiæ 465, ruminales 464, ſuccidaneæ 463, harum ſanitas non ſemper ſpondebatur 461, probatio quæ 461. 466, ornabantur auratis cornibus 466, & coronis 467, duci dicebantur 467, aris admouebantur 468, luſtrabantur aqua pura 471, percuti dicebantur & cadere 475, augeri quando dictæ 463, 480
Hoſtilina dea 151
Hoſtis idem ac peregrinus 375
Hygiea Aeſculapii filia 130
Hymeneus nuptialis deus 157.

I.

Ianus quis 106, eius figura & cognomina 106, feſtum 352. 355. 411, templum 525
Ianuarius primus menſis 345
Idus quæ 350, in tutela Iouis 349. Idulis ouis quæ 463
Iecur inſpiciebant haruſpices 296
Ieiunium quid 389
Ignis ſacer quid 105, ſeruabatur per Veſtales 625, extinctus habebatur pro prodigio 625, nouus accendebatur Kl. Martii 625, in ſacrificiis quando paratus 478
Imagines deorum præferebantur in pompis 544
Immolare quid 473
Imperatiuæ feriæ quæ 447
Imperatorum ſolennia in faſtis 442. 443
Impetritum fulmen quid 270
Implorare quid 198
Imprecationes quæ 327
Incubus quis 148, incubandi modus in templis 5 6
Indigetes dii qui 66. 124
Indulgentia dea 142
Infelicibus lignis vrere quid 227
Inferorum deorum ſacrificia 227. 491
non *Initiati*, ſacris prohibebantur 195
Innominales dies qui 377
Inſcriptionum ſcriptores 30
Intercalandi ratio quæ 337, a quo primum facta 340, pontificibus permiſſa 341, a Cæſare quomodo ordinata 342, ab

Auguſto correcta 344, menſis & dies erat intercalaris 338 339, a Februario differt 339, intercalatum poſt Terminalia 338
Inter id nus deus 157
Interciſi dies 371
Inuus Pan 146
Irnlla vas in ſacris 495
Iſis dea 184, medicinæ etiam præerat 185, in eius templo frequentes tabellæ 240, Iſiaci coniectores 311
Italiæ antiquitates qui illuſtrauerint 37. 38
Iudicum iuramentum 321
Iugatinus deus 150. 157
Iulius menſis 347
Iunius menſis 347
Iunonis cognomina & officium 87. 88. 89. 90, Lucina 87. 154, Iunones quæ 89. 90, feſtum 352. 398. Monetæ f. 358 398
Iupiter deorum præcipuus 83, figura & varia cognomina 84. 85. 86, Elicius 84. 231, 270, Latiaris an ſanguine humano cultus 459, Latiaris idem ac Latialis 460, ſtygius quis 117, tempeſtatum quoque præſes erat 169, diuerſimode pictus 81, ſub eo omnes diuinitates latere volebant 155, feſtum 352. 353. 354, Statoris feſtum 359, victoris feſtum 356
Iuriiurandi religionem Numa inſtituit 314, ſancte fuit habitum 315, formulæ 315. 317, per Iunonem iurabant mulieres 317, Iouem lapidem iurare quid 317, iurare ex animi ſui ſententia quid 317 321, iurabant in Comitio 318, ad Puteal Libonis 319, ſuper victimis 320, tangebant aras 320, iudices 321, magiſtratus 322, populus 322, iuramenta iudicialia 323, priuata 324, publica 320, iurare Veſtales & diales flamines non poterant 611
Iuriſprudentiam ex antiquitatibus qui illuſtrauerint 22
Iurites dea 172
Ius ciuile apud pontifices repoſitum 583, pontificium quale 187
Iuſti dies qui 375
Iuſtitia dea 138
Iuſtitium quid 390
Iuturna nympha 166
Iuuentus dea 159

K.

Kalatores qui 639
Kalendæ vnde dictæ 349. 350, in tutela erant Iunonis 88. 349. 395, Ianuariæ Iani feſtum 411 iis inibant magiſtratus munia 413, Iuniæ dictæ fabaceæ 347. 431

L. La-

L.

Lacturtia dea 151
Lana veſtimentum augurale 565
Lætitia dea 142
Lanx in ſacris quid 493
Lapis auſpicalis quid 503, pertuſus 294, terminalis 149, vnctus 539, lapidabant templa 213
Larentalia feſtum 359. 436
Lares genio bono adiuncti 172, publici qui 173, grundules 174, præſtites 173, viales 174, quomodo culti 511, cultum faciebant ruſtici 433, ſacerdotes magiſtri vel decuriones dicti 637, feſtum 359, Lararium quid 173. 432. 511
Latona, luna 116
Lauabant res ſacras facturi 192. 193
Lauatio matris deûm quo ritu peracta 355. 421. 422. 423
Lauerna furum dea 161
Laueruiones fures 161
Lectionum variarum ſcriptores 12
Lectiſternia qua celebritate facta 386. 387
Legati Romam miſſi nomina profitebantur apud præfectum ærarii 526
Lemures genio malo adiuncti 172, Lemuralia feſtum 357. 433.
Leuana dea 155
Leucothea dea 164
Lex Papiria terram ſine iuſſu populi conſecrare vetabat 221 Leges per trinundinum proponebantur 448. 449
Libare propria vox ſacrificiorum 198. 486
Liber idem ac Bacchus 153, Libera quæ 153. Liberalia feſtum 419
Liberti in Feroniæ templo libertatem adipiſcebantur 163
Libertina dea 98. 160
Libitina Venus 98
Liburna dea 160
Lictores ſacerdotibus adſignati (562
Ligula vſus in extis inſpiciendis 498
Limentinus deus 160
Limina templorum oſculabantur 203
Linea quid in horologiis 364
Litare quid in ſacris 198. 479
Lituus baculus auguralis 274
Locutius deus 155
Lua dea 172
Lucaria feſtum 353, 489
Lucerna diebus feſtis accenſæ 394. arboribus additæ 538
Luci olim pro templis 499. 500, quomodo a nemoribus differant 500
Lucrii dii 160
Lucubrare incipiebant Vulcanalibus 410
Ludi honorarii qui 442, indu. dis litterariis feriæ Quinquatribus 402, Piſcatorii 358, Romani

mani 355, ſcenici inter iræ diuinæ placamina 390, victoriæ Cæſaris 353
Luna dea 116, filens quid 307, cœlo eam euocari poſſe putabant 307, Lunus 116
Lupercus Pan 46, Luperci Panis ſacerdotes 634, Lupercalia feſtum 354. 428
Luſtrationes Romanorum 227, exercitus 227, vrbis & templi 228, per aquam 195
Luſtrum quid 334.

M.

Magiſtri qui 636, Auguſtales 615, larum & genii Cæſarum 615
Magiſtratus vitio creati ſe abdicare cogebantur 288
Magmentum in ſacrificiis quid 488
Maia Vulcani vxor 172
Maiuma feſtum 440
Maius menſis 347
Malleus in ſacrificiis 498
Malluuium lat[illegible] in ſacris. 193
Mamurium Saliorum carmen. 619
Mana Geneta dea. 156
Manes qui dicti 176
Manilia actiones quæ. 461
Manſiones Saliorum. 620
Manturna dea. 158
Manu venerari deos quid. 202
Mars bellorum deus 95, figura & officium 95. 96 feſta 358. 404 eius & Iunonis feſtum 355, bis vltoris feſtum 357, gradiui feſtum 406, ludi Martiales 406, Martis Kalendis mittebant ſtrenas & apophoreta. 405
Martius olim anni initium. 345. 346
Mater deûm Idæa quæ. 122
de *Matrimoniis* & partu conſulebatur pontificum collegium 589
Matralia feſtum. 431
Matronalia Martis feſtum 358, 404
Matroum carmen quid. 424
Matuta dea. 151
Matuta mater. 164
Mauors idem ac Mars. 196
Medicinam qui ex antiquitatibus illuſtrauerint. 26
Medioxumi dii qui. 70
Meditrinalia feſtum 356. 439
Megalenſes ludi. 356
Mellarium vas in ſacris Bonæ deæ. 421
Mellonia dea. 152
Mena dea. 154
Mens dea. 144. 159 feſtum 358. 428
Menſa pro aris 531, ſacræ quæ 532, magicæ quæ 306, menſas tangebant precantes. 206
Menſes Romanorum. 345, ſqq.
Mercatores Mercurio faciebant ſacra 40, feſtum 357
Mercedonii qui dies. 339

Mercedes ſoluebantur magiſtris Kl. Martiis. 346

Mercurius mercatorum deus 90, ſomni præſes 92, figura & officium 91, feſtum idibus Maii 347. 400

Meridies vnde dictus. 362

Micare digitis quid 304. 305

Migrationes in ædes alias fiebant Kl. Iulii. 352

Minerua eadem ac Pallas 92, figura & officium 92-93 cognomina 94 95 ſanitati quoque præfuit 93, in ſcholis, ludis & gymnaſiis culta 94, epulum 404, feſta 401. *Minerual* quinquatribus pueri ſoluebant magiſtris. 402

Miniſtri ſacerdotum qui 638, ſacrificiorum. 640

Mithra ſol. 115

Mola ſalſa quid. 472

Moneta dea. 139

Montana ſacra. 381

Montinus deus. 152

Monumenta ſepulcrorum reficiebant pontifices. 588

Mundus patere quando dicatur. 379

Municipalia ſacra quæ 381, municipiorum ordines. 615

Murcia dea. 159

Mutinus idem ac Priapus. 158

Myrtus Veneri ſacra. 100

Myſteria Kalendæ intercalares dictæ. 339

Myſtica ſacra aperire nefas. 195

N.

Nania dea. 160

Naiades nymphæ 166. 170

Naſcio dea. 156

Natali genius colebatur 113. 114 quæ aliæ feſtiuitates 450. 451 puellæ Iunonibus ſacra faciebant 91, Auguſti. 442

Nautæ Caſtorem & Pollucem inuocabant. 128

in *neceſſitatibus* extremis qua ratione ſe geſſerint. 203

Nefaſti dies qui 372, etiam atri ſic dicti. 377

νεκυομαντεία quæ. 306

Nemeſis dea. 171

Nemeſtrinus deus. 151

Nemorenſis rex quis. 400

Neptuni figura 100. 161 officium 101, equorum domitor habitus 101, colebant qui ex mari ſalui euaſerant 24, Neptunales ludi 343, feſtum Neptunalia. 408

Nereides nymphæ 101. 166. 170

Neriene Martis coniux. 171

Nixi dii qui. 154

Nodotis dea. 151

Nonæ in nullius dei tutela 349. 350 Caprotinæ quæ. 352. 399

Nortia Sabinorum dea. 180

Nouember menſis. 349

Nouendiale ſacrum quid 388, iuſſu Senatus factum. 191

Nouenſiles dii qui 68, ab euocationibus orti. 232

Nox in quot partes diuiſa 362. 363,

363, concubia & intempeſta 363. 364

Nudipedalia quæ. 390

Nudis paſſiſque crinibus mulieres incedebant in neceſſitatibus. 200. 203

Numen deorum quid. 111

Numeria dea. 159

Numerus Mineruæ inuentum 389, Numerandi apud Romanos ratio. 351

Nundina quæ 447.468, quomodo cognoſcantur 352

Nuntiatio augurum erat 285

Nuptiales dii qui 157

Nympha variæ 177.

O.

Obligare quid 309

Obnuntiare ſibi poterant magiſtratus 285

Obſecratio quæ 216, a ſupplicatione differt 216, obſecro in ſacris quid 225

Obſtita quæ loca dicta 295

Obteſtatio in conſecratione quid 222

Occinere quid dictum 263

October menſis 349

Offendices quæ 564

Olea Mineruæ ſacra 95

Olla quale vas 493

Opalia feſtum 358. 421

Opere abſtinebant feſtis 391. 392

Opiconſiua feſtum 354. 420

Opifices Mineruæ ſacra faciebant Quinquatribus 403

Opima pecora quæ 462

Opis dea 122

Oraculorum ratio 295. 296, Delphicum 296, modus 296, cur defecerint 297

Orbona dea 160

Oreades montium nymphæ 177

Orcus deus 117, officium 118

Orgiophantæ Bacchi ſacerdotes 633

Ornamenta ſtatuarum quæ 541

Oſcines aues quæ 262

Oſcula iactare quid 202, labrata 202, oſculabantur deorum ſimulacra 201

Oſiris dea 184

Oſſilago dea 156

Oſſipagina dea 156

Ouis idulis quæ 398.

P.

Panulam deponebant in ſacris 197

Paganalia feſta quæ 381. 446

Pales nympha 179, feſtum Palilia 356. 435

Palladium quid 525

Pallas eadem ac Minerua 92

Panis figura 146, feſtum 428, panici terrores 147

Pandicularia ſacra quæ 381. 385

Panthei qui 82, Pantheum templum 523

Parca deæ 181

Parentationes feralibus factæ 417

Parerga ſtatuarum quæ 540, 541

Parilia feſtum 436

Pari-

Partiri fidem quid 275
Patelena dea 151
Patella vas ſacrorum 494
Patres eccleſiæ qui de diis Romanorum egerunt 52
Patres vocabant deos precantes 207, Pater patratus Fetialium præſes 635, Pater patrum dei ſolis 631. 636
Pauentia dea 156
Pauor & pallor 168
Pax dea 140, pacis feſtum 353. 356. 427, templum 527, pacem deûm expoſcere quid 211
Pecunia dea 159, pecuniæ in templis deponebantur 551
Pellici aram Iunonis tangere non licebat 206
Pellonia dea 160
Pellunia in ſacris 193
Penates qui 174, eorum nomen reticebatur 176
Penetrale ſacrificium 512
Penus Veſtæ quando patere dicatur 379. 512. 524
Peregrina ſacra quæ 183
Perendinatio quid 377
Perfica dea 158
Periurium a falſum iurare diuerſum 324, huius pœna 325. 326.
Pertunda dea 158
Peruigilia quæ 388
Peta dea 151 160
Petra Taurobolata 514
Philoſophorum qui ex antiquitatibus illuſtrauerint 29
Phryges ſacerdotes matris deûm 123
Piaculum quid 226, porco fiebat 393, piacularia ſacra 226. 487.
Picus deus 161
Pietas 138
Pilumnus 157
Pinarii Herculis ſacerdotes 634
Pinus in ſacris Veſtæ priſcæ ſuccidebatur 422
Piſcina prope templa 515
Plantas pedum in ſtatuis tangebant precantes 216
Plebs deorum quæ 145
Pluto quis deus 111 idem cum eo Plutus 119 feſtum feralia. 417
Poëtæ hedera & lauro coronati 111, horum certamina Quinquatribus 402
Pollucere quid 481
Pomona dea 180
Pontifices vnde dicti 566. Collegium quale 582, 583. de ſacris cauſſis edicebant 188. 191. 583. 585, qua ratione iudicauerint 58[illegible], admittebantur ad illud iudicium & alii ſacerdotes maiores 584, primarii erant inter ſacerdotes 593, ad alia etiam admittebantur ſacerdotia 593, aliorum etiam ſacerdotum munia obibunt 58[illegible], de cognationibus edicebant 589, erant a mulcta & reddenda ratione immunes

nes

Digitized by Google

nes 589, habebant arcam propriam 589, non vero fiſcum 592. erant & in coloniis 592
Pontifex maximus quis 567, quo modo electus 567, 568, officium 570, de religione edicebat 571, actibus religioſis præeſſe tenebatur 571, imperium exercebat in varias res 573, de Veſtalium delictis iudicabat 573, cognitor erat de periurio 325, quæ vxor eligenda 581, cadauer an tangere fas fuerit 581, Imperatores etiam fuere 569, maximus inter minores quis dictus 570, primus quis 579
Popa qui 640
Popularia ſacra 381
Populifugia feſtum 352. 439
Populonia dea 152
Populus quando iurauerit 322, pro populo ſacrificium 421, populo Romano Quiritibusque dicebant in precationibus 213, cum populo agendi dies ſæpe eximebantur 341 cum populo agere & ad populum diuerſa 373
Populus arbor Herculi ſacra 125
Porricere verbum ſacrificale 489
Porticus templis additæ 518
Portumnus idem ac Priapus 134, feſtum Portumnalia 354. 425
Poſtuerta dea 154
Poſtulatio quid 217
Potina dea 155
Potitii ſacerdotes Herculis 614
Præcia & *præclamitatores* qui 392, 638
Præfectus feriarum latinarum quis 445
Præfericulum quid in ſacris 496
Præiurationes quæ 321
Præliares dies qui 375. 376
Præpetes aues quæ 262
Præſtigia magica quæ 310
Præſultores in ſacris Saliaribus qui 486. 487. 618
Prætexta ſacerdotum 563
Prætor conſuli dicebatur collega 287
Precatio a precibus differt 213, maxima quæ 214, publicarum variæ ſpecies 214
Preces incoabant a Iano 107. 209 formulæ 209. 210, agricolarum 210, tacitæ 211, ratæ vt eſſent, optabant 212. precabantur manibus elatis 206, vultu recto 207
Prema dea 158
Priapus quis 132, hortorum præſes & cuſtos erat 133
Pridie Kalendas vltimus menſis dies 351
Principia in caſtris quis locus 246
Probrum virginis quid 629
Procumbebant in ſacris 202
Procurationes quæ 218
Prodigia quæ 297. eadem ac portenta 271, quomodo procurata 298

Profa

Profani qui loci 501, profanatum quid dicatur 481
Profeſſores ad diſputandum conueniebant in templo pacis 527. 528
Profeſti dies qui 370
Pronaos in templis quid 514
Propitiare in ſacris quid 198.
Propter viam ſacrificium 124. 489
Proſa dea 154
Proſerpina coniux Plutonis 118. 122 eam quærere dicebatur Ceres 102 germinantibus etiam frumentis præerat 151
Proſicia quid in ſacrificiis 477
Prouidentia dea 142
Prudentia dea 142
Pſychomantia quid 306
Pudicitia dea 144. 145. templum 527
Pulli adſeruabantur in cauea 265, pullarius quis 265
Pultium nomina in ſacrificiis 488 puls dabatur pullis 265
Paluninar quid dictum 516
Puritas in ſacris 192. 197 puræ manus 192. 193 veſtes 474 pure lauari quid 194
Puta dea 151
Puteal quid 294
Python ſerpens triceps 93

Q.

Q. R. C. F. quid notet 358. 371. 372.
Q. ST. D. F. quid notet 358. 372
Quæſtor Auguſtalis quis 616
Quies dea 141
Quindecimuiri ſacris faciundis quando creati 603, officium & dignitas 604. 605
Quintilis menſis 347
Quinquatrus Mineruæ qua ſolennitate peractæ 355. 401. 402 minuſculæ 358. 404
Quirinus deus 131. figura 131. 132 feſtum 354. 425.
Quisquis es formula in precibus 208

R.

Rediculus deus 162
Regia Numæ vbi fuerit 580
Regifugium quale feſtum 354. 372. 440
Regionum particularium antiquitates qui explicauerint 35 ſqq.
Religio quid 191 de ea indicabant pontifices 583, reſecrari religione quid 225, exſoluere religione animos quid 225, religioſi dies 377. 378
Remores aues 263
Requies quid 432. 433
Rex Nemorenſis quis 500, ſacrorum quis 593. 594
Rhabdomantia quid 301
Ritnales libri qui 253
Robigus deus 149. 168 feſtum Robigalia 357. 430
Roma natalis 356. 435 templum 528
Romulus poſt conſecrationem

 Qui-

Quirinus 131 Romuli caſa 513
Roſtra templum dictum 503
Rumina dea 155
Runcina dea 151
Ruſina dea 150

S.

Sacellum quid 510
Sacerdotes Numa ordinauit 556, collegia 565 566. 636, eligebantur viri ampliſſimi 556, modo a populo, modo a collegis 556, 557 poſt ab Impp. creati 558 abſentes etiam creari poterant 559, duo ex vna gente eſſe non poterant 559, nominati 560, deſignati 560 dicebantur capi 560. 561, inaugurabantur 561, filii ſuccedebant & patri 561, dignitas eorum maxima 562; inſignia 561, perpetui qua ratione fuerint 562, vacationem habebant a muneribus 562, habitus 563, ſine imperio erant 553, quouſque manſerint 565, adlecti qui 559, Codicillares 559, varii 637. 638
Sacer portus quid 461, ſacra lex quæ de tribunis 222, ſacrata lex in militia 223, ſacrum & ſacro commendatum quomodo differant 551
Sacra quæ 190, Romanorum varia 381, horum alienatio quæ 225, deteſtatio 222, ſacrorum ritus confingere quid 308. ſacra iterare quandoque neceſſe erat 227, magica quæ 224. 225. 309, minuſculum 489, nefaria 306, priuata 449, ſolis myſtica 633
Sacramentum quid 462
Sacrarium quid 511, principis 512
Sacroſanctum quid 221, quomodo fiebat 222
Sacrificiorum diuerſitas 456. 457 482 ſingularia 489 ſolennitas 468, vaſa 492, ſqq. collatiuum 467, incantationis 490. inferorum deorum 490, ſqq. luſtrale 227, marinorum deorum 489, preſſoriis vaſis facta 121, publica publico fiebant ſumtu ex argento mulctatitio 461. 462, thuris & vini 485, villicorum 490, ſacrificiorum miniſtri quomodo amicti 474
Salacia dea 171
Salinum in menſa ſolitum adponi 532
Salios Marti gradiuo Numa legit 96. 617, habebant magiſtrum præſulem & vatem 618 horum feſtum 405, quo nubere vel aliud quidpiam inceptare religioſum 406, celebrabant & feſtum in pro-

vin-

ninciis 620, Saliares virgines 620
Salſamina quid 487
Salus quæ dea 130, a ſalute publica diſtincta 130, publica quæ 139. 140, feſtum 356
Salutare quid in ſacris 198
Sancta quæ dicta 501. 502
Sancus deus quis 125
Sanguinis dies quis 422
Sanguine humano an deos placauerint Romani 458
Sapientia dea 142
Saturnus deus 107. 108. 153, figura 108, tempori præerat 108, cultus 109, ſacra fiebant capite operto 199, feſtum Saturnalia 358. 414. ſqq. licentia omnigena peractum 415, templum 525
Sacena quid in ſacris 497
Scriptores rituum antiqui 9. & ſqq.
Scriptus lapis quid 539
Seceſpita quid 497
Seculum quale tempus 333
Securis vſus in ſacris 497
Securitas dea 141
Sedebant poſt peracta ſacra 204
Segetia dea 150
Seia dea 150
Sementinæ feriæ 445
Semidei qui 66
Semones dii 68. 124
Senatus quando haberi poterat 376, ordinabat de religione 191. 192, de quibus cauſſis ſacris iudicauerit 586, Senatorii dies 374
Sentia dea 159
Sentinus deus 154
September menſis 348, varias adeptus appellationes *ibid.*
Septemuiri epulonum qui 606
Septimontium quale feſtum 381. 414
Serpens aris circumuolutus notat Aeſculapium 129
Seruare de cælo quid 267
Seruorum & ancillarum feſtum 354
Sextilis menſis 347
Sexuiri Auguſtales qui 615
Sibyllini libri qui 253, quando inſpecti 254, per Quindecimuiros 604. 605, varia fata 254. 255, an ſuppoſititii 258
Sicilia antiquitates qui illuſtrauerint 38
Si deus ſi dea quid in ſacris 208
Sigillaria feſtum 359. 417, locus quoque ſic dictus 417
Signa de deorum ſtatuis dicta 536, horum ornamenta 542
Sileni Bacchi comites 121
Silentium in auguriis quid 266. 273
Silicernium quid 418
Simpulum in ſacris quid 491
Simulacra deorum tangere mos erat 206
Siniſtra in auguriis fauſta 263

Sironia Diana dicta 92

Siſtere fana quid 509

Sodales Titii qui 613, Auguſtales 614, in coloniis 616

Solis figura 115 cultus 116, ſacerdotes 632, ſacra myſtica 633, ad ſolem orientem verſio in precibus 200. 201

Solaria apud Romanos quando introducta 365

Somnus deus 165, ſomnia infauſta Veſtæ narrabant 106. 311, Somniorum diuinationes 310

Sortes quid 298 299. Antiatinæ 299. Apenninæ 300, Cæritum 299, Falerinæ 300, Homericæ & Virgilianæ 303, Præneſtinæ 300, per talos 304, micare digitis 304, ex terra 305, Circulatorum 306, conuiuales 306. qua ratione ductæ 300, tollere quid 302, ſors delicuit quid 303, modus ſortis 303, ſortilegi qui 312.

Speleum quid 514, in eo fiebat conſecratio ſacerdotum ſolis 632

Spes dea 142

Spinienſis deus 151

Stantes deos ſalutabant 199

Stati dies qui 375

Statilinus deus 156

Statua quæ 536, primi erexerunt Phœnices 537, ex varia conſtabant materia 538, vouebantur 235, dedicabantur 54 ad eas ſacrificabant 549

Sterculinus deus 152

Stercus quando delatum quid 358. 372

Stimula dea 159

Stipes diis iactæ 552

Strebula quid in ſacrificiis 477. 487

Strena quid 412. 413

Strenua dea 159

Strufertarii qui 295

Struppi quid 516

Subigus deus 158

Subſilles quid in ſacris 494

Suffibulum quid 564. 626

Summanus deus 117

Suouitaurilia quale ſacrificium 482

Superuaganea aues quæ 262

Supplicationes quando decretæ 382, in quot dies 383, qua ſolennitate factæ 385. 386, vel generales erant vel particulares 385, ad omnia puluinaria 516, ad auertenda prodigia quoque factæ 384

Supplicia de fontibus ſumere feſtis non licebat 393

Suprema quid 362

Suria dea dicta Venus 98. 99

Syluanus deus 148, littoralis idem ac Priapus 134, Syluanæ & quadribæ 148

Syntrophius quis 634

Syſte-

Syſtemata antiquitatum qui ſcripſerint 3. & ſqq.

T.

Tabernacula capiebant magiſtratus 277, recte capienda 278

Tabulæ pictæ in templis 237. 238

Tænia quæ in ſtatuis 538. 467

Talpis vtebantur ad præſtigia magica 309

Taurobolium ſacrificium 483, Taurobolini qui 634

Taurus lunæ ſacer 117

Teleſphorus comes Aeſculapii 131

Tempeſtas dea 168. 169, iis ſacrificabant mare traiecturi 489 feſtum 358. 437

Templum tribus modis dicitur 501, quid dicatur 502, inaugurare quid 502, luſtrare quid 503, dedicare magiſtratuum erat 504. 505, poſtes tenendo hoc fiebat 505, leges dedicationis & aliæ ſolennitates additæ 506. 507, quilibet deus habebat proprium 518, Iouis Feretrii 518, ornatus 517, parietibus templorum varia inſerebantur 239, in ſacrificiis publicis ornata 459, vetuſtate collapſa reſtituebantur 508

Terenſis deus 151

Terminus deus 148. feſtum Terminalia 354, 419. quæ olim extremum anni diem faciebant 345. templum 526

Ternus numerus in ſacris 530

Tertio dies poſt, quid Romanis 338

Teſcum quid 276. 515

Teſtamenta exequebantur Pontifices 558

Thenſa quid 544

Theologiam qui ex antiquitatibus illuſtrauerint 19

Tholus in templis 239

Thus & vinum ſuperinficiebant victimis ardentibus 479, thura diis dare quid 198. 485, Thuribulum quid 496

Thyrſus Bacchi baculus 120

Tiberinus deus 161. 162

Tibia & tubæ diſtinctæ 639. Tibicines in ſacris præſto erant 639

Togam ſumebant pueri Liberalibus 419

Trabea auguralis 565

Tranquillitas dea 141

Tranſuecti equites quando 425

de *tranſferendis* mortuorum reliquiis iudicabat pontificum collegium 587

Trinundinum quid 448

Tripodum vſus in ſacris 93. 265

Tripudium ſolliſtimum quid 264. 265, magna erat auctoritatis 266

Tritones qui 101. 165. 166
Triuia cum furiis conuenit 182
Tropæa diis conſecrabant 549
Tubiluſtrium quid 357. 404. 422
Tutilina dea 150
Tutulus pontificum pileus 564
Tutunus deus 158.

V.

Vacuna dea 161
Vagitanus deus 155
Valentia dea 130
Vates qui 311, eorum habitus 312, vaticini libri 311
Vaticanus deus 155
Vbertas dea 141
Vehiculorum vſus conceſſus fœminis 434
Veiouis numen 168, feſtum 355. 358 437
Venatores Dianæ faciebant ſacra 90
Venilia dea 159
Ventis diuina fiebant 169
Veneris varia cognomina 97. 98, figura 99, feſta 100. 356. 407, ſacerdos 636
Verbena in ſacris quid 470, eas adolebant diis 479, verbenarius quis inter feciales 635
Ver ſacrum quid 243 244
Vertumnus deus 132, feſtum 425
Veſpera quid 363
Veſta ſimulacrum 104. 105, præerat omni religioni 105, ſacra in ea finiebant 123, Kl. Martiis nouum ignem accendebant 346, feſtum Veſtalia 355. 410, templum 524
Veſta priſca quæ 121, figura 122, ex Phrygia Romam venit 123, ad mortuos etiam ſpectabat 123, illi ſedentes vota concipiebant 123, ſacra cum Iſidis conueniunt 123, feſtum 420, ſacerdotes 630
Veſtales Romulus inſtituit 621, ſex erant 622, quibus cæremoniis a pontifice M. captæ 622. 623, quid in iis conſideratum 622. 623, ſortitio quandoque locum habebat 623, per triginta annos ſacerdotio præerant 624, nubere non niſi his elapſis licitum 624. 625, ignem ſeruabant perpetuum 625, Palladium curabant 625. 626, ſacra faciebant adſidue 626, dignitatem & priuilegia habebant varia 626, aquam ſacram attribuit Numa 626, lictoribus vtebantur 626 627, carpento vtebantur 627, alebantur ex publico 627. 628, inſignia & vittæ 628. 629, tonſæ 629, pœnæ variæ 629, ob extinctum ignem flagro cæſæ 630, ſtupri compertæ quibus ſolennitatibus defoſſæ 630. 631, abſolutæ quandoque

doque 611, de harum delictis iudicabant pontifices 621, maxima quæ dicta 624, ſacrificans dicebatur armata 626, quouſque durauerint 632

Veſtes puræ in ſacris 196. 197, ſynthesiacæ in feſtis 393, ſuſpendebant diis 238

Vibilia dea 160

Vicaris in deuotione qui 229

Victa & Pota dea 156

Victima quid 457, nigræ inferorum 491

Victimarii parabant ignem 470. 640

Victoria dea 146, feſtum 427

Vinalia priora & poſteriora quæ 307, 354. 357. 396. 397

Vinctum in ſacris non admittebatur 469

Vinea publicæ reſtituendæ curam habebant pontifices 587

Vinum libabant diis 397, purum in ſacrificiis 479, victimis ſuperfundebatur 471, ſub lactis nomine Veſtæ libabant 123

Vires pro diis 164

Virgines quæ diis obtulerint. 552

Virginenſis dea 158

Viriplaca dea 158

Virtus honori iungitur 137, Virtutes diuinæ 69, 134

Viſceratio quid 481

Vitium in Comitiis quid 169, vitio factum quid dicatur 227

Vitulatio quid 219

Vitulina dea 152

Vitumnus deus 154

Voiſgra ſues quæ 264

Volturnus, Volturna 162, feſtum Volturnalia 354. 431

Volumnus deus 159

Volupia dea 159

Volutina dea 155

Vota vel publica vel priuatorum 233, quæ priuatorum 233, faciebant precantes 212, pro ſalute domus Auguſtæ 251, & pro priuatis 252, votiuæ tabellæ quæ 233, vota figere quid 234, ad ſimulacra deorum fiebat 234, magiſtratuum 241, ex Scto vel in bello facta 142, cenſorum dum luſtrum conderent 242, quinquennalia magiſtratuum 243, publica ſub Impp. 244. 245, votorum dies quis 245. 246, nuncupatio in principiis 246, & aliæ ſpecies 246, pro Imperatoribus fiebant 247, quinquennalia, decennalia 247, decennales I, II & III 248, multiplicata 249, in tabulas ſcribebantur & obſignabantur 248, omni lætitiæ genere nuncupabantur 249, munera addeban-

bantur 250, pro varia Impp. neceſſitate facta 250. 251 vouebant aras, aurum & argentum 235, templa, porticus, ſtatuas 235. 236, votorum rei, compotes vel damnati qui dicti 235. 236.
Vrbium natales celebrabantur 451
Vulcani figura & officium 104. luſtra 357, feſtum 254. 409. 410, templum 524.

Z.

Zonam virginalem dedicabant fortunæ virginali 137, primo partu leuatæ mulieres, Dianæ 90
Zotheca quis locus in templis 515

Errata

P. 50 l. 29 pro *Becaccius* lege *Bocaccius*. P. 122 l. 4 pro *ſeptimus* lege *octauus*. P. 124 l. 1 pro *Indigeſtes* lege *Indigetes*. P. 141 l. 13 pro *faciendum* lege *faciendam*. P. 181 l. 7 poſt *nudas* adde *tantum*. P. 223 l. 24 pro *dum* lege *tum*. P. 549 l. 8 pro *templa* lege *tropaea*. P. 558 l. 3 pro *G.* lege *Cn.*

I E N AE,
Typis CHRISTOPHORI KREBSII,
M DCC L.

2512228 D

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B. 17. 4. 27
BNCF
Digitized by Google